UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545

Visual Library



N. 403a
N
v. 3.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




S. Benedictus Patriarcha Monachorum.
Videte quoniam non mihi soli laboraui
sed omnibus exquirentibus veritatem. Eccl. 24
Annales
HEREMI DEI
PARAE MATRIS MONASTE-
RII IN HELVETIA
ORDINIS S. BENEDICTI
ANTIQVITATE, RELIGIONE,
FREQVENTIA, MIRACVLIS,
TOTO ORBE CELEBERRIMI.
Auctore
R. P. F. CHRISTOPHORO
HARTMANNO IBIDEM
MONACHO ET BIBLIO-
THECARIO
Friburgi Brisgoiae ex
typographio Archiducali.
M. D. N. DC. XII
S. Megingal. Marbr. S. Bened.
S. Eberhard. Ab. B. Thietbus. Abb.
B. Aldaricus
S. Fruderi. Abb.
Ioan. Henric. Gessnerus. 1610

REVERENDISSIMO

AC SERENISSIMO DOMINO

MAXIMILIANO

ARCHIDVCI AVSTRIAE,

BVRGVNDIAE DVCI, COMITI TIROLIS, THEVTONICI ORDINIS SVMMO PRINCIPI.

AVGVSTINVS

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA HEREMITARVM ABBAS, ET IMPERII PRINCEPS, felicitatem precatur:

QVAM primum, Reuerendiſsime, & Sereniſsime Princeps, ad huius Prælaturæ munus acceſsi, Diuina magis voluntate, quam mea, inter plurimas alias curas, quæ me eodem tempore in continenti inuaſerunt, habuerunt-que, non poſtrema ea fuit, quo pacto Monaſterij Annales, anteceſſorumque meorum ſucceſsionem & memoriam, tot caſibus,

incendijsque pene abolitam, atque exſtinctam denuo repararem, & aduerſus id genus, & alias temporum, hominumque iniurias quam longiſsime conſeruarem. Itaque id ſubito negotium Bibliothecario noſtro commiſi. Cuius diligentiam in colligendis, veluti magno ex naufragio, tabulis, digerendisque, ac componendis cum non probare non poſſem, viſumque eſſet precium operæ multis de cauſis publici eoſdem Annales facere iuris, profectò, qui à calumniatoribus, & noſtræ antiquæ, & veræ relligionis, & inſtitutionis perduellibus, quorum nullum hoc ſeculo aliud feracius fuit, fortiter, & conſtanter vindicaret, atque adſereret, magno aliquo, & beneuolenti Principe, & Patrono opus iudicaui. Per cuncta animo circum eunti præter Tuam Serenitatem nemo occurrit alius, qui vtrumque & efficacius poſſet, & lubentius vellet. Tot adeò iam quoque ſuper ſunt tuæ benignitatis, & pietatis in hoc Monaſterio teſtimonia. Neque enim ſolum tua id præſentia humaniſsimè condecoraſti, ſed frequentibus tuis donis, ac muneribus plus quam

regia


regia munificentia, & magnificentia, ita auctum, & cumulatum esse voluisti, vt inter primos Fundatores vna cum tua Serenissima Domo numerari, ac memorari merito debeas, ac præcipuum facile locum obtineas. Vt non amplius referam, qua Tua me Serenitas ipsum benevolentia, & propensi animi significatione amplecti dignum existimauerit, Tuæ Serenitatis & numquam satis laudatæ tuæ familiæ, more, & vestigio meorum antecessorum alias obseruantissimum, & deuinctissimum. Certe Rudolfus I. Imperator Austriacæ Domus gloriosissimus, & fortunatissimus conditor, et propagator, Vlricum II. Abbatem XVIII. inter Principes Imperij primum cooptauit. Albertus I. qui succesit, non solum paternum diploma confirmauit, sed Ioannem Abbatem, & quidquid huius Monasterij fuit, in suam, & suorum protectionem singularem adsumsit. Posteri, & qui ab eo, & eum secuti Austriæ Duces, & Archiduces vtriusque sexus prope omnes magnis, & pluribus, perpetuisque beneficijs ad hæc vsque tempora idem hoc Monasterium

collocupletare, & celebrare numquam desierunt. Neque tamen etiam nostri tantæ benignitati, & gratiæ defuere. Quandoque, & quamdiu licuit, Austriacos Principes milite, plerumque opera, & consilio adiuuerunt: sæpius inter discordantes arbitri, bello, paceque, fidos se, et obsequentes exhibuere. Postremo pro eorum incolumitate, magnitudine, et gloria assiduis apud Diuinam Maiestatem orationibus, et sacrificijs sedulo collaborarunt, & interceſſere. Quorum ego institutis, & votis vti persistam, continuatio, & magnitudo beneficiorum ab eadem munificētissima Domo, & Tua cum primis Serenitate, jure merito perpulerunt. Cuius rei quale quale hoc jam quidem certe signum, et documentum, apud vniuersos, et meos præcipuè hac in dignitate successores exstare cupiui: Tuæque Serenitati hos ipsos Annales inscribere, offerre, dedicare non dubitaui, & in eiusdem patrocinium consignare. Eamdem submisse, & maximo opere rogans, vt dum sua, majorumque suorum dona, & beneficia inspicit, & agno-

scit ea

scit, ea non solum, sed nos ipsos simul omnes, solito suæ benignitatis fauore, porro fouere, & commendatos habere clementissime velit. Ita Deum obtestor, precorque, & beatissimam eius Virginem Matrem, vt Tuam Serenitatem, & Domum tuam vniuersam quam potentissimam, & florentissimam conseruare perpetuis temporibus dignetur. Ex Heremo, Idibus Ianuarij huius ineuntis Anni Domini Nostri

CIↃ. IↃC. XII.



ANNALIVM HEREMI DEIPARAE MATRIS PROLOQVIVM.

AD

AVGVSTINVM. I.

EIVSDEM LOCI

ABBATEM.

S. R. I.

PRINCIPEM.

HEREMI DEIPARAE *MATRIS, cuius,* AVGVSTINE REVERENDISSIME, ET ILLVSTRISSIME, *Principatum geris, originem, & celebritatem, Antistitumque successionem, & acta, ceteraquè ex frequentiâ, & miraculis, rara, & diuina memoraturo operæ pretium erit, si pauca ab initio de Heremitarum instituto, & progressu supra repetam. Nam & antiquitatis honos semper valuit, & ex rerum serie, magnitudine què animus excitatior, certiorq;, non solùm præsentibus ob-*

lectatur, sed præteritorum recordatione firmior, & exemplis instructior redditur. Simul ex paruis maxima vt excreuerint, illustria ex tenuibus, postremò, dilabente disciplina, & benè conditis exolescentibus, quam succenderant citius vt præcipitarint facile cognoscitur, donec ad isthæc tempora peruentum est, quibus, veluti penitus omni veteris disciplinæ, & moris reuerentiâ exterminatâ, atque explosâ, antiquo, & indubitato Numinis cultui, & honori; vanitatis, & superstitionis vocabula indiderunt: pietatis studium, fraudulentiam: religionem, hypocrisin: contemtum mundi postremo, & rerum peruentium repudium, dementiam, & insaniam per irrisum, & proteruiam, petulantiamq; adpellitauere. Ceterum quis post Christum natum solitudini primum honorem addiderit, multi quæsiuerunt. Plerique Paullum quemdam Ægyptium fuisse volunt, imperantibus Diocletiano, & Maximiano, qui mortis, & suppliciorum metu, per cruentas, & efferas Christiani nominis ab tyrannis suscitatas persecutiones Thebaidis deserta ingressus ex necessitate virtutem, ex assuetudine mox voluptatem genuerit, posterisque exemplum prodiderit. Eum namque postea plures haut ijsdem quisq; de caussis per prouincias varias imitati, quorum facilè principes Antonius, Hilario, Onuphrius. Sed profecto iam multis ante Christum natum seculis multi sanctitate, & Prophetico spiritu insignes viri Heremos celebrauerant. Præcipuam vero famam & auctoritatem ijs invexit vltimis priscæ legis temporibus, Zachariæ pontificis filius Ioannes, quem postea Baptistam ex nouo, & tunc admirabili facto cognominarunt. Postremo, ipso prope tempore, sanctificauit in eam secessu suo, nouæ legis conditor, & Saluator noster idem Christus IESVS, quadragintain heremo diebus per ieiunium exactis, & victa inibi, cum totius mundi illecebris, magno, & commemorabili duello, Superbia, & Impietate. Ceterum à principio Heremitæ Christiani nulla certa norma, aut regula victitabant, quod quisq; DEO auctori, & liberatori maximè gratum, & delectabile rebatur, magisq; procul ab omni mortalium contagio, ad id incumbebat. Itaque alij speluncis sese includere humanæ conuersatio-

nis pe-

nis penitus expertes, alij statu erecto, & immobili, tamq; cælo, non solo adfixi, ætatem habere, plures siluis densissimis inter ferarum receptacula, vitam colere, omnes postremo innocentia, precibus, vigilijs, abstinentiâ, jeiunijs Conditori suo per placere, & ad perfectionem vitæ, diuersa viâ niti. Hos quia loca, vti diximus, plerumque deserta, sola, & inuia tenebant, Eremitas, & Monachos, siue solitarios, anachoretasq; vocabant, quorum vitas, & gesta, miraculaque plures veterum, recentiumq; perscripsere. Sed posteaquam Basilius apud Orientem, in Occidente Pater Noster Benedictus dispersos monachos in cœtus cogere, certisq; legibus, veluti bene fundatâ Ciuitate, collectos inter se habere, instruere, firmare cœperunt, incredibile dictu est quantus ad eam vitæ formulam vtroq; orbe factus sit concursus. Itaque breui Italia, mox Gallia, & Anglia, postremo & Germania, ceteræq; prouinciæ Benedictinorum, ita vocabant, qui nostri sancti Patris leges, & decreta susceperant, conuentibus, & collegijs refertæ. In Heluetia quidem montes primò asperos, & loca inculta veteris disciplinæ memoria, an æmulatu, ijdem patres insedere. Ouinus quidem Lupicinus, & Romanus, Iurassum, montem inter Burgundiam, & Heluetiam limitarem, quem postremo ob viri, qui successit longo intervallo, præstantiâ, & dignitatem S. Claudij monte nunc vocant, eiusdem sancti, & aliorum miraculis insignem & modo etiam frequentem. Eiusdem montis partem prope mediâ, quæ ad Sequanos maxime pertinet, Germanus, & Ursicinus, alijque occupauerunt. Gallus verò, & Pirminius hic Augiam maiorem: ille Rheticis Alpibus vicina colenda suscepit. Non eodem quidem omnino tempore, sed tamen animo, ac spe. Alia postremo præclara aliis, diuersisq; auctoribus, locisque nata cœnobia. Ceterum nostram HEREMVM, siue Siluæ obscuræ solitudinem, MEGINRADVS eiusdem Insulæ Augiæ Monachus primò sanctitate, mox sanguine suo illustrauit, & consecrauit. De cuius ortu, vitaque pauca, tum vero successores, in primis DEIparæ MATRIS Sacelli cœlitus factam dedicationem, & inde miracula, quæq; subinde euenerũt, certis annis, cum curâ, & fide expediam. Etenim aut me sus-

cepti operis amor, & professio transuersum agit, aut nullus vspiam Christiano in orbe alius locus neque Reginæ Calorũ præsentiâ religiosior, neq; Antistitum nobilitate, & successione illustrior, neque Pontificum, Imperatorũ, & Regum, Principumq; priuilegiis, & beneficijs honoratior, aut postremo omnium prope nationum peregrinationibus frequentior, atq; miraculis est insignior. Adeò alias aliis in locis sacras ædes videtur summus ille Architectus rerum omnium ab reliquis constitutas accepisse, & probasse: hanc, tanquam perpetuum sui amoris, & honoris erga matrem monumentum, & simul in genus humanum refugium, solatiumque sua veluti manu posuisse, stupendis signis, & incrementis insolitis fouisse, & ditauisse, omniumq; pene prouinciarum, & gentium cultu, & religione, & cõcursu celebrari voluisse: Verum multa me initio ab inceptoretinebant. Operis primo immensitas, & amplitudo, quippe quæ septingentesimum longe excedat annum, tum Sacelli origo, & dignitas antea haut satis explicata, & proinde, quæ horum temporum insania est, an proteruia, forte pluribus vt inaudita, ita non apud omnes fidem habitura: sed præcipue memoriarum veterum, & actorum per tot clades, & incendia abolitio, & inopia, simul mea me tenuitas remorabantur. Sed rei difficultatẽ mox peruicit obediendi, & gratificandi tibi, AVGVSTINE Reuerendissime, & Illustrissime, immensum desiderium, ac læta promtitudo. Et illa me facile probaturum, licet incredibilia, putabam, quorum fidem clarissimis, & toto orbe notissimis diuina virtus quotidie confirmaret argumentis. Neminem verò exacturum ex me, quæ omnibus inuidisset calamitas temporum. Postremo tua ope, tuo fauore, ac patrocinio, O BEATISSIMA VIRGO, & MATER, in cuius gloriam, & laudem hoc omne quidquid est operæ datur, & impenditur, nihil arduum, nihil insuperabile existimaui. Verum si vmquam alias magnus profectò hoc tempore historiæ vsus, magnum emolumentum, monasteriis præsertim, & sacri ordinis collegiis, quorum ortus, & instituta, & successiones, & priuilegia nosse, per has animorum, & religionum turbas, & dissensiones non modo vtile, & delectabile, sed prope necessarium. Quando nõ defuerunt, qui mo-

nasteria,

nasteria, & collegia veluti adflicta, & exhausta nobilitatis hospicia, & perfugia ab Regibus, & principibus condita, Monachorum, & Sacerdotum odio, prodere haut reueriti sunt. Homines præposteri. Quasi maximorum regum ea cura maxime fuerit, quo profligatis, & perditis, qui ganea, manu, ventre, ludo bona patria lacerauissent, receptus esset, aut latebra. Et non potius in id animum intenderuut suum, vt quo maior eorum in terris facultas, & potentia erat, eo plura, & insigniora aduersus diuinam Maiestatem, cuius vicem implerent, & erga eos homines, qui sese diuino cultui, & famulatui addixissent totos, ceteraque omnia præ rerum immortalium amore, & desiderio post haberent, vitamque in terris cælestem agitarent, suæ pietatis, & gratitudinis exempla, & monumenta essent, & superarent. Idque non solum ad præsentis, *vt fermè loquuntur*, regni sui statum, sed ad æternæ beatitudinis præmium sibi profuturum crederent. *Præclarè sane Cæsar Heinricus V.* Non magnum est, carnalia nostra metere ijs, qui nobis spiritualia non cessant seminare. Oportet enim nos, qui sumus carnales, quique sollicitudinibus huius mundi inseruimus, spiritualium virorum orationibus commendare, præcipuè his, quos, omnibus relictis, soli Deo Christo IESV cernimus vacare, per quos cùm spiritualem sustentationem accipimus; merito eis carnales consolationes, de quacunque re petierint, rependimus. *Sed id genus absurditates, & ludibria confutare, neque nostri consilij; & cum laude alij præstiterunt. Imo vero quod in manu est, id, cum Diuis benè prosperantibus, iam exordiamur.*





S. MEGINRADVS EX COMITIBVS SVLGOVIAE

PRESBYTER, ET MONACHVS AVGIAE ORDINIS S. BENEDICTI, PRIMVS

Heremi incola, & martyr, Heremitarum Conditor, & Pater.

HEREMI igitur DEIPARAE MATRIS primus cultus, honosq;, & religio, ex Meginrado est, Sulgouiæ Comitis F. Eum pater, vbi primum melioris institutionis per ætatem capax mens fuit, ad Sindeslai insulam, illustrem per ea tempora, Germanicæ nobilitatis concursu, ad capiendum animi cultum duxit, Erlebaldoque cognato magnæ illo in Monasterio auctoritatis viro erudiendum tradidit, Carolo Magno Imper. & Hettone, qui etiam Basilienſis Episcopus fuit, IX. Abbate. Insulæ

inter vtrumque Acronium, & Venetum lacum sitæ à Sindeslao Comite, aut presbytero, qui primus incoluit, nominatio est. Sed maximè Pirminius Episcopus celebrauit, condito in eâ, auspicijs Caroli Martelli Francicæ militiæ, & Palatij præfecti, opibus, & fauore Berchtoldi, & Nebij Alemanniæ principum, nobili Monasterio A. D. N. DCCXXIV. Quod quidem breui opulentiâ, & potentiâ tantum prævaluit, vt, priscâ desitâ, Reichenaugiæ, siue Diuitis insulæ repererit, retinueritque apud posteros denominationem. Augiam etiam, Germanico vocabulo, & Maiorem ad Rheni Insulæ inferioris, aut alterius lacus, differentiam veteres scriptores dixerunt. Pirminio successit Etho, qui factus Argentinensis Episcopus Ethenheim Cœnobium exstruxit, mox Keba, tum Ernfridus, Sidonius, Ioannes, qui tres postremi etiam Episcopi Constantienses fuerunt, Petrus, Valdo, & denique, quem supra memorauimus, Hetto. A. D. N. DCCC. VI. Hoc in monasterio, & sub eo Abbate, doctore, & eductore Erlebaldo, exiguo spatio Meginradus eò progressus est, facile vt socios, & ætate pares, mox & ceteros virtute, & eruditione anteuenerit. Sed adolescẽtem super omnis liberalis doctrinæ desiderium, pietatis, & rerum diuinarum cupido ingens inuaserat. Itaque verso ex secularibus studio, initiari sacris, auctore, & curatore eodem Erlebaldo voluit: tum verò totum se scripturarum sacrarum lectioni dedidit, diuinorum oraculorum sensa, ambages, miracula nocturnis, diuinisque meditationibus inquisiuit, hausit, alijs patefecit. Vnde illius magna apud suos reuerentia, penes exteros fama. Interea Hetto multis laboribus, & periculis, Constantinopolitanaq; ad Nicephorum, Michaelemq; Impp. Caroli nomine, legatione perfunctus, cum vitam priuatam, & quietã diuinorum mysteriorum contemplationi deditam, vtrque dignitati, & Basilienſi Episcopatui, & Abbatiæ antetulisset, factus Augiensis Abbas antedictus Erlebaldus, qui, iam ab principio erga Meginradum propensior, non destitit, donec vitã solitariam, diuiq; Benedicti P. N. formulæ subiectam iniret, adeoque religionis professionem faceret. Et eodem prope tempore Bol-

A. D. N. DCC. XIV.

A. D. N. DCC. VI.

A. D. N. DCCC. XXII

linga,

linga, non contemnendo tum Monasterio, dextro laci Tigurini margine supra vicum Ionam, aduenere qui doctorem poscerent, & rectorem. Erlebaldus, legatione audita, & consideratis omnibus, Meginrado nepote aptiorem reperit neminem. Missus Bollingam non minus moribus, & pietate, quàm doctrinâ sibi subiectos imbuit, regionemque vniuersam amore sui iuxta, atq; veneratione repleuit. Vnde alij alijs de caussis eo sæpe, & frequentes ventitare, ipsum audire, dictis, & monitis obtemperare, prorsus apud omnes auctoritate, & nomine magno esse. Sed mox ab illo ex quo religionem ingressus est, solitudinis illum cupiditas ingens, & amor cæperat. Cognito demum alterâ lacus parte montem excelsum esse, Ecelium adcolæ vocabant, & sub eo versus meridiem immensam solitudinem, cui Obscuræ siluæ, ex arborum densitate, & tenebris, fecerant nomen, adsumto tandem in comitatum ex discipulis vnico, eum ipsemet inscendere, lustrareque constituit, emensoq; lacu, paucis horis in cacumen euasit. Ne vltra progrederetur, qui sese ex vicinià addiderant rustici per belluarum formidinem, quarũ scatere aiebant siluam, prohibuere. Meginradus, monte relicto, in proximum vicum Altendorf nominatum Ecelij in radice, infra Castrum Rapersuillæ veteris, D. Ioannem nunc vocant, ab eiusdẽ Diui sacello, eo tempore Comitum Rapersuillensium sede celebratum, apud piam Viduam deuertit, cuius humanitate, & integritate perspectâ, secreto conferre cæpit, foretne qui presbytero inopi, socijsque fortè an nonnullis Ecelium incolere, Deoque famulatum ibidem habere cupientibus vitæ necessaria saltem suppeditaret. Quæ cum annuisset, sibique per Dei benignitatem, & liberûm orbitate, non modo opes supereſſe, sed eas rectè pios in vsus collocare posse, & cupere, Meginradum magnæ spei plenum abs sese dimisit. Ipse Bollingam reuersus est. Nec multum interfuit, & viduæ promissis, & suapte cupiditate, multis interea erga diuinam Maiestatem, cœpta vti prosperaret, rataq; iuberet, precibus, anno nondum ex quoadfuerat post lapso, Erlebaldi Abbatis in id impetratâ gratiâ, & licentiâ Ecelium insidet, congestuque cæspitum, ra-

morumq;

morumque, & truncorum, quos locus, & fors obtulerant in
ſpeluncæ formam habitaculum exſtruit, ſedemque figit. A.
A. D. N. DCCC. XXXII. D. N. IↃCCC. XXXII. Vidua vbi ea quæ euenerant intel-
lexit, non modo quæ victui erant liberaliter largita eſt, ſed ad
vſum quoque cellam mediocrem, & iuxta ſacellum, ædifica-
ri curauit, quod nunc quoque S. Meginradi in Ecelio Sacel-
lum ſeruat nomen. Eo in loco anni ſeptem per ieiunia, vigi-
lias, preces, ſacras lithurgias, alia pietatis exercitamenta con-
ſumti. Ceterum remouerat ſe Meginradus hominũ ex con-
ſortio, non homines à ſe. Quamobrem etſi montem aſpe-
rum, incultum, inuium tenebat, viliſque cellâ claudebatur,
multis tamen frequentabatur, longeq; & latè ſanctitatis opi-
nione percrebuerat. Vnde interioris ſolitudinis penitrandæ,
turbæ, & concurſus vitandi, conſilium natum. Accidit vt
eodem tempore nonnulli è Bollingâ monachi, tanquam ma-
giſtrum, & vitæ, diſciplinæque exemplum viſitarent. Illis co-
mitantibus per ſpeciem piſcationis, proximis riuis, Sillâ præ-
ſertim amne, condenſam, & impeditam ſiluam Meginradus
ingreſſus eſt. Et ſocij quidem in Sillâ conſilij expertes pericu-
lum fecere. Ipſe interim ſpatiabundus, ac veluti aliud agens,
eousque proceſſit donec in planiciem incidit, altiſſimis arbo-
ribus circum circa ſolam, & horridam, ceterum amne, Albâ
poſteris vocato, & paullo ſuprâ aquæ ſcaturigine vberrimæ, &
limpidiſſimæ, DEIPARÆ MATRIS modo fontem nominant,
longe, vt ſibi videbatur, amœniſſimam, & deſtinatis oppor-
tuniſſimam. Ipſam igitur capere decreuit. Et ſubitò quidem
ad Sillam reuerſus, indeq; ad Ecelium, ſocios lætos, & prædæ
compotes Bollingam porro remiſit. Paucis hinc diebus ad
viduam, cuius opibus hactenus vitam tolerârat, profectus, pro
beneficijs acceptis gratias habuit, ſumtaq;, qua apud Ecelium
vſus fuerat, ſuppellectile, ea quattuor aut quinq; libellis con-
ſiſtebat, quorum præcipui Regula S. Benedicti, ſcripta Caſsi-
ani, Miſſale, homiliæ, vt Augiæ teſtantur annales, in eam, quã
legerat, optaratque vaſtiſsimam Siluæ obſcuræ Heremum ſe
A. D. N. DCCC. XXXVIII. abdidit. A. D. N. IↃCCC. XXXVIII. Gregorij IV. Ponti-
fic. anno XI. Ludouici I. Pij Imper. XXV. Salomonis I.

Conſtan-

Constantiæ Episcopi VII. Erlebaldi Augiæ Abbatis XVI. teste Hermanno Contracto eiusdem Augiæ Monacho. Fabricabat sub idem tempus Ludouicus Germaniæ Rex, Pij Imp. F. Tigurì, eâ tempestate, DD. Felicis, & Regulæ & Exsuperantij glorioſorum martyrum memoriâ, & veneratione vico nobili, Sanctimonialium monasterium, eique Hildegardim filiam præposuerat, quæ Meginradum apud Ecelium agitantem cum sæpius visitasset, vbi locum mutasse comperit, missis, qui omnia necessaria offerrent, Cellam illi ædificari iussit, & prope Sacellum, quod ipse VIRGINIS MATRIS nomine, & titulo coluit, exemplumque alijs frequentandi dedit. Deniq; quæcunque victui, cultuique erant, eadem Hildegardis, alijque vicini vltrò, & munificè promisere, adeò omnes viri sanctitas, & innocentia in admirationem sui, & amorem incenderant. Atq; ex hoc principio solitudinis Obscuræ siluæ, siue HEREMI, prima cultio, & religio, Heremitarumque frequentia, & incrementa. Nam postea DEI genitricis multis rebus admirandis ibidem singulariter comperta gratia, & præsentia, postremo, toto orbe, famam loco, & reuerentiam longissime, latissime propagauit. Ceterum singulis quibusque annis quæ Meginrado in solitudine aduenerunt, donec ibidem vitam exuit, quia parum cognita, & distincta, & eius postea vitam pluribus, vti veteres tradiderunt, adiungemus, quæ interea alibi successerunt breuiter adnotabimus. Anno D. N. DCCC. XXXIX. Ludouicus Imper. cum, bello quod cõtra Ludouicum filiũ Germaniæ Regem gerebat, paschæ sollennitatem apud Brigantinum lacum egisset, Vormatiã concessit, comitijsq; Imperij habitis, Lothario filiorum primo indulgentissimus, & pijssimus parens rebellionis gratiam fecit, imperij successorem destinauit, inter ipsum, & Carolum fratrum minimum regna diuisit, & in Italiam remisit, solâ Bauariâ Ludouico relictâ. Eodem tempore cùm Erlebaldus abdicasset, Augiæ factus Abbas XI. Rodhelinus. At Ludouicus, anno sequenti, reliqua se hæreditate priuatum dolens magnũ per Allemanniam exercitum fecit, & Francofurti consedit. Pater, relictâ Aquitaniâ, quæ, Pipino rege paullo antè mortuo, tur-

A. D. N. DCCC. XXXIX.

A. D. N. DCCC. XL.

tuo, turbauerat, contra filium duxit, acieque profligatum magno periculo in Bauariam repulit. Valetudine hinc ingraueſcente, cùm ad Rheni inſulam prope Ingelheim reuertiſſet, poſitis caſtris aliquandiu ſubſtitit, donec, morbo ſuperante, ibidem extinctus eſt XII. Kal. Iulij & ad D. Arnulphi Metis ſepultus. Lotharius, paternâ deſignatione, Imperium inijt, & ſubitò in fratres, qui ſe coniunxerant, contraque ſe arma cæperant conuertit. Anno octingenteſimo quadrageſimo primo, Rhenum, & vicina, ne coniungi poſſent, aduerſus Ludouicum firmauit, contra Carolum copias duxit. Sed mox Ludouicus, Adelberto Comite, cum omnibus Lotharij in Rhetiâ præſidiarijs, III. Idus Mai. profligatis, ad Carolum peruenit, iunctisq; copijs apud Fontaniacum Antiſiodorenſis agri vicum VII. Kal. Iulij memorabili in omnẽ poſteritatem prælio decertauit, Lotharium caſtris exuit, & Aquas Grani repulit. Prælio Fontaniaco ita attritæ Francorum vires, & virtus debilitata, vt iam non amplius promouẽdis Imperij finibus, ſed neque retinendis ſuffecerint omnium ſcriptorum teſtimonio. Anno octingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Lotharius, collecto exercitu, rurſum in fratres mouit. Ipſi apud Argentoratum iterum XVII. Kal. Aprilis vicerunt, & fuderunt, regnumq; eius cis Alpes inter ſe diuiſerunt. Poſtremò XL. viris & vniuerſali Epiſcoporum Franciæ examini fratrum diſcordia, & totius Imperij diuiſio permiſſa. Rodhelino, in Augiâ ſucceſſit Valefredus Strabo abbas XII. cuius multa ingenij vtraq; oratione eximia monumenta. Anno ſequenti, conuentu fratrum Viroduni, & amicitiâ, partitioneq; Carolus, cui poſteà Caluo cognomentum, Franciam Oceano, Mosâ, Rhodano terminatã: Ludouicus Germaniam, Pãoniam, Noricum, & Allemanniam: Lotharius Italiam, & hinc medius incedens inter fratres Galliam Belgicam, quam Lotharingiam de ſe dixit, Burgundiam, & Prouinciam accepit, & Imperatoris titulum: Reges, hic Germaniæ; ille Franciæ nominati. Anno octingẽteſimo quadrageſimo quarto, Gregorio IV. Pontifici (noſtri fuit is primo ordinis, & Foſſæ nouæ prope Terracinam Campaniæ ciuitatem Monachus) cui,

A. D. N. DCCC. XLI.

A. D. N. DCCC. XLII.

A. D. N. DCCC. XLIII.

A. D. N. DCCC. XLIV.

inter

inter alia, festi omnium sanctorum kal. Nouembris institutio: Successit Osporci, Sergij nobilis Romani F. vir magnæ eruditionis, & virtutis, & in quo, præter nomen, nihil reprehensum. Vnde desiderio, & precibus P. R. Qui id vocabulum tantæ dignitati parum decorum querebatur, mutauit, paternumque adiunxit, & se Sergium II. dixit. Inde mutandi nominis inter coronationis sollennitates successoribus exemplū quidam tradidere; alij quidquid de hoc Osporci nomine traditur ad fabulas referunt, & mutandi nominis originem, & causſam ad Sergium III. Neque vero id euenisse turpitudine nominis sed causſa reuerentiæ. Quod cum Petrus vocaretur, indignum se eo nomine iudicauisset quod ad Principem Apostolorum proprie pertineret. Anno octingentesimo septimo & quadragesimo, Sergio defuncto, creatus Leo IV. & ipse nostri ordinis monasterij S. Siluestri Romæ. Suburbium Vaticanum, in quo Basilica S. Petri, & Pontificale palatium, mœnibus contra impetum Saracenorum cinxit, & de se Ciuitatē Leoninam nominauit. Laicos in choro, siue presbyterio inter sacrorum sollēnia adsistere vetuit. Iuxta Ecclesias scholas, & gymnasia, in quibus disciplinis melioribus imbuerentur clerici, ædificari voluit. Eodem anno Rabanus Moguntiaci Archiepiscopus Synodum omnium suæ prouinciæ Episcoporum celebrauit, cui proindè etiam Salomon Constantiensis interfuit. Ex eius quoque Episcopatu puella delata vaticinij nomine vulgò frequentata, & celebris, cum ad flagrum condemnassent vaticiniorum desijt. Anno sequenti Valafredo in Augiâ successor Folcuinus abbas XIII. Anno octingentesimo quinquagesimo quinto Leoni succesit Benedictus III. Romanus. Instituit vt funeribus presbyteri, & diaconi interessent honorandi corporis defuncti, & commendandæ animæ. Lotharius Imper. eodem tempore religionem nostram Benedictinam Brumiæ professus est, pœnitentiam de peccatis in Deum, & parentem Ludouicum acturus grauem illam, sed perbreuem. Eodem enim anno obijt III. Kal. octobris. Regnum inter filios diuiserat. Ludouico Imperium, & Italiam relinquens, Lothario Austrasiam, siue Lotha-

A. D. N. DCCC. XLVII.

A. D. N. DCCC. XLVIII.

A. D. N. DCCC. LV.

ringiam cum Burgundiâ minore, Carolo Burgundiæ regnum,
A. D. N. DCCC. LVIII. Prouinciam, Sabaudiam. Anno octingentesimo quinquagesimo octauo, Benedicto defuncto, lectus pontifex Nicolaus I. absens, & inuitus. Instituit, adprobante Imper. Ludouico II. ne Princeps vllus secularis, Rex, aut Imperator interesse concilijs clericorum ausit, nisi cum de fide agitur. Tum verò fas, & æquum censuit. Folcuino quoque apud Augiam desiderato, Valtherius abbas constitutus XIIII. Eodem anno Ludouicus Germaniæ Rex, crebris Francorum Caroli tyrannidem deprecantium legationibus fatigatus, tandem exercitum in Galliam duxit, fugatoque Carolo, & cunctis primoribus vltro deditis, regnum pro arbitrio constituit, donec, rebellãtibus Sorabis, in Germaniam redire coactus, Carolus
A. D. N. DCCC. LX. omnia recepit. Anno octingentesimo sexagesimo, Conuentum apud Confluentiam Rheni fecerunt reges tres Ludouicus Germaniæ, Carolus Franciæ, Lotharingiæ Lotharius, pacemque, & amicitiam sacramento inter se iurauerunt. Anno
A. D. N. DCCC. LXI. octingentesimo sexagesimo primo, Ludouicus Germaniæ comitia Ratisbonæ celebrauit, perduelles nonnullos, & majestatis suspectos honoribus, & muneribus priuauit, Carolomanno quoque filio Carinthiæ duci infensus, quasi res nouas molienti. Ibidem sanctimonialium monasterio, quod Tiguri condiderat, Tigurum ipsum, & adjacentia, Albim saltum, & Vraniam regionem, cum Ecclesijs, ceterisque eius iurisdictionis, tota & integra consignauit in honorem DEI, & beatorum martyrum Felicis, & Regulæ perpetuam inibi venerationem, & memoriam. Eadem rursus omnia filiæ Hildegardæ, quam eidem, vti diximus, monasterio, præfecerat, proprietati dum viueret, & muneris concessit, sola aduocatione sibi reseruata. Eius rei instrumentum ita se habet.

In nomine sanctæ, & indiuidua Trinitatis. H Ludouicus, diuina fauente clementia Rex. Si de rebus terrenis, quas sumus diuinâ largitate consecuti ad loca sanctorũ ob diuinum amorem, regium morem decenter implentes, aliquid conferimus, hoc nobis esse profuturum ad aterna remunerationis præmia capessenda liquido credimus. Qua propter comperiat

omnium

omnium fidelium ſanctæ DEI *Eccleſiæ, noſtrorumque præſentium ſcilicet, & futurorum induſtria, qualiter nos pro Sereniſſimi Imperatoris aui noſtri Caroli, & præſtantiſſimi Hludeuici Auguſti Domini, ac genitoris noſtri, nec non & noſtra ſempiterna remuneratione, ac proconiugis, prolisque noſtræ charißimæ perpetua mercede curtim noſtra Turegum in Ducatu Almannico, in pago Durgaugẽſi cum omnibus adiacentijs, vel aſpicientijs eius, ſeu in diuerſis functionibus, id eſt, pagellum Uraniæ, cum Eccleſiis, domibus, ceterisque ædificiis deſuper poſitis, mancipijs vtriusq; ſexus, & ætatis, terris cultis, & incultis, ſiluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, adiacentiis, peruiis, exitibus, & regreſſibus, quæſitis, & inquirendis, cum vniuerſis cenſibus, & diuerſis redhibitionibus: Inſuper etiam foreſtum noſtrum Albis nomine & quid quid in eiſdem locis noſtri iuris, atque poſſeßionis iure proprietatis eſt, & ad noſtrum opus inſtanti tempore pertinere videtur, totum, & integrum ad Monaſterium noſtrum tradimus, quod ſitum eſt in eodem vico Turego, vbi ſanctus Felix, & ſancta Regula martyres Chriſti corpore quieſcunt. Quod nobis videlicet eo rationis tenore complacuit agendum, vt deinceps in poſterum ibidem omni tempore ſanctimonialium feminarum ſub regulari norma degentium, vita, conuerſatioque monaſterialis, monaſtico cultu inſtituta, celebretur, & libentius propter huius loci ſupplementum à nobis iam prædictis Martyribus debiti* DEI *famulatus illic exhibeatur, ac pro noſtræ, debitorumque noſtrorum omnium mercedis augmento diligentius, ac vberius Domini miſericordia exoretur. Volumus etiam vt fidelium noſtrorum nouerit beneuolentia, quod paterna pietate commoniti ſupradictum monaſterium, cum omni integritate, vna cum noſtra traditione, in locis præfatis dilectißimæ filiæ noſtræ Hildegardæ in proprietatem conceſsimus, vt quanto, Domino permittente, valeat in eodem Monaſterio, Domino militante, ſuoque dominatui ſubiectam diſciplinis regularibus, & obſeruatione monaſteriali inſtitutione corrigat, & nutriat, locaque ipſa ſibimet conceſſa, quantum vires ſuppeditent, profectibus, & emendationibus augmentando prouehat, ac emen-*

det. Denique iubentes præcipimus vt nullus Iudex publicus, nec Comes, nec quisquam ex iudiciaria potestate in locis præfatis, vel in cunctis rebus ad eadem loca respicientibus, seu homines tam liberos, quam & seruos qui illic commanere videntur, distringere, aut infestare, nec fideiussores tollendo, aut vllas redhibitiones, vel fredas, aut bannos exigendo, aut alicuius iniuriæ vim vllo vmquã tempore inferre præsumati sed sub nostra defensione, & immunitatis tuitione cum advocatis ibi constitutis res illæ securæ per diuturna tempora permaneant. Et vt hæc auctoritas donationis, atq; confirmationis nostræ firmior habeatur, & perfutura tempora à cunctis fidelibus Sanctæ DEI *Ecclesiæ, nostris q; præsentibus, & futuris verius credatur, atque diligentius conseruetur, manu propria nostra subter eam firmauimus, & anuli nostri impressione assignari iussimus. Data* XII. *Kal. Augusti, anno Christo propitio* XX. *regni domini Hludeuici Serenissimi regis in Orientali Franciâ. Indictione prima Actum in Regenespurg in* DEI *nomine feliciter.* Facta interim totâ Germaniâ maximè Rhenanâ annonæ caritas, & fames. Anno octingentesimo tertio & sexagesimo pleraque omnia Heremitarum monumenta MEGINRADVM morte interfectum produnt. Alij varie memorant. Nam Sigebertus euenisse refert anno octingentesimo quinquagesimo sexto. Trithemius, Surius, & Baronius anno octingentesimo sexagesimo. Hermannus Contractus, anno sexagesimo primo supra octingentesimum. Cunradus denique à Liechtenau Vrsbergensis abbas anno octingentesimo sexagesimo secundo. Nostræ, inquam, memoriæ fermè omnes anno octingentesimo tertio & sexagesimo exstinctum adfirmant XII. Kal. Februarij. Nicolaj Magni pontificis anno VI. Ludouici II. Imper. VIII. Salomonis I. Constantiensis Episcopi XXXII. Valtherij Augiæ abbatis VI. Et recte. Nam cùm eius vitæ scriptor annos XXVI. in Heremo obscuræ Siluæ vixisse tradat, & Hermannus Contractus octingentesimum tricesimum octauum notat, quo in eam transijt, putata ex eo annorum ratio ad sexagesimum tertium, annos XXVI. efficiet. De MEGINRADO porrò & eius morte ita supra me-

A. D. N. DCCC. LXIII.

moratus Hermannus. MEGINRADVS *Augiæ monachus, & primus incola Heremi quæ Thuricino adiacet lacui à quibusdam latronibus inibi* XII. *Kal. Februarij peremptus post mortem virtutibus claruit, Augiæque sepultus est. A quo vsque hodie Heremus ipsa à sanctis, & religiosis viris in nobile, & famosum iam dudum excreuit cœnobium.* Et Martinus pœnitentiarius. S. MEGINRADVS *primus incola Heremi quæ Thuricino adjacet lacui à duobus latronibus inibi occiditur.* XII. *Kal. Februarij, & ab angelis lucis suscipitur: & in cœlesti fulget vita Martyr, Presbyter, Monachus, & Heremita.* Cæterum vbi ad Valtherium abbatem MEGINRADI necis nuncius allatus, quæque euenerant percepit, nihil prius habuit, quam sui Monasterij alumnum, multâ jam ante innocentiâ, & sanctitudine, jam quoque martyrio, & miraculis celebrem, & venerandum in Augiam deferre. Missi qui exsequerentur, cum ex Heremi cellâ ad eum quem principio incoluit Ecelij locum produxissent, quocunque conatu adhibito, qua vehebatur rhedam situ dimouere nequiuere. Itaq; facto consilio intestina inibi condidere, & postea facultas facta vltra procedendi, tamquam suæ quoq; habitationis solitariæ primo receptaculo pignus interni amoris supereſſe cuperet, donec ad Augiam ventū est, vbi cætera magna celebritate sepelierunt. Quando inde porro eius sacræ reliquiæ in Heremum redierint, & quibus ex causis in tempore referemus. HEREMVS ab MEGINRADI obitu absq; assiduo colono, & cultu annos quattuor & quadraginta fuit, quibus annis vt instituti operis, & exordij ratio, & continuatio constet, paucis, eodem seruato ordine, quæ euenere per Germaniam subjungemus. Anno octingentesimo sexagesimo quarto Ludouicus rex cum fratre Carolo fœdus renouauit. Valtherio verò succeſſit Heito abbas XV. Eodem tempore corpus S. Othmari, cuius nunc in Heremo multæ reliquiæ, ex Insulâ Veneti lacus ad Monasterium S. Galli, cui primus abbas præfuerat, delatum est. Anno sequenti Ludouicus junior contra patrē rebellauit, quod Carolo manno fratri propensior videretur, illi concessis, quæ in suum dedecus, & detri-

A.D.N. DCCC. LXIV.

A.D.N. DCCC. LXV.

mentum interpretabatur. Sed facilè victus Luitberti Maguntiaci archiepiscopi auctoritate paternam gratiam recepit.

A. D. N. DCCC. LXVIII. Anno octingentesimo octauo & sexagesimo Nicolao pontifice extincto suffectus Hadrianus II.

A. D. N. DCCC. LXIX. Anno octingentesimo sexagesimo nono obijt Placentiæ Lotharius Rex Lotharingiæ. Eius regnum rex Carolus subitò invasit. Sed cum inde graue bellum timeretur, Ludouico Germaniæ rege partem hæreditatis repetente, cum eo Carolus, anno sequenti, conuenit, Lotharingiamque, & Elsatiam, Burgundiamque minorem reliquit, cetera sibi vindicauit, Quæ vtriusq; omnia cùm Ludouicus Imp. Lotharij frater, hæres proinde propior adsereret, ab Ludouico, quæ petierat, obtinuit: Carolus Nortmānici belli prætentu, quæ occupârat, retinuit.

A. D. N. DCCC. LXX.

A. D. N. DCCC. LXXI. A. octingentesimo septuagesimo primo Salomoni I. Episcopo Constātiensi successit Salomon II.

A. D. N. DCCC. LXXIII. Heittoni Rudlo Augiæ abbas XVI. Anno octingētesimo LXXIII. post Hadrianū II. Pōtificatum obtinuit Ioannes VIII. Locustæ ab Orientali in Occidentē vastabundæ irruerunt tantâ multitudine, vt solis lucem excluderēt, magnam primo famem ex agrorum vastitate genuerunt, mox perintereuntium fœtorem pestilitatem, quæ tertiam fermè mortalium partem exstinxit.

A. D. N. DCCC. LXXV. Anno octingentesimo septuagesimo quinto, Excessit Ludouicus II. Imp. & Mediolani in ædæ D. Ambrosij sepultus, multâ de se relictâ memoriâ, & famâ. Carolus Caluus, insitâ ambitione, & cupidine imperandi, continuo in Italiam penitrauit, frustra Alpes tenente Ludouico fratre, occupatisque mortui Imperatoris regno, & thesauris, rectà Romam tetendit, multisq; pecunijs Romanorum gratiam emercatus, Imperator, & Augustus salutatus est, & ab Ioanne pontifice coronatus. Constitutâ mox Italiâ, contra fratrem bellum temerarium parauit.

A. D. N. DCCC. LXXVI. At ille, sequēti anno, cum principum, & populi Gallici precibus dedisset, ne Galliam, fortissimo, quem contra Caroli impotentiam, & vecordiam collegerat, milite, peruastaret, Francofurtum rediens, ibidem V. Kal. Septembris exstinctus est, regni Germanici anno XXXVI. Et Lauresheimensi monasterio sepultus, eximiâ fortitudinis, pietatis, & iustitiæ laude. Eius morte acceptâ lætus,

& victo-

& victoriæ veluti ſecurus, ſubito in Germaniæ fines exercitum Carolus duxit, opidaque apud Rhenum aliquot potitus, acie cum Ludouici liberis decertauit apud Andernacum, turpique, & ignominiosâ fugâ, plurimis ſuorum cæſis, amiſſis etiam caſtris, ſalutem quæſiuit VIII. eidus octobris. Fratres, partâ inſigni victoriâ, regnum paternum diuiſerunt. Carlomannus Bauariam, Pannonias, Carnutum, ſiue Carnithiam, quam corruptè Carinthiam dicimus; Ludouicus Franciam Orientalem, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, partemque regni Lotharij, quæ circa Vbios: Carolus deniq; qui Craſſus dictus eſt, & poſtea imperauit, Allemanniam, Lotharingiam, & quidquid præterea Lotharij fuerat, Heluetiam vniuerſam, pacemq; inter ſe ſacramento ſanxere. Anno octingenteſimo ſeptimo & ſeptuageſimo Carolomānus cōtra patruum in Italiam copias duxit ſaltu Tridentino. Ipſe prœlium haut aſpernatus, & mox conſueto more profugus inter fugiendum dyſenteriâ, ſiue Sedechiæ medici dolus fuit, Mantuæ perijt, Nonas octobris, & Agauni ſepultus eſt. Ex eius morte de Imperij titulo exorta contentio, proceribus Romanis aduerſus Carolum Craſſum pronioribus, & Ioāne pontifice Ludouico Balbo, Calui filio fauente. Sed Craſſus miſſis in Italiam cum validâ manu Lamperto, & Adelberto Comitibus Italiā facilè occupauit, Romanum populum, & proceres ſacramentum adegit. Anno ſequenti Ioannes in Galliam elapſus Ludouicum Balbum Imperatorem coronauit. At cui vita deinceps breuis fuit. Obijt enim Compendij anno octingenteſimo nono & ſeptuageſimo. Et Ioannes ſumto in comitem, & auxiliatorem Boſone Prouinciæ rege in Italiam redijt. Balbi morte Imperium abſque controuerſiâ, aut conſorte, æmulouè Carolo permanſit. Imò plerisque Ludouicus Balbus nullū inter Imperatores nomē habet. Anno octingenteſimo octuageſimo obijt, membris contractis, Carolomānus, relicto Arnulpho ex concubinâ filio, quem Carinthiæ, & Pannoniæ præfecerat. Ludouicus, Bauaria ex fratris morte conſtituta, contra Nortmannos profectus aliquot eorum millia cecidit. Craſſus pariter anno ſequenti, in Italiam exercitum duxit, primò Longobar-

A. D. N. DCCC. LXXVII.

A. D. N. DCCC. LXXVIII.

A. D. N. DCCC. LXXIX.

A. D. N. DCCC. LXXX.

A. D. N. DCCC. LXXXI.

dos, mox paucis diebus Italiam totam in fidem accepit, Romæque Imperator, & Augustus multo populi fauore salutatus, & ab Ioanne pontifice cum Richardâ conjuge coronatus est. Hinc Imperatores Germani, & Imperium Romagermanicum. Ludouicus eodem tempore claram de Nortmannis victoriam reportauit. Sed illi quàm anteà multo infestiores clarissimas Belgij vrbes incenderunt, Aquisgranum, Coloniam, Bonnam, Trajectum, Leodicum, alias plures, & illustria earum partium Monasteria, Prumiam, Stabulum, Indam; contra quos, cùm quia valetudine ipse prohibebatur, exercitum misit, & paullo post, morbo superante, esse desijt, XIII. Kal. Februarij anno octingẽtesimo octuagesimo secundo, & Lauresheimi apud patrem conditur nullâ prole. Nortmanni eius morte liberati metu, & successu audẽtiores Treuerensem ciuitatem inflamarunt, peruagataq; Lotharingia, Valacum Mediomatricum Episcopum occurrere paucis copijs ausum acie interfecerunt, copias deleuerunt. Cunctis hinc euastatis, in munitionem, quã secundum Mosam constituerant, prædâ totius Germaniæ inferioris onusti se receperunt. Carolus obitu fratris quoq;, & crebris suorum literis, & nuncijs in Germaniam ex Italiâ reuocatus Vormatiæ conuentum habuit, factoque ingenti exercitu, in Nortmannos duxit, eosque in eadem, quam tenebant, munitione obsedit, oppugnauit, & ad deditionem coegit. Reges eorum, obsidibus datis, auctore, & præsente Imperatore salutaribus vndis expiati sunt, & in Christianorum numerũ magna omnium congratulatione cooptati, mense Augusti. Anno octingentesimo tertio & octogesimo Ioanne defuncto, siue ab propinquo interfecto, pontificiam in sedem adsumptus est Martinus II. quem Marinum alij vocãt. Carolus eius electione acceptâ, in Italiam, vt cum eo colloquium haberet, profectus est, breui Zuendibaldi Morauiæ ducis rebellione, in Pannoniam, quam vastabat is, regressus ipsum supplicem, & omnia promittentem, in gratiam recepit, rursumq; per Carnutum in Italiam remeans Papiæ natalitios dies egit. Ibidem Italicensium agitato cõuentu Vidonem Spoletanum ducem

A. D. N. DCCC. LXXXII.

A. D. N. DCCC. LXXXIII.

A. D. N. DCCC. LXXXIV.

veniam

veniam deprecantem maiestatis absoluit. Occidit eodem tempore Carolomannus Ludouici Balbi filius nothus, qui post patris mortem regnum Galliæ strenuè administrauerat. Eo mortuo Nortmanni, qui se cum defuncto, non regno pacem, & amicitiam sanxisse jactitabant, in Galliam invasere, & pleraque maritima populati sunt. Vnde proceres regni ad Carolum misêre qui regni coronam deferrent, & contra hostes opem deprecarentur. Carolus ex Italiâ in Galliam transiens regni gubernacula cæpit, Nortmannos repressit, colloquiumque cum Martino initurus Vormatiam concessit. At illum in itinere mors oppressit. Cui suffectus Hadrianus III. Igitur Imperator, anno sequenti, Ratisbonam profectus, ibidem Germaniæ principum belli in Nortmãnos gerendi conuentum fecit. Mox ab pontifice in Italiam invitatus Ticini aliquãdiu substitit. Hinc Peninis Alpibus in Burgundiam delapsus cum Nortmannis parum feliciter pugnauit. Eodem anno, Hadriano exstincto, Stephanus V. Pontificatum maximum adeptus est. Sed anno octingẽtesimo octogesimo septimo Imperatorem, jam quoq; mente per valetudinem alienatâ, pleriqueomnes principes deseruere. Cumq; regno, & tot hostibus capite, & duce opus esset, Germaniæ proceres, comitijs Francofurtensibus, Arnulphum Carolomanni filium regnare iusserunt. Et Carolum Crassum, maiestate, gloriâ, rerum omnium adfluentiâ secundum Carolum Magnum nulli secundum ea inopia, & indigentia inuasit, vt vix quæ victui sunt ab Luitperto Maguntiacensi antistite emendicârit, raro, & commemorabili rerum humanarum exemplo. Arnulpus res in Gallia ex animi sententia composuit. Anni octingentesimi octogesimi octaui initium morte suâ illustrauit Carolus. Obijt Endingæ Allemãniæ vico pridie eidus Ianuarij, trãslatus inde ad Augiam, vbi ante DEIP. MATRIS aram sepultus est, non absq; sanctitatis opinione. Eius mortem Imperij secuta laceratio. Otho enim Ruperti filius Galliæ maiorem partem occupauit. Rudolfus Cunradi filius Burgũdiam: Berengarius Eberhardi filius Italiam, alij alia invasere. Rudho in Augiâ etiam mortuo successit Hatto. Anno octingentesimo

A. D. N. DCCC. LXXXV.

A. D. N. DCCC. LXXXVI.

A. D. N. DCCC. LXXXVII.

A. D. N. DCCC. LXXXIIX.

nono

A. D. N. DCCC. LXXXIX. nono & octogesimo Arnulphus Cæsar Hunnos gentem barbaram, & quorum sæuitiem, & immanem crudelitatem omnes postea pæne, cum plurimarum vrbium exscidio, expertæ gentes, montium vastis molibus Germaniæ Imperio disparatos contra Zuentibaldum Morauum totiens rebellantē auxilio exciuit, eumque ad deditionem coegit. Crebris hinc ab pontifice nuncijs, & literis sollicitatus Italiam ex tot tyrannorum, & improborum factionibus eriperet, conuentum, anno

A. D. N. DCCC. XC. sequenti, Forchtheim agitauit, nec quidquam tunc instituit. Constantiam inde, & Augiam orandi gratiâ accessit. Salomoni II. Constantiensi Episcopo claræ sanctitatis viro, successit Salomon III. eo tempore abbas S. Galli magnæ nobilitatis, & prudentiæ, nec non eruditionis. Annus octingentesimus nonagesimus primus Nortmannorum clade memo-

A. D. N. DCCC. XCI. rabilis fuit. Sæpius illi hactenus ferro, pluriens donis, & muneribus ab hostilitate repressi fuerant, pacem, continentiam promiserant, sed, ingenitâ barbaris leuitate, aut prædæ cupidine, ab Galliæ, & Imperij finibus, & vastitate temperare nequibant. Iam quoque Sunderoldum Mǎguntiacensem archiepiscopum violentiam, & improbitatem eorum coercere conatum acie interemerant, Lotharingiam, & vicina Belgiæ populauerant. Vnde & insignis antistitis cæde, & hostium peruicacia motus Arnulphus, etsi Slauorum bello attinebatur, copias in eos properauit, ingentique animo, & exercitus fortitudine insolentes, & rebus ante gestis feroces, & minabundos inuasit, & prope internicione deleuit, centum eorū millibus desideratis, adeò vt vix qui ad classem nuncium cladis reportarit fuerit repertus. Et ab illo suis se finibus continuere. Sunderoldo archiepiscopo successit Hatto abbas Augiæ clarus ingenio, & sanctitate. Eodem anno, post Stephanum factus pontifex Formosus Portuensis Episcopus, qui mox

A.D.N. DCCC. XCII. sequenti anno Arnulphum, ad suscipiendam coronam, & tyrannos exstirpādos per legatos subitò inuitauit. Anno octingentesimo quarto & nonagesimo tandem in Italiam profectus Arnulphus, mense Februario Insubriam, & regni Longo-

A. D. N. DCCC. XCIV. bardici maiorem partem subiecit. Expugnato Bergamo Am-

brosium

brosium eius Comitem laqueo ex proximâ arbore suspendit, quo supplicio pleriq; territi deditionem fecere, inprimis Berengarius. Constitutâ aliquatenus Italiâ, Peninis Alpibus in Burgundiam contra Rudolfum regem descendit, & eo in firmissima montium receptacula abdito, prouinciam grauiter adflixit. Breui postea Tribuariæ principum conuentu facto in Italiam redijt. Anno octingentesimo nonagesimo sexto Romam tetendit, obseratamque, contra pontificis voluntatem, Lamperti Vidonis filij, & Angeltrudæ matris factione, & opibus, vi expugnauit primus omnium regum, & Imperatorum, & coronam ab Formoso magnâ frequentiâ, & celebritate accepit. Vrbe compositâ, & proceribus sacramento adactis, ad persequendos rebelles copias eduxit. Sed in itinere valetudine tentatus, & per aëris mutationem meliora sperans in Germaniã, re infectâ, properauit. Lambertus, & Berengarius, qui post Imperatoris abitum subitò defecerant, Italiam inter se diuisere, & per tyrãnidem variè exercuerunt. Formoso paullo post defuncto, Sedem Apostolicam inuadit Bonifacius sed qui quintum, & decimum eâ in dignitate diem non est supergressus. Contra enim legitimè acceptatus Stephanus VI. alias VII. nostri ordinis Monasterij Brandalani, implacabili, si scriptoribus quibusdam fides, aduersus Arnulphum Imp. & Formosum antecessorem odio. Fames eadem tempestate, tam dira mortales excruciabat vt nonnulli abs sese rabie, & desperatione dentes abstinere nequiuerint. Eodem ANNO octingentesimo nonagesimo septimo Arnulphus, quia valetudo aggrauabat, sibi & filio Ludouico omnes Imperij principes sacramentum renouare iussit. Stephano Pontifici suffectus Romanus. Anno nonagesimo nono III. Kal. Decembris tandem excessit Arnulphus. Sepultus est Oetingæ apud Patrem Rheginone, qui tum viuebat, teste, aut Ratisbonæ apud D. Emeramum Contracto auctore, multis bellis clarus, & victorijs. Proceres Germaniæ conuentu Forchtheimensi Ludouicum Arnulphi filium puerum septennem regnare jusserunt ANNO sequenti nongẽtesimo. Sed post Arnulphi obitum & successoris ætate multæ nihilo secius toto Imperio ena-

A.D.N. DCCC. XCVI.

A.D.N. DCCC. XCVII.

A.D.N. DCCC. XCVIII.

A.D.N. DCCC. XCIX.

A.D.N. D.CCCC.

tæ turbæ,

tæ turbæ, clades, & miseriæ, maxime postquã Hungari Italiã factionibus, & intestinis diffidijs diuisam, impunè populati, Bauariam quoq; victores aggressi, inaudita crudelitate, cæde, ferro, flama, cuncta permiscuere, interfectorũ sanguinem sibi inuicem propinantes. Has dissensiones, & bella, regniq; Germanici orbitatem, & corruptelam morum haut ineleganti epistola ad Dadonem Episopum deplorat Salomon Constantiensis. Inquit enim

Non mirere, pater, si conflictamur acerbis
Litibus, & pugnis, si motus feruecat orbis;
Sed magè mira putes quod non sint funditus omnes
Et tribus, & populi funesto marte perempti.
Ah, cum non habeant, qui Fac, vel Desine dicat.

Postea

Plura quid his dicam? Desunt vbicunq; regentes:
Disciplina cadit: huic & contraria surgit;
Absque timore quidem nihil esse loquuntur honorem.

Mox de Ludouici pueritiâ ad resistendum impare, animoque hostibus inde adaucto.

Infantilis adhuc perfungens nomine regis
Ætas, nec pugnæ est habilis, nec legibus apta,
Cui Deus indulget regnis, sceptroque potiri,
Sed tenerum corpus, seraque ad fortia vires
Despectum proprijs generant, atque hostibus ausum.

Postremo se ipse quoq; cõsolatur petitis sacrâ exhistoriâ exemplis, & posse etiam rempublicã constare, Rege adolescente, si faueat supremum Numen, Iosiam pro argumento ponit, adiungit Samuelem, & Danielem.

Nobis per Iuuenem veniat benedictio regem
Si rata quam sapiens prodit narratio, codex
Exemplum nobis authentica scriptio ponit.
Monstrans non minimum iuuenili ætate dolendum
Strenuus annorum Iosias rex fuit octo
Cum primum regno fungi capisset auito.

Firma-

Firmatus vero ſenſu ſolidatus, & ævo
Indeptus plenis maturum robur ab annis
Zelo ferventi ſtuduit ſeruire Tonanti:
Inſtaurat templum, comitque altaribus ipſum;
Ordinat officium, diuinâtione dicatum,
Lege monet populum, inſtigat flere reatum.
Scandala dimouit, lucos excindere iuſſit,
Dauid iter vadit, Domino conſtanter adhæſit.
Ex quo profecit, qui puſio regna capeßit:
Quis rogo nunc Iuueni debet diffidere regi?
Dummodo cuncta regens rex regem dirigat ipſe.
Sincerus certè Samuel, Danielq; Prophetæ
Eſſent ætatis pueri cum fortè minoris
Iudicium ſenibus decernunt, Iusque gerentis.
Quædam verba metu poſui, ſolamina quædam,
Vt quem ſollicitet formido, ſpes animaret.

Hæc quidem eo tempore Salomon Epiſcopus illuſtri, vti diximus, virtute, & eruditionis laude præcellens, ſeipſum, & alios ad ſpes meliores exſuſcitans. *A. D. N. CCLX. I.* *Anno* nongenteſimo primo Hungari Bauariam vaſtarunt, commiſſaque ad Licum amnem pugnâ multâ ſtrage cæſi ſunt. Sed illi, compoſitis inſidijs, mox adorti victores, plurimos interfecerunt. Inde Sueuiam, & Franconiam, rabie inſolenti, lacerauere. Eorumdem metu paſſim vici clariores mœnibus contra impetum incluſi foſſis, & munimentis firmati; In quibus Tigurum fuit. Eodem anno Romano defuncto lectus Theodorus II. quo intra viceſimum diem exſtincto, ſubrogatur Ioannes IX. noſtræ inſtitutionis Tiburti Monachus. *A. D. N. CCLX. V.* *Anno* nongenteſimo quinto Ioanne defuncto Benedictus IIII. creatus Pontifex. Quadrageſimus quartus poſt MEGINRADI necē procedebat annus, & Heremus tantiſper fermè abſque cultore aſsiduo fuit, niſi quia apud vicinos ſacri incolæ celebris memoria vigebat, multique qui opem ab eo ſuis in neceſsitatibus perſenſerant, voti condamnati martyris locum, & ob rara inde, & ſupra naturam ſubleua-

menta, & auxilia, quod constituerat ibidem DEIPARÆ VIRGINI Sacellum frequentare solitabant. Sed ex his ad longinquos quoque fama peruadebat. Motus inde *B*ENNO ex regiâ Burgundiæ regum stirpe Canonicus Argentinensis (illum Benedictum ex vitæ sanctitudine postea dixerunt) rerum humanarum despectu, simul vitæ solitariæ cupidine in eam cum paucis socijs recipere se constituit, fecitque anno nongentesimo sexto, Ludouico III. Imper. & Benedicto IV. Pontifice.



S. BENNO EX REGIA PRINCIPVM BVRGVNDIAE STIRPE CANONICVS ARGENTINENSIS, SECVNDVS HEREMI INcola, & postea Mediomatricum Episcopus.

SVB BENNONIS aduentum Cella S. MEGINRADI ætate, & incultu, temporumque iniuriâ, & solitudine loci fermè dilabebatur, Sacellumque religio magis, quàm tecta tuebantur, cetera circùm sentibus, & arbustis aspera, & densa prorsus ad pristinam vastitiem penè cuncta redierant. Igitur vbi BENNO loci ingenium satis perspexit, situsque ex opportunitate Cænobio idoneum maximè iudicauit, ad Comites Rapersuillanos, in quorum Dominatu tota solitudo erat, te-

tendit, vtq; eorum beneficio, & consensu eam colere, & mansuefacere liceret obtinuit. Ita Sacellum primo instaurauit, mox S. MEGINRADI cellam habitamentis adauxit, pluresque eò amicos, & familiares incolendæ, & frequentandæ Heremi invitauit, & perduxit. Vicina hinc perpurgare orsus, erutis, & exustis arborum, & truncorum radicibus, campū satis amplum, vulgò Bruel nunc vocant, patefecit. Obiectum pariter montem, quem ex eius vocabulo Bennau posteri nuncuparunt, cultus patientem reddidit. Nihil denique intermisit, vnde solitudinis asperitas mitesceret, & incolendi desiderium cresceret. Anno nongentesimo septimo Benedicto IIII. sublectus Leo V. nostri ordinis, sed quē sede, & dignitate quadragesimo die exuit Christophorus quē maximis honoribus cumulauerat. Mox tamen Christophorum quoq; Romani expulere, subrogato, anno sequenti, Sergio III. Anno nongētesimo nono, Hungari qui hactenus cum Bauaris, Francis, et Thuringis luctati, magnas sæpe clades acceperāt, dederantq;, in Allemāniam progressi sunt, eamq; magnam partem populauere. Sequenti anno, cum sedem Apostolicam per vim Sergius triennium occupasset exstinctus est, & Anastasius III. Pontifex creatus. Anno nongentesimo vndecimo, cum iam maximam de se spem fecisset Cæsar Ludouicus, immatura morte sublatus est, ætatis octauo & decimo. Cum eo desijt in Germaniâ Caroli M. stirps mascula. Et dubium non erat quin jure hæreditatis regnū ad Carolum Galliæ regem, cui ex moribus Simplici cognomentum fecerunt, perveniret, sed Germaniæ proceres, Fritislarienſi conuentu, cum illi vix animus, aut ingenium, auctoritasuè Gallicis rebus moderandis adesset, metusque ex Hungaris fortiorem rectorem exposceret, Cunradum Cunradi F. Franciæ Orientalis ducem, Hessiæ, et Veterouiæ Comitem prouincialem, qui ex Ludouici regis sorore genitus, ex sanguine Caroli M. eam partem erat, regnare jusserunt. Eodem prope tempore Burcardus I. Allemanniæ dux dum suorum conuentum celebrat, per tumultū obtruncatus est. Erchingus, cuius fraude cecidisse crediderunt, et maximas opes vtraq; Acronij ripā, Bodmæque palatio

A.D.N. CCLD. VII.
A.D.N. CCLD. VIII.
A.D.N. CCLD. IX.
A.D.N. CCLD. X.
A.D.N. CCLD. XI.

regio

regio propter eundem lacum, sedem habebat, Ducatum invasit. Anno nongentesimo duodecimo Cometa præclarior solito effulsit, translati, aut mutati documento Imperij, an Rudolphi I. Burgundiæ regis nuncius mortis, qui insigni virtute, & fortitudine proauitum Burgundiæ regnum restituit, & ad posteros feliciter transtulit. Erat Cunradi filius, Hugonis nepos, qui Ducatum Ligerinum, nunc Aurelianum vocant, post Robertum Fortem adeptus, magna laude administrauerat, insigni dum vixit in regno Galliæ auctoritate. Rudolfo successit Rudolfus II. F. Et Hungari initâ apud flumen Aenum cum Bauaris, & Allemannis pugnâ, magnâ clade repressi sunt. Eodem anno, Anastasio succesit Cando, quo modico interjecto tempore terris, & dignitati subtracto, nominatus Pontifex Ioannes X. Anno sequenti, Hattone Maguntiacẽsi Archiepiscopo, & Augiæ abbate defuncto, substitutus abbas Hugo. Anno nongentesimo decimo quarto, Christi dies natalitios Cunradus Cæsar Constantiæ apud Salomonem egit. Inde Arbonam, & ad D. Galli monasterium, cuius Salomon etiam abbas erat; concessit, & in religiosorum numerum, suffragiumque inseri voluit, bona quæcunque Stamheimi imperialis juris supererant, nam aliam partem multo ante Carolus Crassus Imper. largitus erat, Monasterio consignauit. Erant iam ante Erchingo, & Berchtoldo eius fratri, priusquam Allemanniæ Ducatum occuparent, crebræ cum Salomone de jurisdictione contentiones, gratiamq; ab Arnulpho eiusdem Episcopi precibus obtinuerant, sed posteaquam à Cæsare Stamheimensem accepisse vicum, quem sibi vindicabant, & arce supra conditâ, obtinebant, tum verò multo acrioribus aduersus eum odijs exarsere. Et forte obuiam factus de injuriis cum quereretur, & regiâ donatione nixus res repeteret, multis contumelijs oneratum, cùm parum abfuisset, quin gladio Luitfridus Erchingi nepos trajecisset, in vincula ad Dietboldi burgum Algouiæ opidum abripuere. Eo in opido agitabat Berchta Erchingi coniunx impotens, & multâ superbiâ femina, Salomoni ante omnes infensa, & ideò visum vti ad eam maximè abduceretur, quæ non solùm accu-

A. D. N. CCLO. XII.

A. D. N. CCLO. XIII.

A. D. N. CGLO. XIV.

ratius custodiret, sed etiam ex animi arrogantiâ, & irâ acerbius haberet. At illa vbi perpetratum facinus accepit nō modo indoluit, & certum domus inde suæ exitium adfirmauit, sed Episcopum humaniter acceptum, quam honorificentissimè pertractauit. Fratres haut ignari futuri, primò Duelli Hegouiæ castrum munitissimum, dein & ceteras arces vicinas præsidijs, & commeatibus firmauere, factoque milite in armis euentum expectauere. Tertio postremò die nuncius de patrui captiuitate ad Sigfridum egregiæ virtutis iuuenem perlatus est, & is subitâ manu gnarus duces negligentius se habere per insidias de nocte hostes incautos oppressit, multos cecidit, Erchingum, Berchtoldum, & Luitfridum cæpit, & recta Dietboldi burgum deduxit. Iam ad Berchtam de suorum clade fama peruenerat, multisq; precibus ab Salomone contenderat, sui beneficij memoriam teneret, parceret etiā mariti temeritati, & iniurijs, promisitque omnia, quâ integritate erat, episcopus. Igitur aduenienti cum captiuis Sigfrido obuiam profecti, & habito vtrimque colloquio, cum ducibus Salomon, quantum in se fuit, veniam vltro iniuriarum feciſſet, magna omnium lætitiâ, & congratulatione V. Kal. Septembres reuersus est. Sigfridus suos esse captiuos dictitans, neque, nisi Cæsaris voluntate, quem non minus offenderint, soluturum, Duellium, quod se subito post Dietboldi burgum dediderat, transportauit, Berchtâ cum mundo muliebri ad suos deducta. Hugone eodem anno mortuo, Thietingus Augiæ præfectus. Anno Nongentesimo decimo quinto, Cunradus audito quæ cum Salomone euenerant, perspectaq; fratrū, & nepotis tyrannide, quibus ob Allemanniæ Ducatum jam haut minimum infestus erat, conuentum Maguntiacum indixit, principumque sententiam super admisso facinore perrogauit. Maiestatis condamnati omnium suffragijs, bona vniuersa beneficiaria, & hæreditaria confiscata, frustra proijsdem clementiam regis, & iudicum deprecante Salomone. Habiti post hanc sententiam, & ante quam supplicio adficerentur, diu tamen in eadem Duillienſi custodiâ. Heremi perpurgandæ, & excolendæ, illustrandæq; nauiter interea BENNO in-

A. D. N. CCLD. XV.

NO incumbebat, pluresque ad vitam solitariam suo exemplo attrahebat, sed quia situs admodũ asper, & horridus, omnisq; melioris arboris infæcundus erat, antistitã Sanctionensem accessit, & ab eâ Vfnouiam lacus Tigurini insulam vicinam, & amœnam beneficio perpetuo impetrauit. Eam mox omni felici arbore, & elegantiori cultu expoliuit: fructus, & cetera inde emolumenta Cellæ S. MEGINRADI, seruato nihilominus Sanctionensis Ecclesiæ jure omni beneficiario, dedit, & consignauit. Id postea jus beneficiarium Otho I. Imp. redemit, & HEREMITIS concessit, eius loco alias possessiones Sanctionensibus attribuit, beneficium, & vsum, in dominium vertit, vt postea videbimus. Loci relligione, & BENNONIS propinqui amore, eodem tempore, excitatus Adelbero Basilienſis Episcopus ad MEGINRADI cellam & ipse inuisit, probatoque eius maximo opere pietatis studio, & cura illustrandæ solitudinis, quo magis impensæ suppeterent, & in propinquum, Cellamque venerationem suam testaretur, Sierns Elsatiæ Superioris nobilem vicum hæreditarium BENNONI, & eius loci successoribus proprium fecit, quidquid in eo juris ab maioribus habebat liberè, & munificè resignauit, Cellæ S. MEGINRADI perpetuum esse iussit. Huc etiam BENNO quæcumque ab parentibus acceperat contulit. Et hæc quidem S. MEGINRADI Cellæ incrementa prima, & firmamenta exstitere, principes isti benefactores, & liberales, pijque fundatores, & inde, et postea HEREMI frequentia, et facultas copiosior, et maior fuit. Thietingo successit in Augiâ Heribertus. Anno nongentesimo decimo sexto, posteaquam Cunradus capitis damnauit cum fratre, et nepote Erchingum, Allemanniæque, quem occupauerat, Ducatus sine ductore fuit, cum prouincia per incerta imperia tumultuaretur, nec esset qui compescere posset, aut auderet, et postremò omnes certum præsidem postularent, Allemanniæ ducem nominauit Burcardum eius nominis II. Rhetiæ Curiensis Comitem, illique super imperialem in Allemanniâ jurisdictionem, & dominium quidquid Erchingo, & eius factioni beneficij, aut proprietatis fuerat cõcessit, dote, & patri-

A.D.N. CCLO. XVI.

monio Berchtæ Erchingi coniugis receptis. Præfuit Allemanniæ annis x. Atque is fuit, qui Allemanniæ Ducatum, quem ante ipsum ceteri duces titulo magis, quam possessione, aut jure tenuerant, in eximium splendorem euexit, multaque potentia stabiliuit. Eius coniunx Regulinda fuit insignis ætate, & virtute femina. Erant per ea tempora præcipui Germanici Imperij duces, & principes Heinricus Saxoniæ, & Thuringiæ Othonis F. Eberhardus Franconiæ regis Frater, Burcardus, de quo diximus, Allemanniæ, Arnoldus Bauariæ, Giselbertus Lotharingiæ. Anno nongentesimo Septimo decimo. Etsi nullas intermittebat interea Salomon Episcopus preces, quibus Erchingi, & ceterorum liberationem procuraret, totusque in eo esset, adhibito etiam in parte duce Burcardo, & tertium iam annum viuos retineret, tamen Cunradus incorruptus iustitiæ patronus, & quia plura alia principum eorum præter dignitatem, & imperij decus admissa, memoriâ retinebat, sententiam procedere iussit, ductosque ad villam Endingam Erchingum, Berchtoldum, & Luitfridum plecti capite imperauit XII. Kal. Februarij. Excisa postea funditus Bodma arx, & palatium, et si quæ eorum firmiora, aut insigniora monimenta, aut munimenta erant, & quæcunque eorum nomen, aut memoriam referrent abolita. Super ea quæ memorauimus, arcem Bodmensem rex peroderat, quod in ea Varinus, & Luithardus quondam D. Othmarum primum S. Galli abbatem multis cruciatibus adfecerant, & denique insulâ Veneti lacus, vocabulo Voerd, incluserant, multaque inde fanda, nefanda in sacri Ordinis viros, tamquam è fonte, promanarant. At Hungari primo in Bauariam vastabundi irruerunt, obuiamque deinde in Allemannia factum Vlricum Buochhorni Comitem magnæ fortitudinis, & opulentiæ, illâ tempestate, virum, suis omnibus interfectis, cæperunt, & in Hungariam captiuum miserunt. Hinc vltra progressi, & victoriam secuti pleraq; diripuerunt, aut incenderunt. Rheno quoque superato, Basileam vrbem nobilissimam, cum plerique incolarum in montes, & siluas aufugissent, subiectis ignibus inflamarunt, ingenti prædâ in Hungariam redierunt.

A.D.N. CCLϽ. XVII.

Vindil-

Vindilgardis Vlrici coniunx, marito tanquam prælio interfecto, etsi plures ob formam, et virtutem matrimonio appeterent, viduitatem vouit, et ad S. Gallum cum Adelhardo vnico filio concesit, ab Salomone sibi prope S. Vibrodæ cellulam habitatiunculam ponere, vitamque DEO viuere, posità, et abiectâ rerum humanarum curâ, liceret, obtinuit, velumque continuo sumsit, Adelhardo ad agnatos, qui curarent, remisso. Anni nongentesimi decimi octaui initio, quia ex principum antè dicto supplicio dolor perpetuus Salomonem excruciabat, veluti eorum exitij caussam ferret, tamquam expiaturus Romam abijt, multaque animi demissione ab Ioanne pontifice culpæ, si quam in eâ nece haberet, gratiam orauit. Pontifex non solùm humaniter accepit, sed S. Pelagij Martyris insuper sacris reliquijs, quia eo die ex custodiâ Dietboldi burgi egressus erat, victoriamque de hostibus tantam reportârat, honorauit, quas summâ veneratione Constantiam detulit, & inter Episcopatus Diuos tutelares S. Pelagium inseri voluit. Hungari rursum Allemanniam, Elsatiam, Lotharingiam solitâ insaniâ populauere. Accessit principum contra regem rebellio, concitatore maximè Burcardo duce, qui accepti ab eo beneficij, & dignitatis ingratus Giselbertum, Arnoldum, Heinricumque sollicitauerat. Hos is prudentiâ iuxta & fortitudine, profligato primo Arnoldo, Giselberto ad officium reuocato, facile in ordinem redegit. Sed cum sibi ex valetudine vitæ, & imperij adesse postrema persentiret, nec mares filij essent, anno sequenti, primoribus, qui tum aderant, postposito priuato odio reipubl. & Imperij dignitati, auctor fuit Heinricum Saxonem, regem dicerent, cuius fortitudinem, & integritatẽ, quamquam in inimico, præ ceteris prædicabat, & admirabatur, accitoque fratre Eberhardo, continuo illi regni insignia, quæ ad Saxonem deferret, tradidit. Ipse Kal. Iulij extinctus est. Proceres, probato eius consilio, Heinricum comitijs Fritislarienssibus regem salutarũt. Cognomentum illi Aucupis additum, quod ornamenta regia deferentes inter aucupium ex inopinato reperissent, siue quia eo maximè oblectabatur. Discesserat multò ante, Nonis scilicet

A. D. N. CCLO. XVIII.

A. D. N. CCLO. XIX.

Ianuarij

Ianuarij Salomon Constantiensis Episcopus, & S. Galli abbas, egregiæ apud reges quatuor Carolum Crassum, Arnulphum, Ludouicum, & Cunradum, & ceteros principes auctoritatis, & æstimationis. Præfuit Episcopatui, vti & abbatiæ annos xxx. quo tempore erant in monasterio monachi presbyteri XLII. Diaconi XXIV. Subdiaconi XV. Nouitij XX. Sed præter S. Gallum multa alia monasteria administrauit Campodunum, Fabariam, Eluangam, alia. Eius adhuc ingenij præclara extant monumenta in bibliotheca nostra, S. Galli, & Constantiæ. In Episcopatu successit Nothingus. Ceterum vbi Cunradi excessum Rudolfus Burgundiæ rex accepit, Turgouiæ, quæ Heluetiæ pars quarta, & in qua Heremus, ducatusque Allemanniæ est, reliquis tribus, quas possidebat, adijciendi spe, continuò in Allemanniam duxit, Vitodurumque antiquissimum Turgouiæ opidum obsedit, expugnauitque. Illum Burcardus dux obuiam profectus cum valido Allemannorum exercitu non modò ab obsidione remouit, sed aciem ausum profligauit, & in Burgundiam repulit. Hac victoria Burcardus elatior, & quasi virtute, & opulentiâ regibus par, aut potior, Heinrici Imperium detrectare, eum præ se aspernari, militemque in armis continere, alios quoq; principes in partes trahere cæpit. Sed cum omnium erga Saxonem fauorem, & consensum, maximum etiam exercitum contrà parasse videret, præsentia, & certa, futuris, & incertis postremò ante habuit: Heinricoque obsequium, & fidem promisit Vormatiæ, præsentibus Herigero archiepiscopo Maguntiacensi, Adeluardo Episcopo Vormatiensi, Richuino Argentinensi, Valdone Curiensi, Thietingo Constantiensi, Vlrico Comite Rhetiensi, & in primis Rudolfo Burgundiæ rege. Heinricus, vt eâdem operâ Rudolfum, & Burcardum reconciliaret, huic auctor fuit regi tradendæ filiæ Berchtæ, Rudolphumque adfinitate deuinciendi. Quod & perfecit. Regiæ nuptiæ magnâ frequentiâ principum ibidem celebratæ. Anno nongentesimo vicesimo secundo Heinricus Hungaros Bauariam, Allemanniam, Saxoniam etiam vastantes, cum se voto Simoniacam hæresin, si victoriam reportasset, exstirpa-

A. D. N. CCLD. XXII.

turum

turum obstrinxisset, propè internicione deleuit apud Meresburgum. Eodem anno contra Berengarij tyrannidem vocatus est in Italiam Rex Rudolfus, qui eâ, profligato prælio hoste, breui potitus est. Anno nongentesimo vicesimo quinto Vitgerus Mediomatricum Episcopus vitâ sepultus est, singulari integritate, & virtute, & ob id ciuibus suis, quos temporum licentia, & petulantia, luxusque corruperant, inuisus, & offensus. Electionis participes cùm omnia circum spexissent, sanctitate, eruditione, & exemplo, nobilitatis quoque splendore Episcopatui qui præclariùs præesse posset BENNONE potiorem reperêre neminem. Ipse, cum qui aduenerant legatis aliquandiu restitisset, quippe qui se ideò ad Heremum transisse adfirmaret, vt procul ab strepitu, & hominum consortio, contagioq; vitam quietam, & puram viuere posset, postremò, relictis qui interea S. Meginradi Cellam, & DEIparæ Sacellũ curarent, & attributis ex Vfnaugia & Sirnicio ad vitam tolerandam necessarijs, invitus, & obluctans ad ciuitatem Mediomatricum delatus est, cum jam nonũ & decimum Heremum incoluisset annum. Frodoardus auctor est Heinrici Cæsaris auctoritate Episcopatui præfectũ. Eodem anno Burcardus Dux in Italiam genero opẽ contra rebelles Italicenses profectus Hungarorũ sæuitiæ vacuam prouinciam reliquit. Illi relictâ ad eius discessus nunciũ Augustæ Vindelicorum obsidione, in Allemãniam properarunt, & primò Buochornium tentârunt. Quod vbi frustra euenit, ad S. Gallũ digressi sunt. Aufugerant cum Engelberto abbate plerique in arcem propter amnem Sintriam in Abbatiscellanorũ regione sitam, carioraq; eo comportarant, illam armis, si hostes oppugnarent, defensuri, debiliores Vassenburgum dimiserant. Hungari Monasterium expilarunt, Viborodam virginem quæ in suâ cellulâ inclusa orationibus, & diuinis exercitijs intenta remanserat, nec vllo inde modo remouere se voluerat, martyrio adfecerunt. Constantiam inde recesserunt, suburbia incenderunt, reliqua peruastarunt, Augiam quoq; diripuerunt. Anno nongentesimo vicesimo sexto Burcardus copias cum Rudolfo genero coniuncturus Mediolano Nouariam versus

A. D. N. CCLO. XXV.

A. D. N. CCLO. XXVI.

discessit;

discessit; Sed confidentius, an incuriosius, siue neminem sibi obsistere posse, aut audere præsumebat, quam hostium fraudes, & insidiæ suadebant. Itaque aliquantum progressus in manum rebellium incidit, qui de improuiso invasere, fortiterque repugnantem, suffosso equo, interemere, pluribus vtrimque desideratis. Reliquit Burcardus ex Regulindâ Burcardum filium admodū puerum, &, quam diximus, Berchtam. Memorant vetera nostri monasterij documenta alium quoque Regulindæ ducissæ filium fuisse Adalricum, siue Alaricum, qui, hoc tempore, Eremiticam in Aufnauu lacus Tigurini insulâ vitam viuebat, de quo memorabilia Hepidannus priore libro quem de beata Vuiborada Virgine composuit, quæ paullo ante, vt notauimus, martyrium subierat. Cum enim eiusdem beatæ Virginis virtutes egregie celebrasset, quoque postremo eam modo Salomon Episcopus Constantiensis apud S. Gallum incluserit, adjungit. *Quali igitur parsimonia quatuor per annos inibi se affecerit loqui arduum videtur, quia vbi de magna virtute, atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisq; facilia facto putat, æquo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit. Erumpe tu quæso potius, Alarice serue* DEI: *dic quid caput Ecclesia præceperit te demandare membro suo. Cur me, frater, ea attemptare cogis quæ tu, vt conijcio, videns quosdam iuxta Apostoli præsagium à veritate auditum auertisse, aggredi detractas. Mihi, domine mi, vt nulla virtute prædito loquenti virtutes discredunt: respersi verò dulcedine tuæ sanctitatis libentes tibi præbent auditum. Nam & maioris potentiæ visus gener Aratæ regis Baptistam sciens virum iustum, & sanctum, non solum eum libenter audiebat, verum etiam eo audito multa faciebat. Papæ! cessent, obsecro, grauia exempla. Nam quamuis ad loquendum confortent, nobis tamen minoribus multum est audire ad comparationem summi in natis mulierum, neque vulgus vrbanè nescius loqui audet conscendere solium tetrarchæ, nisi quod vtrobiq; in hac apologia tutis auribus depono, propter detrahentes, consului, quibusque exemplis cessantibus, agnoscere me hic debitorem eius promendæ sanctitatis, quod*

Dominus

Dominus diuinæ illius congregationis me primum post se dignatus est intimum eligere. Ego Adalricus minimus seruorum Christi decreui me pro eius nomine in quadam insula Turicini lacus solitarium persistere. Ergo, me inibi consistente, quadam nocte, Quid me cogis frater loqui, quo me indignum hæc audientes possunt reputare: angelico adfatu huiuscemodi verbis ammonitus sum. In monasterio S. Galli, cellâ quadam in montibus constructa, scias quamdam virginem DEI *consecratam in eius seruitio fideliter perdurantem: Ad hanc fidelem legatum ista mandata portantem dirigas: Vna quæq; arbor siue fructuosa, siue infructuosa, dum viua terrâ radix tegitur, in viriditate poterit permanere, & fructibus, vel frondibus se obducere: at si terram, quæ foueat, abesse contingat, nudatâ radice, necesse est vt arbor arescat. Quapropter à* DEO *ammonita parcas tibi aliquid de nimia abstinentia, quatinus aridum corpus plus aliquid solito reficiens eius seruitio, & laudibus plenius insistere prævaleas. Magnam sane ostendis, Alarice, Virginis parsimoniam cum Deum prædicas huic allegasse temperantiam. Nam labores Paulli, regiratio Laurentij ostendũt eum posse pati electos suos multum probari. Sed & tibi non desunt testes, & bis refici iussus Propheta sub iunipero, & turba Dominum triduo sustinens: postremo vniuersitas cui educitur panis de terra, ne ei in itinere huius vitæ desint viatica. Quid si & illud miraculum in testimoniũ sumatur? Nosti cum prædictus à te lacus in tantum proluit, vt plurimi dies transirent, quam nauigando eum nullus intrare auderet, & cum tu iam pene fame consumptus ad orationem confugeres, persona quædam apparens panem, vinumque capiti tuo imminere indicauit, quibus refocillatus conualuisti tuo, frater, arbitratu. Scientia veritatis terret Alaricum huic testimonio refragari, imperfectio meritorum dissuadet eum hæc affirmando prædicare. Tuum est enim potius hæc annunciare maxime cum ad gloriam Vuiboradæ tuæ non parum sint respicientia.* De Alarico vero suo loco plura. Heinricus Cæsar Vormatiensi conuentu Allemanniæ Ducatum tradidit Hermanno Franconiæ, Hessiæ, & Ve-

terouiæ Comiti prouinciali, Gebhardi filio, Cunradi I. regis patrueli, claræ virtutis, & integritatis principi, illiqúe Regulindam Burcardi viduam copulauit quam dote ad eum Comitatum Verdenbergenſem in Rhetiâ, & multa alia detuliſſe volunt. Vdo, & Cunradus fratres Franconiam, Heſſiam, & Veterouiam, ceteraqúe paterna tenuere. Agebat iam ſecundum annum in Mediomatricum Epiſcopatu BENNO ſed ſanctius, & ſeuerius quàm diſſoluti eorum mores patiebantur. Itaqúe non minus odium, quam cui ſucceſſerat, incurrit. Neque ſic tamen ceſſabat frequenti concione, & ſermonibus ſcelera eorum palàm, priuatimque redarguere, totusqúe in eo erat, vitæ, & factorum aliam rationem vti induerent, dignosqúe pœnitentiâ fructus proferrent. Mouit haut paucos. Reliqui maximè qui ab nobilitate, & opibus, & ex vtroqúe licentiâ modeſtiam, & metum exuerant, irâ, & furore, vecordiaque, concitato tumultu, in eum, anno ſequenti, impetum faciunt, vinculisqúe, & catenis onerato oculos, ne vltra eorum improba facinora intueri, & inde improperare quiret, perfodiunt, ſedeque, & vrbe proturbant. De BENNONE, quæ diximus, ignorauerit, an vltro & tacite omiſerit Hermannus Contractus non adfirmauerim, ſubnotauit, ſuper antiquiſsima Heremi noſtræ ſcripta manu, in paucis qui ad Rheginonis chronicon ſupplementum addidit. *Eodem*, inquit, *Anno, 925. Vitgerus Epiſcopus obyt, cui Benno ex ordinaryis Strasburgẽſibus in alpibus quondam heremiticam vitam ducens, ſucceſſor eligitur.* Mox, *Anno Dominicæ incarnationis, 927. Benno, qui Benedictus epiſcopus dicitur, à Metenſibus excoecatur, & Synodo apud Duisburgenſes habito, omnes eius facti auctores excommunicantur, & Adelbero nobilis pro eo Epiſcopus inſtituitur.* Meminit & Frodoardus, *Benno*, inquit, *Metenſis Epiſcopus inſidiis appetitus, euiratus, luminibusq; priuatus eſt.* Sed Henricus quoque Cæſar, miſſo milite, de facinoroſis graues pœnas, et meritas ſumi voluit, pluresque impietatis eius compertos capite damnauit, ſeuerum ſe iudicem, et tanti ſceleris vindicem præbuit. BENNO tantâ injuriâ, et calamitate animo haut

mo haut quaquam destitutus, rursus in Heremum quam ægrè deseruerat, quam semper pectore infixam circumtulerat perduci se curauit, quamuis Mediomatricum pars maior, et melior vtroque ex ordine vehementer ne se, tamquam orphanos, benignus pater derelinqueret deprecarentur, in eaque, insigni innocentiâ, patientiaque quidquid fuit vitæ reliquum peregit. Augiæ, eodem anno, factus abbas Luithardus, et anno nongentesimo vicesimo nono Ioanni successit Leo VI. mox Stephanus VII. Etsi verò, vti retulimus, primus apud Heremum socios Benno habuit, quæque ad cultum, quæque ad victum, suis, amicorumque, & fautorum opibus curauit, longe tamen EBERHARDVS illustrator, & conditor Princeps habitus. Eius aduentus in Heremum annum notauit cum curâ Cõtractus. *Anno nongentesimo tricesimo quarto Eberhardus Argentinensis Præpositus primus incola Cellæ* MEGINRADI *venit*, quo tempore, Constantiæ Nothingo Episcopo defuncto, *Cunradus genere, & vitâ prænobilis præsul ordinatus quadraginta vnum per annos illam nobiliter rexit Ecclesiam*, eodem scriptore teste.

A. D. N. CCIↃ. XXIX.

A. D. N. CCIↃ. XXXI.

A. D. N. CCIↃ. XXXIV.



S. EBERHARDVS EX COMITIBVS FRANCONIAE,

HESSIAE, ET VETEROVIAE PROVINCIALIBVS PRAEPOSITVS ARGENTINENSIS, tertius Heremi incola, & primus Abbas.

VBI PRIMVM *cum magno apparatu*, vt ait idem Hermannus Contractus, & diuino admonitu, Angeloque ductore, & inductore, vt noſtra habent monumenta, & teſtatur etiam Ioannes Trithemius ad Heremum EBERHARDVS aduectus eſt, amplis facultatibus, & hæreditate opulentâ, ſtatim ad noui, & ampliſſimi monaſterij, Baſilicæque in honorem, & nomen DEIPARÆ MATRIS, diuique Mauritij Legionis Thebaicæ principis, & ſociorum ſtructuram, & conditionem animum applicauit.

plicauit. Locus, ſicuti & tota ſolitudo Comitum Rapersvillenſium erat, illi percolendi licentiam, & vſum, vt diximus, BENNONI fecerant, poſſeſſionem, & dominium non dimiſerant. Quamobrem, vt quod agitabat exſequeretur liberius, & præclarius, auctor EBERHARDVS fuit Hermanno conſanguineo, aut, vt alij credunt, fratri, cuius in Allemanniæ Ducatu Raperſuillenſis Comitatus erat, Heremum totam pacto, aut precio ab Comitibus vindicaret, nouoque, quod moliebatur, monaſterio deſtinaret, facileque impetrauit. Ita monaſterij, & templi auguſtiſſimi, quo Deiparæ virginis ab Meginrado primo conditum, & cultum, poſt ab Bennone inſtauratum, manifeſtaque cælorum Reginæ præſentiâ celebratum Sacellum incluſit, jacta fundamenta, magna ad hoc eiuſdem Hermãni ducis ope, & liberalitate. Tertius Heremi cultor erat Eberhardus vnde increbuit paſſim loco denominatio, AD DIVÆ VIRGINIS MARIÆ HEREMITARVM. Quem morem ſecuti regum, & Imperatorum diplomatum ſcriptores, & priuilegiorum, inſertis etiam plerumque primorum fundatorum nominibus. Iis enim plerisque inſcribitur Monaſterium IN SILVA, & MEGINRADI, aut MEGINRADES CELLA, etiam ECCLESIA S. MARIÆ IN CELLA S. MEGINRADI, aut MONASTERIVM S. MEGINRADI CELLA NVNCVPATVM. Item COENOBIVM SILVESTRE MEGINRADES CELLA VOCABVLO. Poſt EBERHARDI obitum etiam EBERHARDES CELLA. Poſtremò MONASTERIVM HEREMITARVM THEVTONICE EINSIDLEN. Eodem anno, Heinricus Cæſar Hungaros Saxoniam ingredi auſos, ſpecie repetendi tributi, ingenti clade adfecit, tributum quod exigebant, per Eccleſias, & loca pia diuiſit. Sclauos eadem molientes ſubegit, & vectigales reddidit. Othonem filium ſucceſſorem deſtinauit, eiq; Aeduardi Anglorum regis filiam, Hetgidim collocauit, mox etiam regni conſortem fecit. Anno ſequenti, ſucceſſit Ioanni Leo. VII. Anno nongēteſimo triceſimo ſexto Heinricus fortis, & impiger Romanorum rex multis partis victorijs, regni non modo conſeruatis, ſed etiam auctis terminis, vitæ curſum

A. D. N. CCIↃ. XXXV.

A. D. N. CCIↃ. XXXVI.

gloriosè expleuit VI. Nonas Iul. Quinctilijburgi virginum à se condito monasterio sepultus. Proceres regni quem designarat Othonem filium, cum jam biennium cum patre rerum summæ præfuisset, imperare porro iussere. *H*einricus frater Ducatum Saxoniæ,& post etiam Bauariæ obtinuit. Esse quoque desijt, & regnare Rudolfus II. rex Burgundiæ Nonis Septembris anni insequentis, & apud D. Mauritij Agauni sepultus. Reliquit ex Berchtâ Burcardi II. Allemanniæ ducis F. Cunradum regem cognomento ex moribus Pacificum, qui successit, Rudolfum ducem, Burcardum archiepiscopum Vesontionensem, & filiam sui æui feminarum præclarissimam Adelheidim, quæ, primo matrimonio, Lothario Italiæ regi juncta: post Othoni Imper. Cellæ S. MEGINRADI, vti videbimus, patronam se præstitit beniuolentissimam, & liberalissimam. At verò Hungari, cognita Heinrici morte,& principes regni intestinis agitari dissidijs, acceptas ab eo velut vlturi clades Bauariam, Franconiam, Allemanniam præda, ferro, igne per furorem crudelissimè vexârunt. Rhenumque traiecti Elsatiam, & Lotharingiam, Belgicamque, eâdem vesaniâ, peruaserunt. Inde in Italiam delati, ingenti factâ cæde, strage, & vastitate, in Pannoniam, sanguine, & prædâ satiati redierunt. Anno sequenti, ex Hungarorũ vastitate, magna exorta rerum omnium inopia, grauique Burgundia minor præcipuè, & Elsatia, Germaniæque superiora, annonâ adflictabantur, multique famis cruciatibus occidebant, alij ea rabie ferebantur, vt, cum omnia fœda, & insolita absumsissent, ne humana quoque carne abstinerent, quo maior sollicitudo EBERHARDVM tenuit,ne & sibi adiunctis aliquid deficeret, & simul vt ne vicinis grauis, & importunus per necessariorum flagitamenta haberetur,aut rursum immisericors, si quæ superabant, egentibus abnegasset. Sed, eâdem tempestate, frustra se niti ratus, nisi, quod instituebat monasterij corpus, nobili juuentâ, tamquam animâ vegetaret, firmaretque, magnum eximiæ indolis adolescentium numerum exciuit, eosq; non solum imbuit antiquâ religione, & pietate, & D. Benedicti P. N. legibus, & institutis, quæ in per-

A. D. N. CCLJ. XXXVII.

A. D. N. CCLJ. XXXVIII.

petuum

petuum isthic valere voluit, quando S. MEGINRADVS primus HEREMI cultor eiusdem ordinis fuisset, sed litteris quoque, & politioris doctrinæ ornamentis excoluit. Et principio pauci suâ sponte, & vitæ solitariæ cupiditate, mox tanti viri auctoritate, exemplo, & admonitu plures concessere, ætate quoque jam grandi, & annis maturâ, inter quos Thietlandus fuit Burcardi II. quondam Allemanniæ ducis, vt pleriqúe tradiderunt, frater. Scio Contractum, & ephemerides antiquas notare eiusdem Thiethlandi aduentum septimo post anno. Sed non is fuit, verùm communicatæ cum eo Monasterij curæ, vti posteà videbimus Ex hoc verò rectè Eberhardum primum incolam Cellæ Meginradi idem quoque Contractus vocauit, quatinus primus fuit, qui eam monachorum, & religiosorum cætu maximè celebrauit, quique nobili, & pio sanctissimorum virorum collegio, multos per annos, dignitate Abbatis, quamtumuis non inuncti, egregiè præsedit. Anno nongentesimo tricesimo nono, ciuile inter fratres exortum bellum. Heinricus enim æmulus Imperij, instigantibus, & simul opes pollicentibus Eberhardo Palatino Rheni, Giselberto Lotharingiæ duce, adiunctis etiam Mediomatricum, & Argentinensium Episcopis, contra fratrem coniurauit. Sed Otho ex inopinato Eberhardo, & Giselberto, ductu Hermanni ducis Allemanniæ, & fratrum eius Cunradi, & Vdonis auxilijs, oppressis, & interfectis, castello etiam Brisiaco, in quo Palatini opes consistebant, dedito, breui omnia pacauit, recepto in gratiam fratre, Lotharingia quoque Gallos expulit. Anno nongentesimo quadragesimo, tandem BENNO, siue Benedictus, secundus Heremi cultor, & instaurator, vitâ solutus beatorum adauxit numerum III. Nonas Augusti. Illum Eberhardus ante Sacellum DEIPARÆ Virginis, quod S. *M*eginradus ædificârat, multis lacrimis sepeliuit. Quartus & tricesimus annus agebatur, quâ Heremum ingressus erat, omnesque ibidem pietatis exercitijs absumserat, duobus, quibus Episcopatui Mediomatricum præfuit, exceptis. Cuius stemmatis fuerit haut pro certo edixerim. Nostra scripta, & monumenta ex regum Burgundiæ posteriorum stirpe fuisse

A. D. N. CCLD. XXXIX.

A. D. N. CCLD. XL.

adfirmant. Claro, & nobili genere oriundum, ex eo clarum argumentum quod *Argentinenſis Eccleſiæ* fuerit *ordinarius*, ſiue Canonicus, vt nunc vocant, quæ dignitas, & ordo, ad noſtra quoque tempora, ſolum illuſtribus familijs in illa Eccleſia patuit. Burgundiæ tres reges vidit Rudolfum I. qui regnum inſtaurauit, Rudolfum II. & Cunradum Pacificum. Eodem anno Regulinda cum Hermãno duce marito erga Heremitas munificentiâ certatura, vbi monaſterij progreſſum, & DEO ibidem famulantium multitudinem percognouit, quo ad ſumtum neceſſaria exſtarent, Caltbrun in Caſtris, & Stæfe, Lindouiumque pagi Tigurini vicos hæreditarios Eberhardo, cum omnibus ad eos pertinentibus, donauit, Sacellum pro ſe, & poſteris in ſuperiori Baſilica ibidem ædificauit, in quo etiam poſtea ſepeliri voluit, benignam ſe, & monaſterio maximopere fauentem probauit. Sed & auctor filio Alarico fuit, vt, relictâ eâ, quam jam multos annos incoluerat, Vfnaugiæ inſulâ, in monaſterium noſtrum ſe conferret: locum mutaret, non propoſitum, aut affectum, heremita heremitis ſe coniungeret. Atque is tunc materno vſus conſilio, apud noſtros deinde Cuſtodis officium obiuit. Supplementum adjunxit ex eiuſdem ſuæ coniugis dote, & voluntate Hermannus, conſignauitque Heremitis Gambs Comitatus Verdenbergenſis, Campſonem Rheti antiquo vocabulo dicunt, & Vtvuillariam, illum in Rhetia, hunc pagi Tigurini vicum. Leoni ſucceſſit Stephanus VIII. dictus IX. Germanicæ nationis omnium primus. Sol ſanguinem per aliquot dies manare viſus. Anno nongẽteſimo quadrageſimo primo, Heinricus rurſum, concitis nonnullis Saxoniæ proceribus, contra regem fratrem conſpirauit. Coniuratione detectâ, ipſe Ingelheim in cuſtodiam traditur, coniurati capitis damnantur. Anno ſequenti, Rudberti Maguntiacenſis Eccleſiæ diaconi ope cuſtodiâ liberatus, Othoni Francofurti natalicia feſta agitãti, & ad ſacra miſſarum officia antelucanò tendenti cum ad genua ſupplex accidiſſet, delicti, & rebellionis veniam ſecundò impetrauit. Otho, primo vere, in Lotharingiam duxit. Ibi cum Ludouico Galliæ rege colloquio habito, pacem, &

A. D. N. CCIↃ. XLI.

A. D. N. CCIↃ. XLII.

amicitiam,

amicitiam, mox & adfinitatem contraxit, datâ Gerburgâ sorore in connubium, Giselberti ducis viduâ. Anno nongentesimo quadragesimo tertio post Stephanum factus pontifex *M*artinus III. quem Marinum nonnulli vocant. Anno nongentesimo quinto & quadragesimo multis per ædificiorum, & totius conuentus necessitudines impedimentis, cum minus, quàm ab initio quæsierat, optaratque sibi, & vitæ solitariæ, ab turbis remotæ, ac dissitæ vacare liberum foret, consortē, & adiutorē sibi Eberhardus Thietlandū sumsit, magnâ integritate; & prudentiâ virum, illiq; fabricæ, & ceterorum curā commendauit; Ipse se ab negotijs ad rerum diuinarum contemplationem penitius insinuauit. *H*inc est quòd, veluti omninò abdicasset, & dignitatem à se remouisset, Thietlandum *primum* nominat Contractus *abbatem*, cum tamen ex Othonis Imper. diplomatis satis constet, Eberhardum, quamdiu superfuit, abbatis munus, & honorem gessisse, nec, nisi defuncto, in nomen, officiumque integrum Thietlandum successisse. Anno nongentesimo quadragesimo sexto, prodiderant Franciæ quidam proceres Nordmannis Ludouicum regem, qui eum custodia incluserant. Eius rei indignitate, & maximè Gerburgæ sororis magnis, & crebris precibus, exercitum Otho in Galliam duxit. Sunt qui fuisse legiones viginti, alij ampliorem etiam numerum prodidere. Eo milite pleraque coniuratorum castella, opida, ciuitates, prouincias in potestatem redegit, Ludouicum libertati, regnoque, & sorori reddidit, formidabilem perduellibus, exteris nationibus magnum se, & admirabilem præstitit. Placatâ Galliâ, in Germaniam, ineunte auctumno, reuertit, sub Octobris finem comitia Francofurti celebrauit. Ibi eum Hermannus dux conuenit, vtquè ab Eberhardo, & à se recens conditum in honorem DEIPARÆ MATRIS, diuique *M*auritij, et sociorum Heremitarum monasterium, in suam, & Imperij protectionem perpetuam susciperet, potestatem monachis legendi abbatem inter se, post Eberhardi obitum, quemcunque vellent, faceret, ab omni jurisdictione externâ, ipsum monasterium, et ei adnexos vindicaret, eximeretque: Illa ab-

batum,

A.D.N. CCLO. XLIII.

A. D. N. CGLO. XLV.

A.D.N. CCLO. XLVI.

batum, et Conuentus libera, et æterna essent, postremo ijsdem priuilegijs, et immunitatibus, quibus alia fruũtur, vtuntur monasteria augeret, et illustraret, precibus contendit, et meritorum suorum respectu, simul loci, Heremitarumque religione, et reuerentiâ haut difficulter obtinuit. Diplomatis exemplum infra posui.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuina auxiliante Clementia, Rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet, & futurorum solertia. Qualiter Hermannus Dux deprecatus est nostram clementiam, quatenus pro Dei amore, loco, qui vocatur Mehinratescella, ei à quibusdam suis fidelibus in proprietatem tradito, vbi dominus Eberhardus Heremita, Ecclesiam in honore sanctæ Mariæ, & sancti Mauritij, ceterorumq; Sanctorum DEI, *ipsiusq; adiutorio, à fundamentis ædificauit, & cetera ædificia monachis ad habitandum construxit, quem & modo ille nobiliter regit, & monachis præest,* DEO *ibi sub regulari disciplina militantibus, priuilegium nostræ auctoritatis, atq; immunitatem, quam & ceteris monasteriis concessam habemus: electionemque concederemus. Cuius petitionem benigne suscipientes ob amorem Domini nostri* IESV CHRISTI *nostræque mercedis augmentum, iussimus hoc auctoritatis, atque immunitatis priuilegium conscribi, Per quod volumus, firmiterq; iubemus, vt, post obitum venerabilis præfati Abbatis Eberhardi, monachi eius, qui superuixerint, monachicamq; vitam,* DEO *auctore, in præfatâ Cellâ obseruauerint, ac illorum successores, amodo, & deinceps firmissimã teneant potestatem eligendi quemcumque inter eos Abbatem voluerint, Et vt nullus ex iudiciariâ potestate cõstitutus aliquã super eos exerceat potestatem, vel super eorum causſas, seu super familias intus, vel foris concessas: sed eiusdem Cellulæ Abbas potestatiuè cum suis monachis ad illorum necessarios vsus firmiter possideat absque vllius contradictione: Et sub nostrâ defensione, & immunitatis tuitione res illorũ perpetualiter permaneant, ad illorũ, vt supra diximus, necessarios vsus. Et vt hæc auctoritas*

huius

huius immunitatis, ac confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, & diligentius obseruetur, manu propriâ subter eam confirmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus.

Signum domini Ottonis invictissimi Regis.

Brun Cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recognouit. Data VI. Kalen. Nouemb. Anno Dominicæ incarnationis DCCCXLVI. *Indictione IIII. Regnante domino Rege Ottone, Anno* XII. *Actum Franconefurt. In* DEI *nomine feliciter. Amen.*

Qui post secutus est annus, principio Othoni flebilis fuit Hetgidis Reginæ excessu. Eam magno suo, & omnium prouincialium luctu Magdeburgi à se conditâ ciuitate nobili monumento composuit VII. Kal. Februarij, vitæ sanctitate adeò præstantem, vt miraculis post obitum claruisse testetur Ditmarus eius temporis scriptor illustris. Habuit ex eâ Luitolfum, cui haut multò post admodum adolescenti, tamquam mœroris lenimento, Itam Hermanni ducis filiam, frequenti procerum conuentu, & celebritate coniunxit. Eumdem Hermannus, patris permissu, & auctoritate adoptauit hæredem, & successorem destinauit. Genuit & Luitgardam vnicam filiam Cunradi Ducis cõiugem. Erat Hetgidis Aeduardo Anglorum rege genita, Edmundi tunc regnantis (Adelstano is fratri successerat) & Gregorij, qui in Heremo nostrâ Principatum, vti videbimus, tenuit, soror. Eodem prope tempore obijt Berchtoldus Bauariæ dux. Otho quo sibi magis deuinciret, omnesque mouendi occasiones tandem præcideret eumdem Ducatum Heinrico fratri donauit. Is tali, & tanto beneficio, gratum se, & obsequentem deinceps ad extremum vitæ præstitit. *M*artino successit Agapetus II. Sed haut minor supra memorati Luitolfi erga Heremitarum monasterium fauor, & obseruantia, quam parentis in priuilegiorum largitione gratia, & benignitas fuerat. Itaque anno nongentesimo quadragesimo octauo, veluti priuilegia honori, & ornamento,

A. D. N. CCLD. XLVII.

A. D. N. CCLD. XLVIII.

namento, ceterum in rem, & commodum haut æquè proficerent, ab Othone patre impetrauit, adsumto in petitionis societatem Hermanno socero, quæ in eiusdem Hermanni Comitatu Verdenbergensi, vico Quadrauedis, Grabs nunc vocant, Regij iuris essent, eorum omnium donum, & gratiam Heremitis faceret, perpetuumque esse Monasterij iuberet, eâ ratione, non modo illorum necessitudinem subleuaret, sed singulari se fauore adficeret. Otho vtriusque & Luitolfi filij charissimi, & Hermanni Ducis fidelissimi preces haut aspernatus, eorum super flagitatione, & sollicitatu has Diplomatis literas edidit.

IN Nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuina auxiliante Clementia, Rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum præsentium, atque futurorum sagacitas. Qualiter nos pro remedio animæ nostræ, & æternâ remuneratione, admonitione, ac suggestione filij nostri Luitolfi, ac Herimanni Ducis, quasdam res iuris nostri in Comitatu eiusdem Ducis Herimanni Rhætiâ, in villâ Quadrauedes nominatâ, Sanctæ DEI *genitrici* MARIÆ, *& Sancto Mauritio martyri, ac ceteris Sanctis, quorum iuge obsequium in Silua, & in loco Meginrates cella, ab* EBERHARDO *heremita, cum ceteris fratribus, in eodem loco, monastica religione celebratur, perpetualiter in proprium concessimus: Id est, Ecclesiam nostram, cũ decimis suis, & vniuersis pertinentijs illuc legaliter aspicientibus: Necnon & terram Dominicam, cum omnibus in prædicta villa ad nostram Regalem potentiam pertinentibus: Id est, curtilibus, ædificijs, censibus, terris, agris, pascuis, siluis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, piscationibus, vijs, & inviis, mobilibus, & immobilibus, & in omni seruitio. Iussimus quoque inde hoc præsens præceptum conscribi, per quod volumus, firmiterque iubemus, quatenus memoratus* DEI *famulus* EBERHARDVS, *& ceteri fratres, ac successores eorum, nunc, & deinceps in ipso loco militantes, stipendia illorum ibi melioranda de supradictis nostræ largitionis rebus, ac*

locis,

locis liberam, & æternaliter obtineat potestatem, manu propriâ nostra firmatum, annuloque nostro sigillatum.

Signum Domini Ottonis invictissimi Regis.

Brun cancellarius ad vicem Friderici recognouit. Data IX. Kalen. Februarij, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLVIII. *Regnante Serenissimo Rege Ottone, Anno* XIII. *Actum Franconefurt. In Domino feliciter. Amen.*

Mense Iunio sequenti, celebrata Synodus Engelheimensis sollicitatu Agapeti pontificis propter dissensiones ortas inter Hugonem Franciæ ducem, & Ludouicum regem, interq; Artaldum Rhemensem Episcopum, & Hugonem illicitè substitutum eius vrbis præsulem. In eâ inter plures Germaniæ Episcopos interfuit Cunradus Constantiensis Episcopus.

Sed iam reliqua ad vsum ædificia, templumque monasterio, pro loco, & facultatibus amplissimum, quo ab S. Meginrado structum DEI PARÆ Sacellum insigni mole circumdederat, includeratque, curâ irremissâ, & impensâ, operarumq; assiduis laboribus promôrat eo Eberhardus, vt consecrari possent. Itaq;, ineunte Septembri, paratis omnibus ad eam rem necessarijs, ad Cunradum Constantiã misit, quando eius Episcopatus terminis monasteriũ, templumq;, & Sacellum consisterent, eorum ad consecrationem venire ne grauaretur. Inuitatus etiam antiquam ob necessitudinem, & amicitiam, moremque ab Apostolicis temporibus receptum, Vldaricus Augustæ Vindelicorum Episcopus. Vtrumque comitati plures primæ nobilitatis totius prope Germaniæ superioris viri, magnus concursus vicinitatis factus, tantorum virorum reuerentiâ, simul & loci, cuius religionem, & celebritatem, iam latè sparserat fama, invisendi, colendique desiderio pertrahebantur. Haut paucos EBERHARDI, & monachorum inibi agitantium sanctitatis opinio, alios etiam propinquitas sanguinis attraxerat. Adpulit ad Heremum Cunradus Idibus eiusdem mensis, nouoque in monasterio diuertit. Nocte, quæ secuta est, cum, solito more, circa eius medium

orationis caussâ surrexisset, melodiam longè suauissimam auribus excepit, cumque magis, magisque animum, mentemque intenderet, certissimo animaduertit, angelos cantum eumdem, & ordinem, ceremoniasquè in Sacelli DEIPARÆ, cuius caussâ aderat, consecratione habere, quæ, dedicationibus Ecclesiarum, Episcopis vsurpentur. Audiere eadem, & percognouere haut pauci monachi, alijque nonnulli, quos precum, & meditationum studium idem tempus intentos, & vigiles attinuerat. Ipse Cunradus cerimonias, his verbis, libro quem de Secretis secretorum inscripsit, posteritati prodidit, quæ inserere operæ precium putaui, rei miraculo, simul tanti viri fide, & quia illa sola ex eo volumine facti raritas, an potius DEI benignitas conseruauit, & posteris testimonium dicere voluit. *Descendit*, inquit, *Dominus de cælis, casulâ violaceâ ante altare ad sacrum officium celebrandum, cui quatuor Euangelistæ infulam capiti eius imponentes, &, more consueto, deponentes. Angeli aurea thuribula deferebant, alis suis, vt ramis arborum, flabant. Iuxta Dominum S. Gregorius flabellum in manu tenens, S. Petrus in manu tenens baculũ pastoralem: Sanctus vero Augustinus, & Ambrosius stabant ante Dominum.* MARIA *Virgo ante altare stabat splendida, sicuti fulgur. Sanctus Michael præcantor erat. Sanctus Stephanus legit Epistolam, Beatus Laurentius Euangelium. Sanctus cantabatur sic. Sanctus* DEVS *in aulâ gloriosâ virginis miserere nobis. Benedictus Mariæ filius in æternũ regnaturus qui venit. Agnus Dei sic. Agnus* DEI *miserere viuorũ in te credentiũ, miserere nobis. Agnus* DEI *miserere mortuorũ in te pie quiescentium, miserere nobis. Agnus* DEVS *da pacem viuis, & defunctis in te piè regnantibus. Dominus vobiscum. Respondebant angeli. Qui sedet super Cherubin, & intuetur abyssos.* Hactenus D. Cunradus supra memorato libro, de ijs, quæ, eâdem nocte, cognouit. Verum, cæptâ luce, quam Exaltationis S. Crucis memoriâ, & honore illustrauit, Ecclesia ea in feriam V. inciderat, anno bissextili, paratis ad manũ necessarijs, magnâ attentione, omnibus Cunradum præstolãtibus, ipse solus cunctari, morasq; nectere, neque interea Sacello pedem

efferre,

efferre, ibidem fixus, immobilis, attonitus inhærere, & obstupiscere, donec ad meridiem iam tempus vergeret. Tum verò omnes vrgere, sollicitareque qui aderant antistites, solennitatem tandem, & officia inchoaret, promoueretq;, & cessandi finem faceret, neq; vltra tantum mortalium conuentū distineret. Ille adhuc causas obtēdere, an aliud signum exspectare. Deniq; quid audisset, quid perspectum haberet, paucis ostēdit. Ibi verò tum omnes veluti vana, & tamquā cælestium ex meditatione nata somnia memorātem reprehendere, objurgare, postremo ad sacrorum ministerium, & consecrationis opus, illis posthabitis, impellere, & cogere, donec cūctis, re inopinatà, perculsis, & exhorrescentibus, cælestem delapsam vocē CESSA, CESSA, FRATER, DIVINITVS CAPELLA CONSECRATA EST, ter omnes audierunt. Ex eo certa fides, & Cunradum vera cognouisse, & Sacellum DEIPARÆ cælitus dicatum, & consecratum esse, nemo postea dubitauit. Quæ tum tantorum virorum præsentiâ, & testimonio comperta, & merito credita, crebriora inde, & huc vsque confirmarunt miracula. Igitur Cunradus, Sacello, vbi initium consecrationis facere instituerat, egressus, comitantibus, qui præsentes erant, & DEVM, DEIQVE Genitricem magnificantibus, basilicam porro Sacello circumiectam, solitis ceremonijs, in nomen, & titulum Sancti Mauritij, et sociorum, ita EBERHARDO postulante, consecrauit, dedicauit. Mox ad sua quisque alius alio reuersi rei gestæ notitiam longè, lateque diffudere. Angelicæ consecrationis meminit etiam Hermannus Contractus hoc anno. *Capella*, inquit, *in Cœnobio S.* MEGINRADI *cælitus consecrata est.* XVIII. *Kalen, Octobris.* Itemque Martinus pœnitentiarius qui ante annos trecentos scripsit, vbi Othonis I. Imperium memorat. *Eodem tempore*, inquit, *Capella S.* MEGINRADI *in prædicto Cœnobio Heremitarum Constantiensis Diœcesis cælitus est consecrata* XVIII. *Kalen. Octobris, sancto Cunrado Constantiensi Episcopo hoc testante.* Cuius testimonium postea Romani Pontifices, suâ quoq; auctoritate, et Bullis, sæpius hactenus, vti suis locis videbimus, adprobauere.

Verùm enimuero, vt huius anni prima, mediaque Heremitarum monasterio vtilia, glorioſa, & ad mirabilia euenerunt, ita poſtrema, exemplo rerum humanarum, quæ inſtabiles, dubiæ, promiſcuæ, triſtia, & moeſta fuere, Hermanni Allemanniæ ducis inſignis patroni, & magnam partem fundatoris morte. Nam & fundum ipſe primus in quo monaſterium ſitum, totamque ei ſubiectam heremum ab Comitibus Raperſuillanis redemit, & propinquo, ſiue fratri EBERHARDO in monaſterij ædificium, & vſum donauit, Gambſonem, Vtuillariamque quà ex ſuâ, quà vxoris proprietate, eodem contulit, multa præterea, dum vixit, beneficia noſtris exhibuit. Exceſſit vitâ IV. Idus Decembris, cum Allemanniæ annos XXII. præfuiſſet. Otho Cæſar Luitolfo filio Ducatum commiſit, quem generum, mox & heredem, vti ſupra retulimus, Hermannus dilegerat. De Hermanno præclarum apud Contractum teſtimonium, hoc anno eodem. *Hermannus*, inquit, *dux Allemanniæ, qui prouinciæ ſibi creditæ cultum, habitum, mores, & inſtituta, multum, vt fertur, honeſtauerat, defunctus, Augiæq; in Capella S. Kiliani ſepultus eſt, & Luitolphus filius regis Othonis, vir omnium ſui temporis vniuerſo populo acceptiſsimus, dux pro eo à patre conſtitutus eſt.* At Regulinda duobus maritis Allemanniæ Ducibus orbata, tertio ſponſo ſe ſubito adjunxit, ſed puro, immaculato, immortali. Abiectâ enim rerum omnium ſecularium curâ, & pompâ, in eamdem, quam reliquerat, filius Alaricus inſulam Vfnaugiam ſe extemplo cum paucis contulit, ibique quidquid vitæ reliquum fuit Chriſto Domino ſeruiuit, & quo commodius, ac relligioſius poſſet, ſacellum primò Diui Martini Epiſcopi titulo, in ſuum maximè vſum, & ſeceſſum, exſtruxit: poſt etiam ædem maiorem in conuicinorum, & ſubditorum vtilitatem, & bonum ædificare incepit. Anno nongenteſimo, quadrageſimo nono, celebrauit dies natalitios Francoforti Otho, vbi cum ad eum, & quæ apud Heremum geſta paullo antè erant, perlatum eſſet, & ſimul Adamum nobilem Rhetum, non multo prius, publico Iudicio majeſtatis condemnatum, eò perfugiſſe, mutataque in melius vitâ, Mona-

A.D.N. CCLO. XLIX.

chum in-

chum induisse, magnaque ibidem innocentiâ, & pietate agitare, his tantis, & tam insolitis rebus permotus, non modo majori adfectu cœpit Heremitas nostros amplecti, sed loci quoque, & ordinis veneratione Adamo vitæ, & sententiæ gratiã fecit, bona, & possessiones, valle Drusiana, vulgò Valgeuu, in Rhetiâ, sitas, aliaq;, quæ Iudicum decreto in fiscum redacta erant, eidem restituit. Illa ab eo deinceps Adamo ad Monasterium peruenere. Diploma huius rei datum Francofurti Kal. Ianuarij felici ineuntis anni auspicio. Eius exemplar infrà scriptum est.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuinâ auxiliante Clementiâ, Rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum præsentiũ, quam etiam futurorum sagacitas, Qualiter nos, pro remedio animæ nostræ, vel etiam dilectissimæ coniugis nostræ beatæ memoriæ Etgidis, quasdam res proprietatis nostræ, iudicio Scabineorum, pro cuiusdam viri commissu, nomine Adam, modo vero DEI *famuli, nostræ regalitati iure fiscatas, denuo eidem in proprium concessimus, legem etiam, vitamq; suam, pro æternæ remunerationis præmio perdonauimus, resque proprietatis, quas præfato Adæ in proprium tradidimus, in his locis nominatis sitæ sunt, Senouio, in Sline, in Meilo, in Nezudra, in Cise, in valle Trusianæ. Illud vero prædium quod inibi iam pridem habuit, atque possedit, hoc nostræ auctoritatis præcepto cum omnibus appendicijs, & adiacentiis suis, iustè, legitimeque illuc ad præscripti Adæ prædium pertinentibus iure perenni in proprietatem relaxauimus, manu nostrâ firmato, annulique nostri impressione insignito.*

Signum Domini Ottonis invictissimi Regis.

Brun cancellarius ad vicem Friderici Archicapellani recognouit. Data Kal. Ian. Anno Domini DCCCCXLVIIII. *Indictione VI. Regnante Serenissimo Rege Ottone Anno* XIIII. *Acta Franconefurt. In Domino feliciter. Amen.*

Sed huius temporis prospera GREGORII Egmundi, vt diximus, Angliæ regis fratris, & Othonis Cæsaris ob Etgidim defunctam coniugem adfinis, in Heremum aduentus cumulauit. Alia monumenta, & scripta manu eiusdem Othonis ex sorore nepotem fuisse tradunt. Sed propius verum fuisse Etgidis fratrem Aeduardo natum. Anglum fuisse omnes consentiunt, præcipuæ quoque stirpis, & familiæ auctor, & testis Contractus, qui *nobilißimum* vocat, & hunc eius in Heremum accessus annum cum curâ notat. Ita enim scribit, *Anno nongentesimo quadragesimo nono Gregorius sanctus pater, ac nobilißimus venit.* At is primo voti caussâ profectus Romam, cum apud Cælium montem aliquamdiu hæsisset, solitudinem meditans, & captans locum, vbi curis mundanarum rerum liberatus DEO, cui se totum vouerat, regiæ splendore stirpis, & dignitatis abiecto, & præ cælestium amoribus contemto, soli, vnique tradere se, & toti adhærere posset, inde porro versus Germaniam iter incæpit, in Angliam deniq; rediturus. Illo in itinere, quæ in Heremo, anno præcedenti, acciderant, simul loci ingenium, Eberhardi disciplinam, & sanctitudini coniunctam claritatem, & cetera, quæ cupiebat, angelo reuelante, percognouit. Eo igitur recta animum, viamque direxit, duce, & comite quodam, quem haut dubiè Numen, & eadem relligio obtulerat. Vtrumque Eberhardus summâ humanitate tum amplexus, Gregorium postea ob singularem integritatem, & eruditionem inter primos habuit, cuius præiudicium, & auctoritatem reliqui deinceps tanti fecerunt, vt, vnanimi suffragio, vt videbimus, omnibus imperare, & præesse iusserint. Notauit etiam in ellogio S. Eberhardi idem Trithemius. *Habuit*, inquit, *secum* EBERHARDVS *Gregorium quemdam presbyterum Regis Angliæ filium, virum magnæ sanctitatis, eiusdem conuersationis, & habitus, quem etiam, diuinâ vocatione, illuc nouimus aduenisse.* Quod de *diuinâ vocatione* adserit, meminerunt etiam vetera nostra monimenta, & cum Gregorius in Cælio monte Romæ agitaret, tertiò totidem noctibus cælitus admonitum, vt inde Heremum Nigræ siluæ concederet, manifesto

testantur.

testantur. Paruisse, & supremam inibi postremo dignitatem obtinuisse. Eodem anno, Hungari in Italiam penitrarunt, prædas vndiq; multas egerunt, nec nisi pecuniæ ingenti summâ excessuros jurarunt. Eam pecuniam quam penderet Berengarius, qui cum Lothario Hugonis filio regnum Italiæ, æquali prope iure, partiuerat, pari crudelitate extorsit, neque Ecclesias, neque pauperum necessitates excepit, cuius rei indignatione, & dolore ita Lotharium adfectū ferunt, vt phreneſi correptus, anno exeunte, vitâ defecerit, relictâ Adelheide coniuge, Rudolfi II. regis Burgundiæ filia, Cunradi tum regnantis sorore, cui, dotis nomine, Ticinum, cum eius Comitatu testamento legauerat. Sed, Lothario mortuo, statim totius Italiæ regnum animo hausit Berengarius, cuius compotem haut se satis ratus, nisi antiquam eius teneret regiam, anno sequenti, Adelheidim filio Adelberto sponsam popoſcit, cùm illa abnuisset, quod per beniuolentiam non potuit, vi occupauit, reginamque, capto, & in potestatem redacto Ticino, in arcem Canusinam profligauit, se Augustum, filium Cæsarem nominauit. Adelheidis Othonis regis auxilium, & arma contrà flagitauit, sui coniugij, & Italici regni spes, & opes ostentauit. Et ipse non iam eius modo, sed omnium prope Italiæ principum, & Agapeti præcipuè Pontificis continuis precibus sollicitatus, qui Berengarij tyrannidem Italiæ dignitatis, Romanique Imperij indignam ferre vltra non poterant, maximo exercitu, anno nongentesimo, quinquagesimo primo, Italiam, Tridentino saltu, ingressus, breui magnam eius partem subiugauit, Adelheidim custodiâ exemit, pacatisque penè turbis, cum eâ magnâ posteà Heremitarum fautrice, & patronâ, Ticini nuptias celebrauit, ineunte anno sequenti. Inde primo vere, relicto, qui Berengarium, & belli relliquias persequeretur in Italia Cunrado genero, cum parte maximâ copiarum in Burgundiam per Peninum (nunc Majorem S. Bernardi montem vocant) Adelheidis petitione, quæ Berchtā matrem, & Cunradum fratrem inuisere in Burgundia cupiebat, transijt. Superato Penino, Agaunum cùm peruenissent, Vldaricus Augustanus Episcopus, qui in co-

A. D. N. CCIↃ. L.

A. D. N. CCIↃ. LI.

A. D. N. CCIↃ. LII.

mitatu Cæsaris erat, à Præposito monasterij S. Mauritij auctoritate, & licentiâ Manfredi Sedunensis Episcopi brachium S. Mauritij, & alias eius Sacræ legionis relliquias impetrauit, quas eiusdem Diui nouæ apud Heremitas, quos vnicè colebat, basilicæ offerret, & suæ perpetuum obseruantiæ monumentum poneret. Brachium id argento incluſum, & lapillis precioſis ornatum opere penè rudi, ſed ſanctiſſimi martyris cultu, & tanti Epiſcopi dono, antiquitate quoque admodum venerandum, cum admiratione nunc quoque, & reuerentiâ oſtenditur. Ex Burgundiâ Otho cum coniuge in Allemanniam, & Auguſtam Vindelicorum peruenit. Illic conuentum frequentem Germaniæ principum, & Italorum, cauſsâ belli Hungarici, agitauit. Eo quoque adductus cum Adelberto filio Berengarius, vinctis manibus, ſe ad Cæſaris pedes projecit, gratiamque, quam petebat, non modo obtinuit, ſed Italiæ etiam ſuo nomine adminiſtrationem. Sed beneficij mox, veniæque immemor, atque ingratus, aut acceptam cladem Italicis primoribus imputando, multò atrocius graſſari, & aduerſus omnes ſæuire cæpit. Durante conuentu Auguſtano, dux Luitolfus Heremitarum fautor, & curator præcipuus Cæſarem patrem acceſſit, vtque vicum Lielach ſui Comitatus Briſiacēſis, qui vicus Guntrami Comitis fuerat, &, publicâ provinciæ ſententiâ fiſco adiudicatus erat, Sacello DEIPARÆ MATRIS conſecraret, daretque deprecatus eſt. Cæſar in eius gratiam, & petitionem hoc reſcripſit.

IN Nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, DEI *fauente Clementiâ, Rex. Nouerint omnes fideles noſtri præſentes ſcilicet, & futuri, Qualiter nos per interuentum dilecti filij noſtri Lutolfi, animæque noſtræ remedio concedimus, atq; offerimus Eccleſiæ Sanctæ* DEI *genitricis* MARIÆ, *quæ conſtructa eſt in loco, qui dicitur Meginrates Cella, & ibi* DEO *ſeruientibus Heremitis, quemdam locum Lielah nominatum, qui nobis de rebus Gundrammi, populari iudicio, in Regiam, rectamq; venit veſtituram, cum omnibus vtenſilijs ad eumdem prædictum locum pertinentibus, mobilibus, & immobilibus,*

quæſitis,

quæsitis, & inquirendis, agris, pratis, vinetis, & mancipiis. Eâ videlicet ratione, Quatenus serui DEI *in loco prælibato conuersantes, iam prædictum prædium, quod constat esse in pago Brisachgouue, in Comitatu filij nostri Lutolfi, per succedentia temporum curricula, secure, & quiete fruantur, omnium hominum contradictione remotâ. Et vt hoc nostræ auctoritatis præceptum firmum, inconuulsumq; permaneat, manu propriâ roborantes annuli nostri impressione subter iussimus sigillari.*

Signum domini Ottonis invictissimi Regis.

Hugbert Cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognouit. Data V. Idus Augusti. Anno vero Dominicæ incarnationis DCCCCLII. *Indictione X. Anno vero Regni Ottonis Regis* XVII. *Actum in Augustburg.*

Circa hæc ferme tempora obijt Vfnaugiâ in Insulâ Ducissa Regulinda cum prope quinquennium in eâ omnibus pietatis, & sanctimoniæ officijs, & exercitijs peregisset. Quidquid Feficone, Stefæ, Volruuiæ possederat, Adalrico, filio & hinc nostro monasterio testamẽto reliquit. Eberhardus abbas, & Adalricus inde, quatenus nondum, quam exstruere cæperat, Ecclesia consecrata erat, in monasterium nostrum transportandam curauerunt, proprioque Sacello condidere, non sine magnâ sanctitatis opinione. Haut multo postea, relicto Custodis officio, ad eamdem insulam Adalricus redijt, siue vt materna ædificia commodius absolueret, aut, quod magis crediderim, solitudinis maioris desiderio, & amore.

A.D.N. CCLD. LIII.

Anno nongentesimo quinquagesimo tertio, orta inter patrem, filiumq;, varijs de caussis, controuersia in bellum erupit, magno totius regni per partes dissidio. Accessit præcipuus belli incentor, & Cæsaris inimicus Cunradus dux Franconiæ, qui non contentus Germaniam pene vniuersam ad rebellionem conuertisse, Hungaros quoque ad arma vocauit, qui Noricum, Bauariam, Allemanniam, Galliæ quoque magnam partem populati, per Italiam triumphabundi in Pannoniam regressi sunt. Cæsar perduelles primo Maguntiaci, post Reginobur-

A. D. N. CCLD. LIV. ginoburgi fruſtra obſedit. Primo vere, anni inſequentis præualeſcente contentione, vtrique ad Hilarum flumen decertaturi conſedere. Interuenientibus poſtremo ſanctiſsimis antiſtitibus Vldarico Auguſtano, & Hardberto Curienſi, pax facta, veniamque ab optimo, & indulgentiſſimo patre, quem haut tam ſuis, quam turbidis Cunradi conſilijs eò progreſſum non ignorabat, Luitolphus impetrauit: Cunrado quoque vita, &, quo eam toleraret, prædiolum relictum. Sed Hungari, anno nongenteſimo, quinquageſimo quinto, tantis, quantis anteà numquam ſe copijs effudere, eo vecordiæ, & fiduciæ acti, vt, niſi terra hauriret, aut obrueret cælum, ſuperari ſe non poſſe jactitarent. Bauariam populati apud Auguſtam Vindelicorum caſtra poſuere, ſuburbana incenderunt, excidium vrbis, niſi deditionem maturarent, & totius Germaniæ extremam ruinam comminati. Otho, coacto exercitu, ſed diuino magis auxilio, & Vldarici Epiſcopi virtute, & meritis fretus, in hoſtem furibundum impetum fecit, inauditaque ſtrage cumulauit, copias innumerabiles occidione occidit, Auguſtæ, & toti Imperio ſalutem, & incolumitatem reſtituit, incomparabili fortitudine, & felicitate. Imperator ab vniuerſo exercitu, & pater patriæ ſalutatus VI. Idus Auguſti. Deſideratus tamen Dux Cunradus Cæſaris gener, pari prope fortitudinis, & pietatis famâ. Victoriæ tantæ communem lætitiam auxit, & adcumulauit natus, anno ſequenti, ex Adelheide filius, quem ex ſuo nomine pater Othonem vocauit. Succeſſerat, eodem pene tempore, Agapeto Ioannes XII. Is continuò ad Cæſarem literas, & adhortamenta miſit, laboranti Eccleſiæ, & Italiæ, clariſſimorum Imperatorum exemplo, quos tot iam victorijs prope æquabat, vltor, & vindex adeſſet, Imperijque coronam, ſuis meritis, & rebus fortiter geſtis redderet glorioſiorem. Sed is, quia res Germaniæ haut dum ſatis in quieto erant, Luitolphum filium miſit, qui multa proſperè, & inſigni fortitudine geſſit, plures Vrbes, & caſtra, incredibili celeritate cæpit, & poſtremo Ticinum regiam occupauit, Berengarium in montes, & abſtruſa repulit. Mox cum filio eius Adelberto congreſſus eum quoque acie vicit, & quidquid im-

A. D. N. CCLD. LV. perio de-

A. D. N. CCLD. LVI.

perio deerat, recepit, pacem, & Italiæ trãquillitatem reſtituturus, niſi VIII. Idus Septembris, anno nongenteſimo ſeptimo & quinquageſimo, aëris intolerantiâ, aut dolo, immaturo obitu, Bobienſi monaſterio diſceſſiſſet, ingenti patris, & omnium ſubditorum luctu, & deſiderio, præcipuè Heremitarum, quorum tutor, patronus, & aduocatus fidiſſimus, & liberaliſſimus fuerat. Corpus eius ex Italiâ Maguntiacum relatum Gulielmus Archiepiſcopus frater apud S. Albanum ſepeliuit. Reliquit filium vnicum Othonem puerum triennem. Cæſar Allemanniæ Ducatum dedit Burcardo III. Burcardi II, & Regulindæ filio, Itæ Luitolphi viduæ fratri vterino, Adelheidis reginæ auunculo. Luitolphi mors inopinata non modo victorias contra hoſtem habitas deformauit, ſed Berengarij animum magis extulit. Annum ſequentem quoque Eberhardi monaſterij auctoris, & præſidis primi mors, & exitus apud noſtros inſigniuit. Obijt XIX. Kal. Septembris, aut, vt aliæ parentales tabulæ habent, XI. Kal. eiusdem menſis, magnâ ſanctitudinis apud omnes opinione, cum haut multo ante vitæ finem ſibi imminere Vldarico Auguſtenſi Epiſcopo prædixiſſet, qui quot annis ad eum viſere, & religionis cauſsâ Heremum adire ſolitabat, vt teſtantur antiqua noſtra monumenta. Sepultus eſt ante Sacellum DEIPARÆ prope Bennonem. Eius, hoc anno, ita Contractus meminit: EBERHARDVS *Argentinenſis Præpoſitus cum magno apparatu in Cellam Sancti* MEGINRADI *veniens, ibiq; regularem vitam inſtituens poſt eius introitum* XXV. *anno migrauit ad Dominum.* De eiuſdem origine, & ſtemmate non eadem prodidere. Alia monumenta Bennonis fuiſſe propinquum narrant, alia ducis Hermanni. Vtrumque fieri potuit. Ex Hermanni tamen ſtirpe facilè adducor vt credam extitiſſe. Inſigni profectò proſapiâ oriundum, manifeſtum ab Othonibus Impp. argumentum, qui ILLVSTREM ſuis Diplomatis vocant, titulo, per ea tempora, & poſtea, fermè ad Rudolfum I. Habsburgienſem, non niſi Ducum, & Principum, ſtirpisque regiæ poſterũm. Sed de poſtremo S. EBERHARDI, & S. Vldarici conuentu, & colloquio, operæ eſt precium Bernonis abbatis teſti-

A. D. N. CCIↃ. LVII.

A. D. N. CCIↃ. LVIII.

batis testimonium inferere. *Solebat*. inquit, *S. Vldaricus loca sancta visitare, ac præcipue monasterium S. Galli, vbi nutritus erat, & eruditus. Inde cum quodam tempore ad Cellam S. Meginradi ad videndum seruum* DEI *Euerhardum venisset, post sacra orationum libamina, post fraterna collationis dulcia colloquia, cum iam, prælibatis osculis, sanctus Episcopus disposuisset redire in sua, & eâ vice, sperasset* DEI *famulũ non amplius esse visurum, iamq; ire cœpisset, festinato anhelus cucurrit, atque iterans oscula caritatis in hanc vocem lachrymabundus erupit,* EX HAC NON VIDEBIMVS NOS VLTERIVS IN HAC VITA, DONEC CORPORIBVS EXEMPTI, VIDERE NOS MEREAMVR IN PRÆSENTIA DEI. *Cui Episcopus dixit. Pater venerande, scis nunc pro certo tempus meæ resolutionis instare, quo debeam ex hac vitâ migrare? Cui ille respondit: Finis quidem vitæ tuæ adhuc non erit: Sed verum esse quod dico exitus rei comprobabit. Tunc discessum est. Sed antequam Episcopus eamdẽ Cellam iterum visitaret, ille* DEI *famulus Euerhardus de hoc seculo migrauit.* Huc vsque Berno vitâ S. Vldarici. Non intermiserim quæ item abbas Trithemius libro III. de viris Illustribus nostri ordinis, & de Eberhardo, & hac cum S. Vldarico familiaritate, memorauit. *Eberhardus*, inquit, *monachus, & solitarius apud Cellam S. Meginradi martyris in Siluâ, quæ dicitur Vmbrosa, nunc ad Heremitas, vir sanctæ conuersationis, & B. Vldarici supra dicti antistitis familiaris amicus: cum esset Decanus Argentinensis, diuinâ vocatione, & reuelatione ad conuersionem in prædicto loco venit, vbi multâ religione, & sanctitate enituit, mortemq; longe ante præsciens suam, B. Vldarico lacrymanti prædixit.* Ceterum, exsequijs Eberhardi rite peractis, qui aderant in Heremo monachi, ex Otthonis I. Cæsar. priuilegio, sententijs exquisitis, Thietlandum, qui iam annum quartum & decimum coadjutore fungebatur, Abbatem II. nominauere.

THIET-



THIETLANDVS EX ALLEMANNIAE DVCIBVS HEREMI ABBAS SECVNDVS.

ANNO nongentesimo nono & quinquagesimo, bellum aduersus Sclauos Cæsar moliebatur, Politæq; vrbe Bohemiæ principum conuentum frequentem habebat. At non ille tot inter regni, & Imperij turbas, hostes, & dissidia Heremitarum, quos singulari veneratione complectebatur, immemor, sed illis, quacumque oblatâ occasione benè faciendi promptus, & auidus, quidquid iuris, & proprietatis, Guntramus Comes, qui paullò ante, bello quod aduersus patrem susceperat Luitolphus, maiestatis damnatus, & Comitatu, possessionibusque exutus

A.D.N. CCLJ. LIX.

erat, in vico, Eſchentz vulgò nominato, Turgouiæ habuerat vltro, & liberalitate ſolitâ S. Meginradi cellæ obtulit, & in perpetuũ cõſignauit. Diplomate ſuper eâ re facto, quod ſic habet.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuinâ fauente Clementiâ Rex. Notum ſit omnibus fidelibus noſtris preſentibus ſcilicet, & futuris, Qualiter nos cum conſultu fidelium noſtrorum ad æternã remunerationem promerendã quasdam res iuris noſtri in Ducatu Alamãnico, in Comitatu Burckardi Ducis Turgouue nuncupato, in villa Aſchinza talẽ proprietatẽ, qualem Gundramus Comes in ipſo loco obtinuit, ſibiq; ob perfidiam ſui reatus iuſto iudicio publice in ius Regiũ eſt dijudicata, ad Monaſterium Meginrades Cella nuncupato, in honore ſanctæ Dei genitricis MARIÆ, *& ſancti Mauritij martyris Chriſti conſtructo, monachisq; in eodem loco commorantibus firmiter in proprietatem condonamus, cum omnibus ad eamdem curtem noſtram iuſte pertinentibus, Eccleſiis, curtis, curtilibus, mancipijs, agris, pratis, paſcuis, ſiluis, aquis, piſcationibus, molendinis, cultis, & incultis, quæſitis, & inquirendis. Iußimus quoq; hoc præceptum inde conſcribi, per quod volumus, firmiterq; inbemus, quatenus monachi præfati monaſterij liberam habeant poteſtatẽ de eadem proprietate, quidquid placuerit, faciendi, vel iuſte fruendi. Et vt hæc auctoritas firma ſit, propria manu, eam firmauimus, & ſigillo noſtro muniri præcipimus.*

Signum Domini Sereniſſimi Regis.

Lutolfus Cancellarius ad vicem Vuillehalmi archicapellani recognouit. Data VIII. *Idus Ian. Anno incarnationis Domini* DCCCCLVIIII. *Indictione. I. Regnante Pio Rege Otthone, Anno* XXIII. *Actum Polithe. In* DEI *nomine feliciter. Amen.*

Sed poſt Luitolphi fortiſſimi juuenis in Italiâ obitum, nullo jam reſiſtere, aut ſe opponere auſo, multo acerbius agere Berengarius cæpit, nihilque penſi, aut æqui arbitrari, cuncta pro libidine, & inſitâ crudelitate habere, mare ſuperum

nauibus

nauibus in pyratæ ſpeciem infeſtare, percurrere, poſtremo nihil omittere vnde omnium odium, & metum ſibi compararet. Quamobrem frequentes non jam ab Ioanne modo pontifice, ſed omnibus prope Italiæ Epiſcopis, Comitibus, & Ciuitatibus, literæ, & legationes ad Othonem peruenerunt, adflictæ tandem, &, niſi ſubueniret, jamjam ruituræ Italiæ protectionem reciperet, reuocataq;, ac repetitâ prouinciæ dignitate, vnde Imperij decus, & nomen exortum, nefandis perduellibus ne vltra ſineret prædam eſſe, & ludibrium. Vnde tot precibus, & rationibus fatigatus Otho, Italicam tandem expeditionem ſerio aggreſſurus, anno nongẽteſimo ſexageſimo primo, Ratisbonæ, Bauariæ, Saxoniæ, Allemãniæ, Auſtriæ cõuentum, menſe Ianuario, & Februario celebrauit, quæq; Germaniæ paci, quæq; Italico bello, ſummâ curâ, parauit. Talia agitantem Burcardus Allemãniæ dux, Heremitarum, exemplo ſuperiorũ Allemãniæ principum, fautor eximius, & aduocatus, rogauit ſupplex, quatinus poſt Eberhardi obitũ monachi, ex ante conceſſo priuilegio, Hermãni ducis rogatione, Thietlandum ſubrogarant, ita poſt eiuſdem Thietlandi, quãdocumq; eueniret, diſceſſum, alium, qui aptiſſimus videretur, legere, & Heremo præficere poſſent, gratiam, & licẽtiam facere ne graueretur. Otho non modò eam gratiam fecit, ſed monaſterium rurſus in ſuam protectionem ſuſcepit, omni judiciariâ poteſtate Heremitas, eorũ adnexos, domeſticos, & extrarios ſubditos exemit, liberam Abbati, collegioque agendi, cõſtituendi, quæque in vſum, quæque in bonum facultatem pleniſſimam indulſit. Priuilegij exemplum inſerui.

A.D.N. CCIↃ. LXI.

IN Nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, DEI gratiâ, Rex. Nouerint omnes fideles noſtri præſentes namq; & futuri, Qualiter Burcardus Dux noſtram deprecatus eſt clementiam. Quatenus pro DEI amore loco, qui vocatur EBERHARDES cella, vbi idem prædictus dominus EBERHARDVS heremita Eccleſiam in honore DEI genetricis MARIÆ, & ſancti Mauritij, cæterorumq; ſanctorum DEI, ipſiusque adiutorio à fundamentis ædificauit, ac cætera ædificia monachis

inhabitandum construxit, quã & modo venerabilis Abbas Dietlandus dignanter regit, ac monachis præsi DEO *ibi sub regulari disciplinâ militantibus, Priuilegium nostræ auctoritatis, atq; immunitatem, quam ceteris monasteriys concessam habemus, electionemq; concederemus. Cuius petitionem benigne susciptentes ob amorem Domini nostri* IESV CHRISTI, *nostræq; mercedis augmentũ iussimus hoc nostræ auctoritatis, ac immunitatis Priuilegium conscribi, Per quod volumus, firmiterq; iubemus, vt post obitũ præfati patris Dietlandi, monachi eiusdem Cellæ, qui supervixerint, monachicamq; vitam,* DEO *auctore, in præfatâ Cellâ Eberhardi bonæ memoriæ obseruauerint, ac illorum successores, à modo, ac deinceps firmissimam teneant potestatẽ eligendi quemcumq; inter eos Abbatem voluerint. Et vt nullus ex iudiciariâ potestate constitutus aliquam super eos habeat potestatem, vel super eorum caussas, seu superfamiliam illorum, intus, vel foris sibi concessam: sed eius dem Cellæ Abbas potestatiuè, cum suis monachis ad illorũ necessarios vsus firmiter possideat, absq; vllius contradictione. Et sub nostrâ defensione, ac immunitatis tuitione res illorum perẽniter permaneant, ad illorum, vt supra diximus, necessarios vsus. Et vt hæc auctoritas nostræ confirmationis firmior, stabiliorq; habeatur, ac per succedentia tempora à cunctis verius credatur, ac diligentius obseruetur, manu nostrâ eam confirmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus.*

Signum Domini Ottonis invictissimi Regis.

Lutolfus Cancellarius ad vicem Vuilhelmi archicapellani subnotaui. Data III. *Non. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCLXI. *Indictione* IIII. *Regnante Pio Rege Ottone, A.* XXVI. *Actũ Radisbonâ. In* DEI *nomine feliciter. Amen.*

Non contentus Burcardus priuilegiorum ab Cæsare impetrare confirmationem, Heremitas suâ quoque liberalitate percolere studuit, suique in eos amoris, & obseruantiæ testimoniũ exstare. Itaq; Menidorfum, & Eslingam nobiles Tigurini Comitatus vicos eorũ iuris fecit, nullam benefaciendi, & melius volendi occasionem prætermisit. Ceterum, Ratisbo-

nensi con-

nensi conuentu dimisso, alium Vormatiæ totius regni indixit. Ibi Othonem septennem puerum, procerum adprobante suffragio, Cæsarem designauit, eumque Aquisgrani, festo pentecostes, coronandum curauit, & Brunoni fratri Coloniensi Archiepiscopo, & Gulielmo filio Maguntiacensi antistiti educandum, & erudiendum tradidit. Inde, magnis copijs, per Tridentinas valles in Italiam profectus, Berengario nusquam progredi auso, & Adelberto Corsicam profugo, primo vere anni sequentis, Romam peruenit. Vbi maximâ pompâ, & majestate, omnibus ordinibus obuiam effusis, populus Romanus, & in primis Ioannes pontifex summus, tamquam liberatorem, & tyrannorum domitorem, susceperunt. Paucis in eâ diebus per negotia, & vrbis reparationem absumtis, ab Ioanne coronam, & benedictionem Imperialem poposcit, antiquorum Imperatorum more, quem tot ab Arnulpho Imper. tyranni, supra septuaginta annos, corruperant, & prope aboleuerant. Peracta coronationis celebritas festo pascatis III. Kalen. Aprilis, incredibili omnium lætitiâ, populo, clero-que certatim, faustis vocibus, Augusto Imperatori felicitatem, & victoriam adclamantibus. Post solennitatis, & publicæ lætitiæ festa, & relaxamenta, cum aliquantum temporis Romæ Imperator adhuc substitisset, Ioannem pontif. amicè sui officij admonuisset, quæque ex eo scandala, quæq; damna in vniuersos redundarent pluribus ostendisset, copias vrbe eduxit; cetera belli Berengarici persecuturus. Montem Feretrum, S. Leonis opidum vocant, aliquamdiu obsedit, loca alia occupauit. Denique, auctumno jam adulto, restitutis, quæ cumque ab perduellibus receperat, Ecclesiæ opidis, exercitum in præsidia; ipse se Ticinum ad hiberna transtulit. Eius absentiâ admonitionum impatiens, & ad deteriora præceps, simul vlciscendi spe Ioannes, Corsicâ, quo se abdiderat, Adelbertum reuocauit, eiusque præsidio tyrannidem ferocius agitare Romæ cæpit, hostem se Imperatoris manifestum declarauit, omne supplicij, & crudelitatis genus erga Cæsarianos exercuit. Quæ vbi ad Othonem relata, maturè occurrendum ratus, priusquam per tempus mala adolescerent, versus

A. D. N. CCLJ. LXII.

A.D.N. CCIↃ. LXIII.

Romam anno nongenteſimo ſexageſimo tertio reduxit exercitum. Sed Ioannes, antequam aduentaret, facinorum, & iuſtæ indignationis, pœnæque ſibi conſcius, direptis S. Petri theſauris, vrbe profugus, Apuliæ montibus ſe abſtruſit. Adelbertus quoque Corſicam, vnde aduenerat, elapſus eſt. Romam Otho ingreſſus, vbi ex Cardinalium, procerumque ſermonibus, quæ per ſæuitiam, & lubidinem in ſe admiſerat Ioannes, percepit, magno dolore inflamatus ad eum deſtinauit, qui publicâ fide, ad cauſſæ dictionem accirent. Cum non appareret, populus, clerusque ad Imperatorem conuerſi ſunt, quando Ioannes contra libertatem, & per factionem electus, adeò improbè officio functus eſſet, indignumque ſede pontificiâ, & tantâ dignitate ſe præbuiſſet, poteſtatem legendi alium, quem merita commendarent, & ſummi in terris honoris capacem oſtenderent, permittere dignaretur. Imperator, ſolitâ modeſtiâ, non id ſui muneris Pontificem abdicare, aut inſtituere, cùm reſpondiſſet, legerent, nominarent, quem maximè probauiſſent, auctoritatem non negaturum, facto concilio, magno eorum qui aderant Epiſcoporum conſenſu, & ſuffragio, contumaciâ, & improbitate Ioannis damnatâ, Leonem VIII. Idibus Decembris Romanum Pontificem declararunt, ſacramentumque, nullâ morâ, & cetera ſolita præſtiterunt. Dum hæc, & alia geruntur THIETLANDVS, jam ætate exitâ, & corpore adfecto, cum ſe oneri imparem putaret, ſimul varijs, quæ ſe fermè offerebant, negotijs in varia traheretur, aut quia ſibi prope vltima vitæ adeſſe, aduerterat, Abbatis munus abdicauit, & breui ſanè poſteà exſtinctus eſt v. Kal. Iunij. Mortuum ante Virginis Matris Sacellum à latere Eberhardi compoſuere. Erat THIETLANDVS Burcardi frater, Buochorni, Lintzgouiæ, Rhingouiæ, & Turgouiæ ſuperioris Comitis, quem ob fortitudinem, & opulentiam, vti ſupra retulimus, Cunradus Rex I. Allemanniæ ducem eius nominis II. fecerat. Ad Heremum cum jam ætate vergente veniſſet, in eâ prope annos ſex & viginti peregit, varijs ſemper publicæ rei curis exercitus, & prope prius Monaſterij rector, quam monachus. Vi-

uente Eberhardo annos quatuordecim fabricæ intendit, onusque domestici gubernamenti tulit. Vbi esse desijt, annos quinque, menses nouem Abbatem egit, insigni prudentiâ, integritate, eruditione, quippe, qui ad D. Paulli epistolas commentaria composuerit, teste Hermanno Contracto. Ceterum post eius obitum Heremitæ Gregorium Anglum vnanimi consensu succedere voluerunt. Non me latet traditum Cõtracto, & veteri insuper libro denicali notatum, triẽnio antè, Anno, videlicet, eius seculi sexagesimo, Gregorium abbatem factum esse. Verum cum ex diplomate Ottonis sexagesimo primo Heremo Abbatis nomine, & dignitate præsedisse certum sit THIETLANDVM, nõ potuisse vno vtrumq; tempore eiusdem dignitatis, & officij munus obire prope manifestum est: nisi, eo anno, Gregorius administrationem monasterij susceperit, THIETLANDO ætate grandi, & tot laboribus, & curis minus idoneo, qui adeò præter titulum nihil vsurparet dominationis, qui titulus, eo posteà defuncto, vna cum dignitate ad Gregorium deuolutus sit.



GREGORIVS EX ANGLIAE REGVM SANGVINE HEREMI ABBAS TERTIVS.

A. D. N. CCIↃ. LXIV.

STABILITO Vrbis ſtatu, turbisque, vti diximus, compoſitis, Pontifice Leone, vbi primum tempeſtas bellandi admonuit, anno nongenteſimo quarto & ſexageſimo, ad exterminādum Berengarios Otho rurſum ſigna commouit, exiguo ſpatio vtrumque Berengarium patrem, & Adelbertum filium in poteſtatem redegit, hunc Conſtantinopolim in exilium, illum Bambergam Franciæ Orientalis vrbem cum Villâ cōiuge ablegauit. Hoc modo, tamquam alter Hercules alexikakos mundum, & Occidentis Imperium, remque publicam Chri-

ſtianam

ſtianam tyrannis, & monſtris omnibus perpurgauit, quæ vltra octogeſimum annum Italiam, & alias prouincias adflixerant, & in diuerſa rapuerant, traxerantquè, ſolus jam Pius, Felix, Auguſtus, legitimus Imperator. Pacatâ Italiâ, tamquam labores relaxaturus in Vmbriam ab Vrbe ſeceſſit, Spoletique aliquamdiu veluti in otio ſubhæſit. Interea Ioannis amici, & propinqui, multâ in vulgus potentiâ, & erga reliquos auctoritate, tantum apud populum potuerunt, vt Ioannis deſiderium oſtẽdere, Leonem deſpicere cæperit. Quibus perſpectis, jam reſtitutionis prope certi, continuò, qui Ioannem requirerent, Romamque reducerent, dimiſerunt, nullaque pontificiæ dignitatis ratione, aut Imperatoris reſpectu, vel poſtremo periculi grauitate, in Leonem manus inijcere tentarunt. Is, fraude cognitâ, ad Othonem Spoleti adhuc agitantẽ elapſus, quæq; acciderãt, quæq; parabãtur, multis demonſtrauit. At enimuerò jam Imperator irritatior, in incerta factionũ, & belli, ſubitò in Germaniã proſupplemẽto miſit, totoq; Imperio frequentiſſimũ militẽ ſcribi imperauit. Aduenere ex vtroq; ordine, quatinus Põtificis, & Imperatoris dignitas, & honos, ſalusq; in tantũ diſcrimen vertebatur, plurimi ex Germaniâ principes viri. In primis fuere Hatto Maguntiacẽſis, & Bruno Colonienſis Archiepiſcopi, Anno Vormatiæ, Otuinus Hildesheimij, Erkenbaldus Argentinæ, Occo Mirmidoniæ, Cunradus Conſtantiæ, Vldaricus Auguſtæ, Hardebertus Curiæ, alijque Epiſcopi, Echardus Augiæ, Burcardus S. Galli abbates. In Italiam quoque, tamquam in longum ituro bello, Adelheidis, cum Othone filio ad maritum tranſijt. Interea Ioannem, dum, poſtpoſito, quod imminebat ab Imperatore, periculo, turpi libidini (vt quidam volunt) indulget, Romanus ciuis cum vxore repertum interemit. Et remedium fecerat, eâ nece, DEVS tot malis, & ſcandalis, quæ, nouo Romam eius aduentu, ſperari poterant, niſi hominum malitia ſupra fuiſſet. Subitò enim, vbi Ioannem dignum ſcelerum finem reperiſſe pernotuit, eâdem, quâ ipſum reuocarant, peruicaciâ, Benedictum ſucceſſorem dilegere, miſſisque reconciliationis, an per ſpeciem libertatis, ad Imperatorem legatis, pacem Vrbis ne

violare,

violare, simul eam electionem adprobare vellet expetierunt. Respondit Otho sibi belli faciendi in Romanos numquam animum fuisse, nec proinde esse cur pacem poscant. Ceterum pro certo haberent, nisi Leonem, quē communi consensu, & sponte legerint, subitò recipiāt, sese porrò, si vis adhibenda sit, neq; vitæ, neq; fortunis cuiusquam parsurum, cuncta pro tuendâ eius dignitate discrimina subiturum. Indignatione, & irâ Imperatoris perspectâ, promisere legati in Leone recipiendo nullam futuram moram. Sed ea promissa vana, & irrita Romani habuere. Igitur Romam promotus exercitus, vastata, & incensa latè quidquid suburbani agri fuit, si vel ex eâ calamitate consilium mutarent. Sed ea omnium peruicacia, vesaniaque fuit, vt, clausis portis, extrema omnia pati, quàm Leonem ad debitam sedem restituere animum induxerint. Vrbs obsessa, & tanto vtrimque, & Cæsarianorum, & Romanorum ardore oppugnata, & defensa, vt eius obsidionis gesta, & euenta mirari scriptores, & celebrare satis non possint. Postremo deditionem fecere, tradito in Othonis potestatem Benedicto, qui in Saxoniam Hamburgum relegauit, egregium alias virum, & dignitate non imparem. Leo restitutus ineunte Octobri. Dum Romæ versabatur Otho cū Adelheide, & filio, ceterisque Germaniæ, & Italiæ primoribus, Pontificem monuit Cunradus Constantiensis Episcopus magni quod ante annos XVI. in dedicatione DEIPARÆ MATRIS apud Heremitas Sacelli suæ diœcesis, euenerat miraculi, simul consilium expetijt, an sibi, posterisuè, re, quam retulisset, certâ, & compertâ, manum nouæ dedicationi vltra admouere liceret. Leo rei nouitate, & Cunradi iuxta auctoritate, & omnibus perspectâ sanctitudine, & aderat quoque, qui idem testabatur, Vldaricus Augustanus Episcopus, permotus, eorum qui aderant consilio, & consensu, non modò diuinitùs factam consecrationem sanctam, & ratam habuit, confirmauitque, sed magnis priuilegijs Monasterium, & eos, qui, pietatis caussâ, Sacellum adissent indulgentijs impertiuit, vt pluribus adparet ex bullâ in eam rem III. Idus Nouembris data, cuius exemplum sic habet.

LEO

LEO Episcopus, seruus seruorum DEI. *Conuenit Apostolico moderamini piâ religione pollentibus benignolâ compassione succurrere, & poscentium, siue nos consulentium animis alacri deuotione impartiri assensum, & consilium. Ex hoc enim lucri potissimum præmium à conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca ad meliorem fuerint sine dubio statum producta. Igitur omnibus sanctæ* DEI *Ecclesiæ fidelibus præsentibus, & futuris notum esse volumus quia venerabilis frater, & coepiscopus noster Constantiensis nomine Cunradus coram dilectissimo filio nostro Ottone Imperatore, & Adelheide sua chara coniuge, cum aliis multis Principibus suggessit nostro Apostolatui, Quod ad locum quemdam in suo territorio situm, Cella* MEGINRADI *vocatum, Anno ab Incarnatione Domini* DCCCCXLVIII. *ad hoc vocatus venisset, quod Capellam vnam in honore sanctæ, & superexaltatæ* DEI *genitricis semper* VIRGINIS MARIÆ, XVIII. *Kalend. octobrium illic consecraret: sed cum circa medium noctis, more solito, caussa orationis surrexisset, dixit se dulcissimum canticum, cum quibusdam religiosis fratribus eiusdem loci audiuisse. Et cum diligentius quid hoc esset perscrutari voluisset, veraciter comprehendit talem cantum, & talem ordinem angelos tunc habuisse in illius Capella, pro quâ ipse venerat, consecratione, qualem adhuc Episcopi solent habere in Ecclesiarum dedicatione. Mane autem facto, & apparatis omnibus, Episcopum tardantem, & vsque circa medium diem fere differentem, Capellam aggredientes, vt promissum inciperet officium deprecati sunt. Sed eum resistentem, & visionem exponentem acriter reprehenderunt. Donec, auditâ tandem voce apertâ,* FRATER CESSA DIVINITVS CONSECRATA EST, *ter audierunt. Et tunc perterriti rem prædictam gestam, veram, & sanctam cognoscentes approbabant, Ecclesiam præfatam ex illa die cælitus consecratam veraciter adfirmantes. Vnde prænominatus Episcopus, & dilectus frater noster adiens limina beatorum Apostolorum Petri, & Paulli nostram consuluit auctoritatem, si post hanc visam, & certam veritatem, sibi, vel post eum alicui Episcoporum, manum liceret ap-*

ponere.

ponere. Nos ergo consultis venerabilibus viris fratribus, & coëpiscopis nostris Hattone scilicet Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Brunone Colonienſis Ecclesiæ archiepiscopo, Annone Vuormatiensis Ecclesiæ Episcopo, Ottuino Hildensheimensis Ecclesiæ Episcopo, Okkone Mirmidonensis Ecclesiæ episcopo, Erkenbaldo Argentinensis Ecclesiæ episcopo: Vdalrino Augustensis Ecclesiæ episcopo, Hartberto Curiensis Ecclesiæ Episcopo, nec non Eggehardo Augiensi abbate, & Burcardo Sancti Galli abbate, & alijs quam pluribus, quorum consilio nominatæ Capellæ consecrationem ratam esse confirmamus. Et ne præsens episcopus, vel aliquis successorum manum deinceps audeat admittere, auctoritate Principum Apostolorum Petri, & Paulli, & prædictorum fratrum, & nostrâ sub anathemate inhibemus. Præterea rogatu, & instinctu dilectissimi filij nostri Ottonis Imperatoris, qui non parum Cellam dilexerat, & DEO dilectæ vxoris eius Adelheidæ, nec non fratrum prædictorum consilio, sub diuini iudicij obtestatione, & anathematis interdictu statuimus, & præcipimus, Vt si quicumque homo potens, vel impotens, spiritualis, vel secularis, ausu temerario, contra hoc Apostolicæ auctoritatis Priuilegium agere præsumpserit, aut præfatum Monasterium cum aliquibus pertinentiis eius, quæ vel in præsenti possidet, vel quæ, DEO dõnante, in ius, & Dominium eiusdem Ecclesiæ deinceps peruenerint, cuiquam, nisi cõmuni, & saniori fratrum DEO ibi famulantiũ consensu, & consilio concesserit, & abbati, fratrumque suorum vsibus subtraxerit, ac aliquo modo de lecto suæ quietis eos excitauerit, siue homines eius, vbicumq; locorum maneant, violenter, & iniuste oppresserit, Nisi resipuerit, & DEO primũ; & post famulis suis satisfecerit, auctoritate DEI, & nostrâ, non solum anathematis vinculis innodetur; sed & à regno DEI alienus existat. Obseruatores autẽ omnipotentis DEI gratia benedicat; & à cunctis peccatorũ nexibus absoluat. Nos etiam confisi omnipotentis DEI gratiâ, & Apostolorum Petri, & Pauli, ac sacrosanctæ Matris Ecclesiæ, & Apostolicæ sedis auctoritate, cunctos prædictum locum confessi, & contriti deuote visitantes a culpâ, & à pœnâ reddimus absolutos.

Scriptum

Scriptum autem per manum Petri Notarij, & Scriniarij Sanctæ Romanæ sedis, in mense Nouembrio, IIII. *Idus Nouembris.*

Lectum III. *Idus Nouembris, assidente Domino Leone papa in sede sua iuxta altare sancti Petri, coram Domino Ottone Imperatore, filioque eius Ottone, atq; Imperatrice Adelheide, & venerabilibus prædictis fratribus, nec non multis alijs principibus, tam Romanis, quam Theutonicis, & confirmatum per manum Domini Leonis papæ huius nominis octaui, in ordine autem* CXXXVI. *Anno ab Incarnatione Domini,* DCCCLXIIII. *Indictione* VII. *Feliciter. Amen.*

Huius facti meminit etiam Hermannus Contractus. *Eodem*, inquit, *anno nongentesimo sexagesimo quarto, rege Romæ commorante, cum ceteris Principibus, idem papa* LEO *consecrationem Capellæ cælitus factam in Monasterio sancti Meginradi coram principibus, scriptis confirmauit.* Eamdem bullam reliqui postea pontifices summi frequentes adprobauere, vt ad suos locos ostendemus. Otho, vrbanis rursus rebus cõstitutis, tranquillâ Italiâ, anno sequenti ingrediente, Monte Cinerum qui inter Bellitionũ, & Luganum situm est, & inde Rheticis alpibus Curiam venit, ibi trium regum sollennitatẽ peregit. Inde Constantiam, & in Augiam transvectus est, siue ad Sindeslai insulam. Ab eo, moras ibi faciẽte, sed tamquam jam Imperatore, Dux Burcardus iterum impetrauit, vt, quando post Thietlandum Heremitæ, ex formulâ priuilegiorũ præteritorum sibi Gregorium præposuerant, eo pariter fato concedente, alium, quemcumque libuisset, subrogandi facultatem haberent, tradiditque liberalissimus, & pientissimus Imperator superiorum prope par istud diploma Burcardo, in eadem Insula.

A. D. N. CCLJ. LXV.

IN *nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis. Otto, Diuinâ fauente clementiâ, Imperator Augustus. Nouerit omnium fidelium nostrorum præsentium, scilicet, & futurorum solertia, Qualiter Burchardus Dux nostram deprecatus est clementiam, quatenus pro* DEI *amore, loco, qui vocatur* ME-

GINRADES *Cella, vbi Dominus Eberhardus heremita Ecclesiam, in honore sanctæ* MARIÆ, *sanctique Mauritij, caterorumque Sanctorum* DEI, *Hermanniq; Ducis adiutorio, à fundamẽtis ædificauit, & cetera ædificia monachis ad habitãdum construxit, cui prius præerat beatæ memoriæ Vir illustris* EBERHARDVS, *quem & modo sanctissimus vir cunctis virtutibus pollens Gregorius nobiliter regit, & Monachis* DEO *ibi sub militari disciplina militantibus præest, priuilegium nostræ auctoritatis, atque immunitatem, quam ceteris monachis concessa habemus, electionemque concederemus. Cuius petitionem benigne suscipientes ob amorem Domini nostri* IESV CHRISTI, *nostræque mercedis augmentum, iussimus hoc auctoritatis priuilegium conscribi, Per quod volumus, firmiterque iubemus, Vt post obitum venerabilis præfati abbatis Gregorij, monachi eius, qui superuixerint, monachicamque vitam,* DEO *auctore, in præfata Cella obseruauerint, ac illorum successores, à modo, & deinceps firmissimam habeant potestatem eligendi quemcunque inter eos abbatem voluerint. Et vt nullus ex iudiciaria potestate constitutus, aliquam super eos exerceat potestatem, vel super eorum causas, seu superfamilias intus, vel foris concessas: Sed eiusdem Cellulæ abbas potestatiue, cum suis monachis, ad illorum necessarios vsus firmiter absque vllius contradictione possideat: Et sub nostra defensione, & immunitatis tuitione prædia à nobis, seu ab aliis ad præfatum locum tradita, omnesque illorum res perpetualiter, ad illorum, vt supra diximus, necessarios vsus, permaneant. Et vt hoc auctoritatis nostræ præceptum, priuilegijq; & immunitatis firmius habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, & diligentius obseruetur, manu propriâ, subtus illud confirmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus.*

Signum Domini Ottonis inuictissimi Imperatoris.

Lutolfus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani recognouit. Data X. *Kalen. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCLXV. *Indictione* VIII. *Regnante Domino Rege Ottone, Anno* XXII. *Imperatoriæ autem potestatis Anno* II. *Actũ in Sindlie Zesouuo. In Dei nomine feliciter. Amen.*

Creuerat

Creuerat loci religione, & Gregorij famâ, disciplinaque Heremitarum numerus, magnaque ferè nobilitatis inibi pietati, & rebus diuinis incumbentis multitudo aderat, neque per ea tempora prope quidquam celebratius erat. Heremitarum sanctitas, & innocentia, Virginei Sacelli fama, & miracula vndiquaque peruaserant. Neque tamen perinde facultates suppetebant. Et Monachorum frequentia, & superiorum annorum penuria annonam intenderat: præterquam summa necessitas vindicabat, nihil supererat, tenui, viliqúe cultu, victuque agitabatur. Vnde mota Adelheidis regina, loci præterea veneratione, & erga Virginem Matrem, quæ illic adeò præsentem, & propitiam sepræbet, cultu, reuerentiâ, & honore, marito Imperatori auctor fuit, & interceſſit precibus, firmos vti, & sufficientes reditus Monasterio stabiliret. Ad reginæ desideria, & petitionem, suas item adjunxerat preces Dux Burcardus fidissimus, & promtissimus Heremitarum patronus, & Hartbertus Curiensis Episcopus. Itaque Otho, insitâ pietate, & in DEO, DEique Matri loca dicata adfectu, & propensione, Vfnau laci Tigurini, vti antè retulimus, insulam vicinam, & opportunam, & quæcunque eiusdem insulæ iurisdictionis, & dominij erant, veluti Feficonem, Vricum, Milanum, vicos Insulæ, & iuxtà Heremo propinquos, & opulentos, cum ceteris omnibus ad eos pertinenbus, Monasterio nostro adsignauit, & propria in perpetuum esse sanciuit, luculentâ, & tanto Imperatore dignâ liberalitate. Addidit alia in Brisiacis, & Lintzgouia, & Rhetiâ, loca, vt posteà patebit. Ex quo meritò tum, & in posterum Otho, & Adelheidis fundatores nostri præcipui, & conditores habiti, atque celebrati. Sed quia Insula, de qua diximus, juris, & dominij Antistitæ Sanctionensis erat, vsumq; modo ab Bēnonis tempore, & fructum Heremitæ perceperant, proprietatis vice, tradidit Sanctionensibus Otho alia sua prædia, & vectigalia, veluti vicum Schanum Comitatus Verdenbergensis, portorium Ripense, et Valestatensis laci potestatem. Huius eximiæ fundationis, et mutationis decretum eodem die, et in eâdem Insulâ factum, hac formâ.

IN Nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuinâ annuente clementiâ, Imperator Augustus. Si circa loca dicata Domino pro Ecclesiasticæ facultatis augmento intendimus, Diuinæ nobis profecto remunerationis præmium profuturum credimus. Ideo nouerit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, qnam futurorum industria, Qualiter dilecta coniunx nostra Adelheida nostræ Serenitatis excellentiam deprecata est, Quatenus Ecclesiam sanctæ MARIÆ, *in Cella* MEGINRADI *heremitæ constructam,* DEOque *dicatam subleuaremus. Huiusmodique precibus assensum præbentes ipsius interventu, & Purchardi nostri Ducis, nec non Haritperti antistitis nostri consolatu ob æternam remunerationem, & remedium animæ nostræ quasdam res iuris nostri prælibatæ Ecclesiæ Abbati Gregorio, cæterisque seruis* DEI *secum nunc, & in posterum per succedentia tempora in præfata Cella* DEO *militantibus, ex integro condonauimus, cum omnibus ad easdem res Vffenouua iuste, & legaliter pertinentibus, in Ducatu Allemannico, in Comitatu Zurichgouue subnominatis his locis, id est, Pfaffikoua, Vrinhoua, Ecclesiam quoque de Meginlano, & cetera loca, ad præfatum locum Vffenouua pertinentia, vbicumque prouinciarum iacere videantur, cum omni eorum vsu, cum Ecclesiis, & earum decimis, cum omnibus censibus, ædificiis, mancipiis vtriusque sexus, agris, pascuis, alpibus, forestibus, atque piscationibus, molendinis, cultis, & incultis, quæsitis, & inquirendis, & cum omnibus ad hæc iuste, legitimeque pertinentibus. Hæc videlicet præscripta loca quadam proprietatis nostræ curte in Comitatu Adelberti Rhætia vocato, Scana dicta, cum Ecclesia, & omnibus pertinentiis eius, nec non in eodem Comitatu Portum Riuanum, nauigium cum naulo per concambium legitimæ transmutationis de Abbatia Seckchinga perpetualiter commutauimus. Et vt hæc auctoritas nostra stabilis irrefragabiliter cõseruetur manu nostrâ propriâ subtus eam firmauimus, & annuli nostri impressione consignari iussimus.*

Signum

Signum Domini Ottonis Serenissimi Imperatoris Augusti.

Lutolfus Notarius ad vicem Vuilhelmi Archicapellani recognouit. Data x. *Kalen. Febr. Anno Incarnationis Domini* DCCCC LXV. *Indictione* VIII. *Regnante Serenissimo Imperatore Augusto Ottone, Anno* II. *Actum in Augia feliciter. Amen.*

Traditum reperio antiquis monasterij monumentis ipsum posteà Imperatorem, cum Adelheide, in Heremum venisse, cognitoque Gregorium sibi sanguinitate maximè coniunctum, multo plura eò beneficia contulisse, nunquam Heremo, quam præcipuè colebat, & maximo opere admirabatur, benefaciendo satiatum esse. Ceterum, Imperatoris absentiâ, continuo Longobardorum quidam primores Adelbertū revocarunt, rebellionemque, solitâ leuitate, cæptarunt. Contra eos missus dux Burcardus, nauali, terrestrique prælio cum perduellibus decertauit, claramque victoriam, fuso rursum, & fugato Adelberto, Vidone fratre eius acie interfecto, reportauit, plenusque gloriâ, & famâ ad Othonem remeauit. At pontifex Leo Romanorum leuitatem, & turbulenta ingenia pertæsus, siue plura contra decus, & tanti muneris dignitatem patrabantur, eligendi pontificis potestatem ad Imperatorem iterum transtulit, & eius successores, exemplo Adriani pontif. qui Caroli Magni ius id fecerat, addidit & investituræ, vt vocant, Episcopatuum, & ceterorum sacerdotiorum facultatem, magnam postea, & inexpiabilem in Ecclesiâ, & imperio ruinæ, cladisq; causſam; illam auctoritatem tueri, & obtinere, conseruareque sequentibus Imperatoribus armis, viris, copijs contendentibus, donec Ecclesiæ, sponsæ suæ misertus Christus splēdorem, & dignitatem restituit, ac reparauit, illam regibus, ob perpetuas calamitates, & clades, amplius attentare non ausis. Neque Leoni posteà vita longa fuit. Obijt Kal. Augusti, successore, auctoritate Imperatoris, Ioanne XIII. quem haut minus subitò, incitante Petro Vrbis præfecto, adfligere Romani cæperunt, suapte inso-

lentia quoque, & vexandi pontifices ingenitâ lubidine. Postremò Rotfridus Comes nihil tale opinantem palatio, armatâ manu, raptum, in Campaniam ad vincula transportauit. Quam contumeliam, & indignitatem exemplis vlturus Otho, menſe Auguſto, anni nongẽteſimi ſexageſimi ſexti Vormatiæ conuentum principum frequentiſſimum habuit. Hinc per Curiam, & Rheticas alpes in Italiam copias cum filio Othone, primo Septembri, traduxit. Inſubriæ quoſdam proceres, quos Adelberto fauiſſe compertum erat, alios in Saxoniam, alios in Franciam Orientalem relegauit, hiberna, more ſolito, Ticini conſtituit. Ingrediente vere ſequentis anni, Romam verſus accelerauit. Conſules, & Vrbi præfectus, turbante licet factorum conſcientiâ, veluti hoc pacto reconciliaturi, cum populo vniuerſo obuiam Imperatori proceſſere. Ipſe tranſactis, tamquam in publicâ lætitiâ, paucis diebus, de turbatoribus Eccleſiæ, & Vrbis judicium conſtituit, in convictos ſeueriſſimè animaduertit, alios patibulo adfixit, alios virgis cæſos ignominiâ notauit, plures & nobiliores in exilium miſit. Omnes copias poſt in Mauros, qui Apuliam vaſtarant, Conſentiam incenderant, præmiſſo cum equitatu Othone filio, duxit. Illi ad eius aduentum in naues cum ſpolijs verſus Africam diffluxere. Verſa hinc in Nicephorum Orientis Imp. arma, quod Theophaniam filiam Othoni juniori promiſſam reddere nollet, quodque Græci Calabriam colentes, Mauros, ante paucos annos contra ſe, & pontificem ſollicitarant, fouerantque. Redactum in poteſtatem, pulſis totâ prouinciâ Græcis, quidquid Orientis Imperij in Italia ſupererat, & Occidentali ſubiectum. Et interea Nicephorus, veluti rerum inſcientiâ, ſecordiaque Imperium dedecorans, & cauſsâ acceptæ in Italia cladis, Ioannem filium ſucceſſorem habuit, qui Othonis ſenioris amicitiam, & Iunioris adfinitatem bello, & diſcordiæ præferens, confeſtim miſit, qui & controuerſa dirimerent, & Teophaniam ſororem deducerent. Vrbem triumphabundi pater, & cum ſponſâ filius inierunt, menſe Decembri vergente. Natalitijs mox diebus, Otho, probatâ filij, præterito bello, inſigni fortitudine, et virtute, ad

A. D N. CCL O. LXVI.

A. D. N. CC IO. LXVII.

tute, adplaudẽtibus omnibus, consortem nominauit. Eumdem Ioannes pontifex memor, & gratus apud Lateranum, cum Theophaniâ coniuge, incredibili sollennitate, coronauit, Imperatorem, & Augustum salutauit, Kalen. Ianuarij. Constitutâ deinceps Italiâ, in Germaniam vterque Imperator exercitum reduxerunt. Clarus, hac tempestate, eruditionis, & sanctitatis gloriâ in Heremo Volfgangus erat Comes Veringensis, aut, vt alij volunt, Pfullingensis, vel Reidenfeldensis, nam tot de eius stemmate sententiæ, monasterij tunc Decanus. Is sacris ab Vldarico Augustensi Episcopo, qui sæpius, vt prædiximus, religionis caussâ, & veteri cum nostris cõsuetudine, ad Heremum ventitabat, ibidem initiatus, Gregorij abbatis licentiâ, & auctoritate, quia *videbatur sibi cum simplo, & abscondito talento, quasi vacuus apparere in conspectu domini, nisi, eo exposito, & duplicato*, inquit Comes Arnolfus, *aliorum quoque consuleret saluti*: cum aliquot ex Heremo socijs diuini cultus apud remotiores gentes propagandi desiderio, in Austriam, Hungariam, Bohemiam, & loca vicina, circiter annum nongentesimum septuagesimum profectus, multos ab improbis, & impijs ritibus, & erroribus, alios scelerum è vinculis liberauit, Christo, et Ecclesiæ restituit, insignem integritatis, et eloquentiæ famam parauit, Heremitarumque nomen, et sanctitatem latè diffudit. Reuersus hinc Batauium, apud Peregrinum Episcopum diuertit, qui, eius perspectâ sinceritate, Marco Comiti, cuius consilia Otho Imp. maximè probabat, impensius eum commendauit, Ratisbonensis Ecclesiæ dignum adfirmans, et nimium eam felicem, si tali rectore potiretur. At is porrò Imperatori Othoni. Vnde Imperatoris auctoritate, et gratiâ, magno consensu, et congratulatione, Ratisbonensis Episcopus factus, tantisper, contra omnium vota, et desideria, ob nixus est; donec Gregorius Abbas suscipiendæ dignitatis auctor, et suasor fieret, Anno nongentesimo septuagesimo secundo, IV. Nonas Aprilis, Indictione XIV. In Ratisbonensi porro Episcopatu ita se deinceps gessit, vt eius meruerit esse, colique patronus, et tutelaris Diuus. De cuius vitâ, et meritis, alio

A. D. N. CCLD. LXVIII.

A. D. N. CCLD. LXX.

A. D. N. CCLD. LXXII.

loco pluribus. Meminit eius Martinus pænitentiarius Othonis Imperio. *Eodem etiam tempore*, inquit, *sanctus Volfgangus supradicti Monasterij Heremitarũ monachus, & Decanus Ratisbonensis Episcopus est factus, qui multos in credulos suo tempore conuertit.* Post Ioannem creatus Pontifex
A.D.N. Benedictus v. dictus VI. Anno nongentesimo tertio Germa-
CCLO. niæ superiora Imperatoribus perlustrantibus, circiter medium
XCIII. Augusti ad S. Gallum venere. Hic in Burcardi abbatis locum, qui sponte dignitatem exuerat, Notkerum, ejusdem Burcardi commendatione sublectum, probauerunt. Ibidem voluntate, & iussu parentis Heremitarum priuilegia, & quidquid eorũ juris, & proprietatis in Brisgouiâ, Lintzgouiâ, Rhetiâ, Comitatibus Tigurino, & Turgouiensi, per ea tempora habebatur, confirmauit, suâ auctoritate, & diplomate junior Otho. Eius hoc est exemplum.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto iunior, senioris, Diuinâ annuente clementiâ, Coimperator Augustus. Cum totius studio relligionis, maximeque Ecclesiarum subleuatione ad DEI *culturam augmentandam nostræ Serenitatis excellentiâm semper intentare æquum, ac præ omnibus dignum fore sciamus, Omnium fidelium nostrorum industriæ notum fieri volumus, Quia nos patre nostro dilectissimo, ac Coimperatore volente, res Ecclesiasticas à se, vel ab alijs quibusquam ob æternæ recompensationis spem loco sancto* MEGINRADES *Cellanuncupato, fratribus ibidem sub abbatum regularium monachio moderamine manentibus, vel in posterum successuris,* DEI *seruitio commodius sustentandis concessas, præcepti nostri auctoritate Imperatorij confirmamus, cum locis diuersè illò contraditis, ac huiuscemodi subnominatis, id est, iuris sui curtem Riegol vocatam, cum locis Endinga, Vuenelinga, Chensinga, Deninga, Purchheim, Baldinga, Rottvilla, Betzenhusa, Berga, Bochesberg, Zarda, Liela, Tutesvelda, Ribulinga, Birinheim in Ducatu Allamannico, in pago Brisicouue sitis. In Comitatu etiam Zurichgouue loca Uffenouua, cum ceteris eò pertinẽtibus, id est Phaffinkoua, Urinckoua,*

Ecclesiaq.

Ecclesiaque in Meiolano sita, ceteraque illuc, vbicumque terrarum iacere videantur, pertinentia, cum dote eiusdem Ecclesiæ Uttinuuilere, Chaldebrunna, Steueia, Bechiu, Lindunouua, Rutin, Manidorff, EZZelinga, Frienbach, Rahpratesuuilare, Sibbeneibha, Vuagena, Rutin, Vuanga, Suuites. In Comitatu Turgouue Aschinza cum sibi pertinentibus locis. In Comitatu Linzihkouue Tizindorff, Turinga, Rutin. In Comitatu Rhetiæ Quadrauedes, Meilis, Senouio, En Sline, Nezudra, Cise, Vallis Drusiana, Campestia. Hæc quippe omnia, cum singulis eorum appertinentiis, id est, vtriusque sexus mancipiis, ædificiis, terris cultis, & incultis, siluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, piscationibus, vinetis, alpibus, censibus, placitis, seruitijs, viis, & invijs, exitibus, & reditibus, quæsitis, & inquirendis, forestibus, & cum omnibus ita vt à patre nostro, & Coimperatore, vel à quibus libet ceteris eidem Ecclesiæ sanctissimæ Matris DEI MARIÆ, *Abbatis, fratrumque vsui proprio condonata sub nostra excellenti auctoritate firmamus: Eâ scilicet ratione, vt omnium inquietudine circa hæc penitus semotâ, nullus aliquo potestatis iudiciariæ præditus regimine, easdem iamdictas res, nec aliquatenus molestare, vi rapere, inaniter dispердere, seruitia inde in quacumquere exigere, vel aliquid iniuriæ familijs eorum intus, vel foris, vel capitalibus censualibus inferre præsumat, nec ad seruitia iniqua constringat, vel aut sua tollendo, aut iniquè exprimendo, vel à fratrum iam dictorum continuo seruitio aliquatenus deducendo, vel impediendo consligat. Et vt hoc nostrum præsens præceptum cunctis sanctæ* DEI *Ecclesiæ filijs à modo, & deinceps firmius, stabiliusque, viuis, ac successuris credatur, ac certificetur, hanc chartam inscribi iussimus, propriaque manu subtus firmatam sigilli nostri impressione iussimus consignari.*

Signum Domini Ottonis magni, & invictissimi Imperatoris Augusti.

Vuillisus Cancellarius ad vicem Rodperti archicapellani sub-

ni subscripsi. Data XVIIII. *Kalend. Septemb. Anno incarnationis Dominicæ* DCCCCLXXIII. *Indictione.* XV. *Anno regni Domini Otthonis* XII. *Imperij autem* V. *Actum in sancti Galli Monasterio Cisalpino feliciter. Amen.*

Ex quibus clarum quanta Othonis I. Imper. erga hoc nostrum monasterium munificentia, amor, & adfectio fuerit. Nam hæc tam ampla quondam, & locupletia Heremitarum loca, paucis exceptis, quæ Allemanniæ Ducum, & Principum munera sunt, omnia suæ voluit esse deuotionis, & liberalitatis testimonia. Imperatores S. Gallo, Augiam cõcessere. Et quia Heremitæ cetera fermè, quæ in vsum maxime quotidianum ab vrbe propinquâ adferebant, omniumque rerum commercia ibidem agitabant, proque eorum multitudine, & frequentiâ sumtus, pensitandis vectigalibus, & portorijs, alijsque, quæ juris Imperialis erant, & ad Ducatum Allemanniæ pertinebant, haut mediocres faciebant, intercessit apud Othonem eumdem juniorem Dux Burcardus, omnium eorum vti gratiam, & æternam remissionem faceret, cunctisque oneribus eximeret; obtinuitque, eadem in Insula, XVI. Kal. Septembris. Huius immunitatis decretum etiam infra ad posui.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Otto iunior, Dei nutu, senioris Coimperator Augustus omnes agnoscant nostri fideles præsentes scilicet, & futuri, Quod nos scientiâ, ac voluntate Burghardi Allamanorum Ducis seruis Dei *solitarijs in cœnobio Siluestri* Meginrades *Cella vocabulo, iugi seruitio* Devm *colentibus telonium in Turego ciuitate, & nummos iuxta morem monetæ persoluendos penitus tam eis, quam omnibus per temporũ perpetuas successiones ibidem, tali conuersatione, mansuris, nostrâ auctoritatiuâ potestate, nõvlterius persoluẽdum perdonauimus, scilicet, vt homines illorum necessaria seruitia prouidentes mercimonio quolibet in hac ciuitate negotiantes, vel nummularios quærentes, sine omni districtione hoc peragere liceant, ac securi inde discedant, Et*

vt hæc

vt hæc noſtri perdonatiui auctoritas præcepti firmior, ſtabiliorque cunctis ſanctæ DEI *Eccleſiæ filiis perpetim credatur, hanc chartam inſcribi, manuque propriâ, ſubtus firmatam annuli noſtri impreſſione iuſſimus ſigillari.*

Signum Domini Ottonis magni, & inuictiſſimi Imperatoris Auguſti.

Vuilliſus Cancellarius ad vicem Rodperti archicapellani notaui. Data XVI. *Kalend. Septemb. Anno incarnationis Domini* DCCCCLXXIII. *Indictione* XV. *Anno regni Domini Ottonis* XII. *Imperij autem* V. *Actum Augiæ Inſulari.*

His circiter temporibus, feſto S. Michaelis obijt mortem Adalricus in ſua Vfnaugiēſi inſula, ſepultus in æde, quam mater in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, MARIÆ DEI genitricis, & Apoſtolorum Petri & Pauli ædificare inceperat, ipſe perfecerat. Fuerat Monaſterij noſtri Cuſtos, itaque vitam inſtituit, vt viuentis, defunctique ſanctitudinem frequentibus tunc, vti nunc quoque, miraculis teſtatam voluerit, velitque DEVS. Ex eius hæreditate magnæ ad Heremitas poſſeſſiones, & prædia, juraque Steuiæ, Vuolruuiæ, Feficone, alijs, Inſulæ Vfnaugiæ, & Heremo vicinis vicis, regionibusque pervenerunt, vt non modo inter Diuos tutelares Monaſterij, ſed Fundatores quoque numerari, venerarique debeat.

Poſt Benedictum in Pontificatu ſucceſſit Donus II. quē nonnulli tamen omittunt, ob breue, & nonniſi trimeſtre Pontificatum. Succeſsit Dono Bonifacius. Accedit Annus nongenteſimus quartus & ſeptuageſimus memorabilis trium totius Germaniæ clariſsimorum virorum morte. Primus fuit Imperator Otho I. Exceſsit Mimilebe Nonis Maij, feriâ, I V. aute Pentecoſten, Magdeburgi in S. Mauritij, quam condiderat, baſilicâ ſepultus. Inſignis, & præcipuus, vti vidimus, Heremitarum fautor, & locupletator, quod etiam Martinus admonuit, de eo in hæc verba mentionem faciens. *Idem fundator eximius, Cellam ſancti* MEGINRADI, *quæ nunc monaſterium Heremitarum dicitur, ad honorem* DEI *Genitricis*

A.D.N.
CCLO.
LXXIV.

tricis, & sancti Mauritij, honoribus & possessionibus largissimis ampliauit. Eius proinde clara, & anniuersaria apud nos memoria VIII. idus eiusdem mensis, quo etiam vitam finisse omnes nostræ contestantur ephemerides. Anno præcedenti, & eodem die, eius excessum ponunt Contractus, Lambertus, Marianus, Sigebertus, alij ferme, sed conuincuntur ex datis ab eo, mense Septembri, eodem anno, vt ostendimus, diplomatis. Otho secundus cùm jam regnasset annos XIII. imperasset cum patre VI. solus præsedit annos IX. Othonis I. obitum adsecutus Vdalricus Augustensis Episcopus ex Comitibus Kiburgiensibus, & Dilinganis, Hugobaldi F. Hartmanni N. IV. Nonas Iulij, Episcopatus anno L, ætatis LXXXIII. Illum cum fortè ægrotum visitatum isset, & defunctum reperisset, eodem tempore, apud S. Afram sepeliuit Volfgangus Ratisbonensis Episcopus, vbi *innumeris vsq; hodie claret miraculis*, inquit Contractus. De Vlrico memorant antiqua Heremi scripta, præter quæ supra diximus, Virgineum Sacellum quot annis fermè adijsse, magnā primò cum Eberhardo, quē etiam sanguine attingebat, necessitudinem exercitasse, eadem lege amicitiæ mox THIETLANDVM, & GREGORIVM coluisse. Eius adhuc in Heremo monumentum, & munus brachium, vti retulimus, S. Mauritij loci patroni, & aliæ Thebaicæ legionis relliquiæ, brachium S. Dignæ ex comitatu S. Afræ Augustanorum patronæ, itemque ex eadem S. Afra nonnulla, & alijs martyribus. Vestes præterea sericæ, quibus sacerdotes & leuitæ operantur sacris, coloris lutei, quarum etiam contactus pollebat virtute miraculorum. Incendium eas postremum antiquitate, & donatoris recordatione venerabiles absumsit. Tertius fuit qui hunc, suâ morte, nobilitauit annum, Burcardus III. Allemanniæ Dux, Heremitarum clarissimus, & integerrimus aduocatus, & patronus. Vitâ functus est pridie Idus Nouembris, & in Augiæ Sacello D. Erasmi conditus. Otho Imperator II. Allemanniæ Ducatum dedit Othoni ex Luitolpho fratre nepoti, qui, eodem pariter tempore, Heremitarum patrocinium, paterna vestigia, & auita secutus, accepit. Et profectò breui vterque Dux, & Imperator im-

mensum

mensum suum erga Heremitas fauorem, & studium probauere. Etsi enim patris voluntate, & mandato prius monasterij priuilegia, & bona, rata, & vera habuerat suo rescripto Imperator Otho II. nihilominus, vbi primum solus Imperij potitus est, eadem rursus confirmauit, paternasque donationes, nouo diplomate, adprobauit, anno nongentesimo septuagesimo quinto ingrediente, &, vt id faceret, Othonis Ducis maximè interceſſu, & Gregorij precibus dedit. Diplomatis hæc est copia. A. D. N. CCLO. LXXV.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, diuinâ fauente clementiâ, Imperator Augustus. Si circa loca dicata Domino pro Ecclesiasticæ facultatis augmento intendimus, diuinæ nobis profecto remunerationis præmium profuturum credimus. Ob hoc nouerit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam futurorum sollertia, quod nos interuentu æquiuoci nostri Ducis Alamannorum, & rogatu abbatis Gregorij, more anteceſſorum nostrorum regum, scilicet, & Coimperatorum, res, & prædia Vffennoua, Uringhoua, Pfaffingchoua, ecclesiam de Megilano, cum omnibus ad eadem loca, quæ dici possunt, pertinentibus vtilitatibus, Ecclesiis, decimis, censibus, ædificijs, vtriusque sexus mancipijs, agris, pascuis, alpibus, foreſtibus, piscationibus, molendinis, terris cultis, & incultis, quæsitis, & inquirendis, sita videlicet in Ducatu Alamannico, in pago Zurichgouue, in Comitatu Managoldi, quæ pater noster de abbatia Seccunga, quadam sui iuris curte Scana dicta, & cum Ecclesia, in pago, & Comitatu Rhetia, nec non in eodem pago Portu Riuano nauigij cum naulo, per concambium legitimæ transmutationis concambiata ad Ecclesiam sanctæ MARIÆ *in Cella Meginradi heremitæ constructam tradidit, Nos eorumdem prædiorum traditionem paternam renouando, ad prædictam venerabilis viri Meginradi Cellulam tradimus, firmiterq; donamus. Et vt hæc nostræ donationis auctoritas firma, stabiliſque permaneat, hanc chartam conscribi, & sigilli nostri impreſſione signari iuſſimus, manuq; propriâ subtus corroborauimus.*

H Signum

Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti.

Folginatus Cancellarius ad vicem Vuilligisi Archicapellani notaui.

Data VII. *Kalend. Ianuarij, Anno Dominicæ Incarnationis.* DCCCC. LXXV. *Indictione* IIII. *Anno vero regni Ottonis Imperatoris,* XV. *Imperij* VIII. *Actum Eristein.*

Eodem in loco, tertio, quam superius diploma confecerat, die, Duce Othone pariter adnitente, Heremitis paterna priuilegia, quantum ad liberam Abbatis, post Gregorium, electionem, itemque jurisdictionem, & Imperialem protectionem confirmauit Otho, & sempiterna esse jussit, hoc quoque decreto.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, diuinâ fauente clementiâ, Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet, & futurorum solertia, Qualiter æquivocus noster Dux Allamannorum nostram deprecatus est clementiam, Quatenus pro DEI *amore, loco, qui vocatur* MEGINRADES *Cella, vbi Dominus Eberhardus heremita Ecclesiam in honore sanctæ* MARIÆ, *sanctique Mauritij, ceterorumque sanctorum* DEI, *Heremannique Ducis adiutorio à fundamentis ædificauit, & cætera ædificia monachis ad habitandum construxit, cui prius præerat beatæ memoriæ vir illustris Eberhardus: quem & modo sanctissimus vir, cunctis virtutibus pollens Gregorius nobiliter regit, & monachis* DEO *sub regulari disciplina militantibus præest, Priuilegium nostræ auctoritatis, atque immunitatem, quam cæteris monasterijs concessam habemus, electionemque concederemus. Cuius petitionem benigne suscipientes, ob amorem Domini nostri* IESV CHRISTI, *nostræque mercedis augmentum, iussimus hoc auctoritatis, atq; immunitatis priuilegium conscribi, Per quod volumus, firmiterque iubemus, vt post obitum venerabilis præ-*

fati abba-

fati abbatis Gregorij monachi eius, qui supervixerint, monachicamque vitam, DEO auctore, in præfata Cella obseruauerint, ac illorum successores, à modo, & deinceps firmissimam habeant potestatem eligendi quemcunq; inter eos abbatem voluerint, Et vt nullus ex iudiciaria potestate constitutus, aliquam exerceat super eos potestatem, vel super eorum causſas, seu super familias intus, vel foris concessas, sed eiusdem Cellulæ abbas potestatiuè cum suis monachis ad illorum necessarios vsus firmiter absq; omni contradictione possideat: Et sub nostra defensione, & immunitatis tuitione, prædia à nobis, seu ab alijs ad præfatum locum tradita, omnesque, ad illorum necessarios vsus, vt supra diximus, res illorum perpetualiter permaneant. Et vt hoc auctoritatis nostræ præceptum priuilegijque immunitatis firmius habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, & diligentius obseruetur, manu propriâ, subtus illud confirmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus.

Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti.

Folginatus Cancellarius ad vicem Vuilligisi archicapellani notaui. Data V. *Kalend. Ianuar. Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCC. LXXV. *Indictione* I V. *Anno vero regni Ottonis* X V. *Imperij* VIII. *Actum Eristein.*

Quo in Priuilegio, neque id sane repetendum omiserim, quod *Eberhardus* Fundator noster ab Otthone II. *beatæ memoriæ Vir Illustris* nominatur: Et *sanctissimus vir cunctis virtutibus pollens Gregorius*, insigni, & commemorabili veterum Antistitum nostrorum sanctitatis, & nobilitatis ab tanto Imperatore testimonio. Quando per ea tempora, & aliquot post seculis, non nisi viros Principes, & regio sanguine oriundos, aut in summis dignitatibus agitantes vocare *Illustres*, Imperatorijs in diplomatis, mos versabatur. Quod alij etiam clarâ eruditione viri nostro tempore animaduerterunt & connotarunt.

A.D.N. CCLD. LXXVII.

Huius anni extrema illustrauit obitu suo Cunradus Constantiensis Episcopus ex Comitibus Altorfensibus, quibus Guelphis dedere cognomẽtum. Obijt VI. Kal. Decembris, Episcopatus anno quadragesimo. Alij præcedente anno defunctum memorant. De Angelica Sacelli DEI PARÆ Virginis consecratione is testimonium primus perhibuit, D. Mauritij Basilicam ipse consecrauit. Gaminulphum vero successorem habuit. Bonifacio VII. etiam exstincto, Benedictus VII. successit. Anno nongentesimo septimo & septuagesimo Otho Imp. contra Lotharium Galliæ regem, qui Lotharingiam occuparat, duxit, & ab hoste capta non modo recepit, Sed Parisios vsque penitrauit, subvrbana incendit, Rhemenses, Laudunenses, Suessiones vastauit. Interfuit huic expeditioni inter alios beatus Volfgangus Ratisbonensis Episcopus Heremi alumnus, qui quo pacto suos seruauerit, cum Othonem ex Gallia redeuntem Franci persequerentur, & pene apud flumen Axonam oppressissent, auctor, qui tum viuebat, memorat, qui idem Volfgango intimus, & familiarissimus erat. *Cum* (inquit) *Otho secundus Imperator ob illatam ipsi iniuriam Franciam hostili animo, & manu ingressus Lutetiam vsque peruenisset, in reditu ad fluuium quendam pervenere. Vbi autem beatus antistes cum suis eo pervenit, tum, præsenti periculo commotus, suspexit in cælum, & tum sibi, tum suis benè precatus, atque benedicens, iussit suos incunctanter, transire flumen. Sed, illis adhuc cunctantibus, & Francis interim acriter instantibus: ille primus in nomine domini, (quod semper in eius versabatur ore) fluuium ingressus suos animauit. Nec quisquam eorũ vllum expertus est periculum. Tunc verò omnes id admirantes, præ gaudio in* DEI *laudes eruperunt. Sed vir humilimus, ne id in publicũ efferrent obnixè eos rogauit.* Per hæc tempora agitabat in Valle Drusiana, loco Friesæ est vocabulum, Geroldus ex Saxoniæ Ducum stirpe, & familiâ, heremiticã vitã ducens, ibiq; , cum filijs duobus Cunone, & Vldarico, Othonis Iagbergæ Comitis opibus, & liberalitate monasteriolum condiderat. Qui sibi vitæ termi-

num vbi

num vbi appropinquare persensit, euulsis aliquot eius, quã insidebat, terræ cespitibus, & in peram coniectis, ijsdem comitantibus filijs, ad Heremum concessit, & ad altare DEIPARÆ se, liberosque, & cuius illi erant cespites, terram, et sedem dedit, et dicauit, breuique, vnde venerat, Friesam reuectus, ibidem vitam posuit, circa annum nongentesimum septuagesimũ octauũ, et sepultus est. Filij in Heremo ordinem S.P. N. Benedicti sumsere, et muneribus Vldaricus thesaurarij, Cuno Decani defuncti sunt. Vterq; Friesæ sepultus, Vlricus quidem æde paternâ; Cuno verò sacello D. Antonij, non absq; sanctitudinis fama. Ab Geroldo verò loco facta denominatio, vocaruntque posteri Præposituram S. Geroldi, de quo pluribus alibi, mansitq; ille, ab eo, hucusq; in nostra potestate. Dederat ante annos XXXII. Otho Magnus Heremitis, admonitione, et rogatu Luitolphi filij, et Hermãni Allemanniæ ducis haut pauca, quæ in vico Rhetiæ Quadrauedis regij fisci fuerant, vti supra memorauimus, multa tamen exceperat, veluti hordeum, quod in equitatum pensitare solebant, indictiones præterea, et collectas ordinarias ad expeditiones, quæque in focum per familias exsoluere consuetudinis erat. Ea omnia, et quidquid denique, illo in vico, juris regij erat, obtinuit apud patruum Dux Otho, vt vniuersa Heremo condonarentur, isthoc decreto.

A. D. N. CCLɔ. LXXIX.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto Diuinâ fauente clementiâ, Imperator Augustus. Nouerit omnium fidelium nostrorum præsentium, atque futurorum sagacitas, Qualiter nos pro remedio bonæ memoriæ genitoris nostri animæ æternâ remuneratione, per interventum & suggestionem nepotis nostri, & æquivoci Ottonis Allamannorum Ducis, quasdam res iuris nostri, in Comitatu eiusdem Ducis Otthonis Rhetia, in villa Quadrauedes nominata, Sanctæ DEI *genetrici* MARIÆ, *& sancto Mauritio martyri, ceterisque Sanctis, quorum iuge obsequium in Silua, & in loco* MEGINRADES *Cella ab Gregorio heremita, cum ceteris fratribus in eodem loco monasticâ relligione cele-*

bratur, perpetualiter in proprium conceſsimus, id eſt, Eccleſiam noſtram, cum decimis ſuis, & vniuerſis illuc pertinentibus, legaliterque aſpicientibus; Nec non & terram Dominicam, cum omnibus in præfata villa ad noſtram regalem potentiam pertinentibus, id eſt, curtilibus, ædificiis, terris, agris, pratis, paſcuis, ſiluis, alpibus, aquis, aquarumue decurſibus, molendinis, piſcationibus, viis, & inuijs, mobilibus, & immobilibus, quæſitis, & inquirendis, placitis, ſeruitiis, cenſibusq; cunctis, id eſt fiſcis ordeum, de accenſis ignibus, adiutoria noſtræ expeditionis cincta, ceteraque omnia ad imperiale ius pertinentia, veluti bonæ memoriæ genitor noſter tradidit, concedimus, perpetualiterque donamus. Iuſsimus quoque inde hoc præceptum conſcribi, per quod volumus, firmiterque iubemus, Quatenus memoratus DEI *famulus Gregorius, & ceteri fratres, ac ſucceſſores eorum, nunc, & deinceps in ipſo loco Chriſto militantes, ſtipendia illorum ibi meliorando, de ſupra ſcriptis noſtræ largitatis rebus, ac locis liberam æternaliter obtineat poteſtatem, manu propriâ ſubtus firmatum, annuloque noſtro ſigillatum.*

Signum Domini Ottonis inuictiſsimi Imperatoris Auguſti.

Hildeboldus Cancellarius ad vicem Vuilligiſi archicapellani notaui.

Data XVIII. *Kalend. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCLXXVIIII. *regni autem Ottonis Imperatoris* XVIIII. *Imperij vero* XII. *Indictione* VII. *Actum in Erenſtein.*

Illâ eâdem tempeſtate, poſſidebant Heremitæ, eiuſdem Othonis primi liberalitate, prædia in Mortnouiâ, & Briſiacis, & Alſatiâ plura, proinde remotiora, & ad curam incommoda. Eorum partem, adſentiente fratrum collegio, Gregorius abbas per commutationem Eberhardo cuidam conceſsit, ab eo viciſsim, manu monaſterij ad vocati, accepit, quæ poſsidebat ipſe Brittæ, Vinterbergæ, Struttenhoffe, &

Grauoltz-

Grauoltzthale vicinis Heremo locis, & promtis, & in quibus jam nonnulla habebant. Hanc mutuam possessionum earum translationē, suâ auctoritate, Otho, eodem anno, & loco, dieque firmam, & rectam judicauit, sanciuitque tali rescripto.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, diuinâ fauente Clementiâ, Imperator Augustus. Cum cōsensu nostræ auctoritatis qualiter complacuit inter Euerhardum, & Gregorium venerabilem abbatem cum suis fratribus in MEGINRADES *Cella* DEO *militantibus, ob vtriusque vtilitates prædiorum suorum cōmutationes fieri, fidelibus nostris, tampræsentibus, quam absentibus notum esse cupimus. Et ne per futura tempora possit mutari quod sanxerunt probabiles viri, etiam nobis placuit, salubri illorum consilio interesse. Et vt cunctis apertissime pateat, quæ sit commutatio prælibata, necessario huic chartæ est inserenda. Nam supra memoratus Euerhardus, cum consensu vxoris suæ Gisilæ, ac filij Geuehardi supra scripto abbati, ac suis fratribus prædium suū quod possidere visus est, in loco, qui dicitur Britta, in pago Turicgouue, ac in Vuinterberg, ac Strutinhouan, ac Graolteſtale perpetuo habendum sub potestate Ecclesiæ, cuius idem abbas Gregorius procurationem gerit, pro alio prædio eiusdem Ecclesiæ sito in Mortenhouue, ac in Alsatia, in manu sui aduocati tradidit, cum Ecclesiis, mancipijs vtriusque sexus, cum agris cultis, & incultis, pascuis, pratis, siluis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, & cum quodam clerico Ruttcilinus nuncupato, cum omnibus filiis suis, & cum omnibus vtilitatibus ad prædicta loca pertinentibus. Et vt hoc concambium malorum in processu temporum nesciat detrimentum, iuxta petitionem illorum hanc chartam sub nostræ auctoritatis persona iussimus scribi, ac nostræ imaginis impressione signari.*

Signum Domini Ottonis inuictissimi Imperatoris Augusti.

Hildiboldus Cancellarius ad vicem Vuilligisi Archicapellani notaui.

Data XVIII. *Kalend. Februarij, Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCC. LXXVIIII. *Regni autem Ottonis Imperatoris Augusti* XVIII. *Imperij vero* XII. *Indictione* VII. *Actum Herenstein.*

A.D.N. CCLO. LXXX.

Sed ne patri largitione, & propensâ voluntate erga Heremitas concedere videretur, de suo quoque addendum putauit secundus Otto. Igitur, anno sequenti, Berouiam, & Vangense Sacellum, Lateriam, Bocariam, Cinctamque terræ Rhetiæ, & alia eius circuitus, & Comitatus loca in vsum monasterij conuertit, Gregorijque precibus munificentissimè largitus est, hoc monumento.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, diuinâ fauente clementiâ, Imperator Augustus. Omnibus fidei DEO, *ac nobis promissæ debitis seruatoribus, astantibus scilicet, atque futuris per subiectum scripti præsentis titulum patere volumus. Qualiter nos diuinæ retributionis præmia prospicientes ob petitionem, & interuentum Gregorij cuiusdam Abbatis religiosi monachi, ad abbatiam suam, cui ipse regulari vitâ, & imitando digne exemplo præsidet, in loco, qui dicitur* MEGINRADES *Cella, in honore sanctissimæ* DEI *genitricis* MARIÆ *semper Virginis constructo, atque consecrato, quemdam proprietatis nostræ locum Berouha nuncupatum cum Capella, in villa, quæ dicitur Vuanga, constructa, Lateria, Bocharia, & Cinctis, & omnibus in marca eadem ad nostram regalem potentiam pertinentibus, id est, curtilibus, ædificijs, terris, agris pascuis, pratis, siluis, alpibus, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis, vijs, & invijs, mobilibus, & immobilibus, quæsitis, & inquirendis, cũ omni futuro vsu qui humanis elaborationibus ibi adhuc fieri, ac præaugmẽtari de die in diem potest, in Ducatu etiã Ottonis Ducis, ac nepotis nostri, & in pago Curo vualahon iacentẽ dirigendum concessimus, atque hac nostræ Dominationis auctoritate ad integrum in proprium tradidimus. Eâ videlicet ra-*

tione, vt

tione, vt præscriptus iam Gregorius abbas religiosus, successoresque eius post eum venturi, prædictum locum Berouha vocatum, cum reliquis supra scriptis nostræ largitatis rebus, ac locis, absq; vllius inuidentis personæ contradictione, suo iure, in vsum Ecclesiæ, & monachorum, DEO, sanctæq; Genitrici illius, ibi die, nocteq; seruientium, ad agendum inde quod velint, perpetim teneant, atque possideant. Et vt hæc nostræ donationis traditio firmior in futuris temporibus, ac stabilior à cunctis habeatur, hoc nostræ maiestatis præceptum inde conscribi, manuque propriâ, subtus notatum sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti.

Hildeboldus Cancellarius ad vicem Vuilligisi archicapellani notaui.

Data IIII. *Kalend. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCLXXX. *regni autem Ottonis secundi* XIX. *Imperij* XIII. *Indictione* VI. *Actum in Helpite.*

Inde maximis, equitum, peditumq; copijs in Italiam profectus natalitios dies Romæ celebrauit, ibidem à Benedicto rursus coronari voluit. Gamenulpho Constantiensi Episcopo substitutus Gebhardus Hugonis Brigantij comitis filius. Vere primo anni nongentesimi octogesimi primi, in Græcos, qui Calabriam, & Apuliam auxilijs Sarracenorum receperant, copias promouit, multa prosperè gessit, donec idibus Iulij, prælio apud Vasentellum inito, ab Romanis, & Beneuentanis proditus, & perfidiosè desertus, magnâ suorum clade, profligatus est, cum vix se è nauicula in mare, instante hoste, abiecisset, & natatu euasisset. Neque tamen Græci aliud ausi, quantumuis Italiam facile dominio Orientali vindicare possent, victoriâ fraude partâ contenti Constantinopolin haut procul triumphātibus rediere. At Otho subitò copias recollegit, & inopinato Beneuentanos, tamquam cladis acceptæ auctores, oppressit, vrbem diripuit, & incendit, proditores, & fugæ compertos varijs cruciatibus

A. D N. CCL 9. LXXXI.

enicauit.

enicauit. Romam inde profectus quoſcunque proditionis conſcios, aut ſuſpectos pariter interemit, grauem ſe, & implacabilem perfidiæ vindicem præſtitit: vnde Sanguinarium Romani cognomine vocarunt. Inter illa, & dum eximium ſe operâ, & fortitudine patruo Imperatori præſtat dux Otho valetudine repentè oppreſſus, & extinctus eſt, anno nongenteſimo octogeſimo ſecundo XIII. Kal. Septembris. Illi ante quinquennium, pulſo ob rebellionem Heinrico patrueli, ducatum etiam Bauariæ Imperator commiſerat. Sed, eo defuncto, Heinricus paterno ducatui reſtitutus eſt. Allemanniam accepit ab Imperatore Cunradus, & Heremitarum pariter patrocinium. Sed dum, ingenti curâ, quoque reparat bellum Otho, anno ſequenti pariter animi ægritudine vitâ defecit, VI. Idus Decembris. Ex eius obitu ſubortæ maximæ, toto Imperio, turbæ, per partes, & diſſidia, alijs Heinricum Bauarum, alijs Othonem tertium, ſecundi filium, & poſtremo Romanis, & Italicis Creſcentium Nomentanum nobilem Romanum ad Imperium vocantibus. Vicit maior, meliorque pars, & adprobante pontifice, Othoni nondum pubertatis annos egreſſo, paternum Imperium ſtabilitum, haut vanâ ſpe, & voto, quando talem ſe præſtitit, vt rerum geſtarum claritudine, Mirabilia mundi vocatus, & proalteRo Salomone virtutis, & ſapientiæ laude habitus ſit. Vbi primum regnum ingreſſus eſt, nihil prius habuit, quam Germaniæ per factiones exorta diſſidia exſtinguere, partiumq; nomina abolere. Peragratâ igitur, anno nongenteſimo octogeſimo quarto, prouinciâ Rhenanâ, vrbibuſq; ſacramentum adactis, Ingelheimium cum matre Theophania, auctumno exeunte, venit, ibiq; aliquamdiu ſubhæſit, audiendis ciuitatum, & principum legationibus, & ſcribendo aduerſus Gallum milite. Illic morantē Gregorius adijt, adſumtiſq; in patrocinium Theophaniâ Auguſtâ, & Cunrado Allemanniæ duce, qui jam non obſcuris ſuum erga noſtros amorem, & adfectum patefecerat indicijs, ab eo contendit, quæque patris, quæque aui donationes, immunitates, priuilegia, & jura apud Heremum exſtarent, ea, ſuâ auctoritate, & munificentiâ

A. D. N. CCLXXXII.

A. D. N. CCLXXXIII.

A. D. N. CCLXXXIV.

nificentiâ certa pariter, & rata esse vellet, diplomateq; sanciret. Otho eius preces, solitâ beniuolentiâ, amplexus adnitente præsertim matre, duceque Cunrado, quidquid petijt cumulatè præstitit hoc rescripto.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuinâ fauente clementiâ, Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus scilicet, atque futuris, quomodo venerabilis Gregorius abbas sanctæ Ecclesiæ Meginradi Cella vocatæ ad nos venit, ac secum detulit præcepta beatæ memoriæ Ottonis Augusti Imperatoris aui nostri, ac piæ commemorationis filij, & æquiuoci illius, genitoris nostri Imperatoris similiter Augusti in quibus continebatur, Qualiter ipse auus noster supranominatus, suâ præceptione, ad præfatam Ecclesiam in honore sanctæ DEI *genetricis* MARIÆ *semper virginis, & sancti martyris Mauritij constructam, & consecratam concessit, ac dedit, vt nullus publicus exactor de familia, aut seruitoribus præscriptæ Ecclesiæ, siue abbatis ante iam dicti, successorumue eius telonium à quocumque negotio: vel percussuram monetæ in loco Turegum nuncupato exigat, seu accipere præsumat: Et quomodo loca Vffenoua, Pfeffinchouua, Vrincouua, Redilinghouua, vuilliringhouua dicta, Ecclesiamque in Mediolana; Et loca Regale, Endinga, Deninga, Densilinga, Vuenelinga, Burgheim, Rottuuila, Betzenhusa, Zarda, Baldinga, Liela, Ascinza, Bochesberg nominata, illuc donauit, eadem loca, & alia omnia ad eandem Eccesiam iuste pertinentia, suæ auctoritatis Præcepto confirmauit. Atq; filius eius prælibatus genitor noster Imperator Augustus omnia hæc præceptionis suæ donatione simili modo postea corroborauit. Pro rei autem firmitate idem iam dictus Gregorius abbas petijt nostrã Celsitudinem, vt nos denuo ab auo nostro superius videlicet nominato, & à genitore nostro æquiuoco eius Augustis Imperatoribus, aut ab alijs regibus, vel Imperatoribus ad præfatam Ecclesiam donata, & confirmata, nouâ nostræ præceptionis auctoritate, omnia cõfirmaremus. Nos vero pro* DEI *amore, ac petitione dilectæ matris nostræ Theophanæ scilicet*

Impera-

Imperatricis Augustæ, & interuentu fidelis nostri Cunradi Alamannorum Ducis piam deprecationem illius benigne suscipientes telonium de qualicumque negotio, & percussura monetæ, in loco Turegum nominato, quæ prætitulatus auus noster beatæ memoriæ Otto Imperator Augustus Ecclesiæ concessit, & omnia loca superius nominata, Ecclesiamq; in Mediolana, quæ ipse ad prænotatam Ecclesiam Meginradi Cella vocatam, Imperiali potestate condonando tradidit, accumaliis locis, vel rebus omnibus illuc rite aspiciẽtibus confirmauit, atq; genitor noster regiâ, Imperatoriaque dominatione simili modo postea corroborauit, nouiter cum hac regali nostræ præceptionis munificentia præfatæ Ecclesiæ, & abbati prædicto qui modo ei præsidet, successoribusq; illius, & monachis DEO ibi seruientibus sub perpetuo iure habendum donamus, tradimus, & confirmamus, Regiâ potestate firmiter præcipientes, Vt nullus Exactor publicus, vel alia quælibet maior, aut minor persona, in prædicto loco Turego, de familia, seu seruitoribus superius iam dictæ Ecclesiæ, siue abbatis, successorumque illius, telonium, aut percussuram monetæ exigere, vel accipere audeat, seu in prædictis locis, aut aliis eidem Ecclesiæ à regia, vel Imperiali potestate, siue ab aliquibus ceteris DEI fidelibus traditis, seu tradendis, repetitum abbatẽ Gregorium nomine, successores ue eius, aut monachos DEO, & sanctæ MARIÆ Virgini iugiter ibi seruientes inquietare præsumat. Et vt hæc nostræ donationis confirmatio præsenti, ac futuro tempore coram cunctis DEI, & nostris fidelibus firma, ac stabilis permaneat hoc regiæ dominationis nostræ præceptum inde conscriptũ sigilli nostri impressione signare iussimus, manuque propriâ, vt in propatulo videtur, subtus corroborauimus.

Signum Domini Ottonis gloriosissimi regis.

Hildibaldus Episcopus, & Cancellarius vice Vuilligisi archicapellani recognoui. Data VI. *Kalen. Nouembris. Anno Dominicæ Incarnationis.* DCCCC. LXXXIIII. *Indictione* XIII. *Anno vero regni tertij Ottonis primo, Actum Ingilenheim. In* DEI *nomine feliciter. Amen.*

Benedi-

Benedicto succeſſit Ioannes XIV. & mox illi Ioannes XV. Tranſactâ hieme, Cæſar exercitum cõtra Lotharium regem, qui Lotharingiam rurſus armis inierat, Virodunum,& Gotfridum eius Comitem ceperat mature eduxit. At ille,qui fœdus, cum Othone II. inſitâ genti leuitate, cupidini ſuo poſt habuerat,Othonis III. ætatem contemſerat,vbi aduenire præter ſpem,egregio milite,intellexit, turpi fugâ in Galliæ interiora retroceſſit, Virodunum Cæſari,Gotfridum libertati reſtituit. Anno nongenteſimo octogeſimo ſexto Ioanni XV. ſucceſſit Ioannes XVI. Anno ſequenti,Hermanno Contracto teſte, & Kalendario vetere, *S. MEGINRADI Eccleſia auctaeſt*, ſed quæ ea auctio fuerit, aut quid additamenti acceſſerit haut æquè explicant. Arbitror poſteriorem Baſilicæ partem fuiſſe, vbi nunc Odæum, & inferius duæ fornicatæ cellulæ. Nam tertiam, & ampliorem duabus antiquioribus poſt, & ex interuallo crediderim adiunctam. Argumentum eſſe poſſit, quod in earum cellularum alterâ ſepulturam ſibi S. pater noſter Gregorius dilegerit, quaſi in eum ipſam condiderit vſum. Iam nonum viduitatis annum agebat Theophane,ſeu,vt alia habent exemplaria,Theophania Othonis II. coniunx, egregiâ virtute, & pietate femina, Heremitarum ſingularis fautrix, & patrona, cum ipſa ad cælum migrauit, anno nongenteſimo nonageſimo primo, VI. Kalend. Septembris, magnumque ſui deſiderium apud omnes reliquit. Eius, parentalibus noſtris libris, cum curâ adſcripta, & notata memoria. Erat Nicephori Orientis Imperatoris filia, vt quidam volunt priuigna, Ioannis ſoror. Othonem III. peperit, ſingulariq; induſtriâ, & ſapientiâ, in eas, quibus longe inter orbis principes enituit, virtutes eduxit. Gregorius interea non ſolum ijs attentus, quæ ad præſentem ſui monaſterij felicem ſtatum attingere videbantur, ſed omnem eo curam vertens, exercitansque, vt quam largiſſimè eius fama, & diſciplina peruaderet, & inde vitâ, exemplo, monitis, alijs religionis incitamentis recti amor, & pietatis ſtudium augerentur, flagitia, & prauæ cupiditates abolerent, percolendæ S. Geroldi ſolitudinis, et quod in-

A. D. N. CCIↃ. XXCV.

A. D. N. CCLↃ. XXCVI.

A. D. N. CCLↃ. XXCVII.

A. D. N. CCLↃ. XCI.

stituerat cænobioli frequentandi certus necessarijs porro ad id comparandis animum aduerterat, vicinosque aliquot locos Berouiæ, Lateræ, Bocariæ, Vangæ, Cinctæque, qui proprietatis regiæ erant, neque ad cuiusquam dominationem, aut vsum pertinebant, ab Imperatore Othone II. acceperat, paternæ munificentiæ, vti demonstrauimus, & erga Heremitas beniuolentiæ æmulatore, vti fortitudinis, & magnificentiæ. Sed quia remotiores erant, & ideò maiori in periculo, non jam augendis, sed ab iniurijs vindicandis maximè sollicitus, posteaquam Othonem Francofurti conuentum, super bello Saxonico, anno nongentesimo nonagesimo secundo ineunte, agitare cognouit, ætate licet grandi, & valetudine dubiâ, paucis comitibus, ad eum tamen tetendit, et, pari munificentiâ, quâ Patrem, auumquè dedisse ostendebat, confirmare data, & perpetuò rata facere dignaretur deprecatus est, impetrauitque, non suâ jam modo petitione, sed intercedentibus, propensione singulari, & fauore Adelheide Augustâ auiâ, Cunrado Allemanniæ, & Heinrico Bauariæ ducibus, & pluribus alijs principibus. Diploma in hunc modum proditum est.

A. D. N. CCLO. XCII.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuinâ fauente clementiâ, Rex. Omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam & futurorum nouerit industria; Qualiter nos, ob interventum, & petitionem venerabilis abbatis Gregorij sanctæ Ecclesiæ MEGINRADI *Cella vocatæ, nos conuenientis, ac secum deferentis præcepta beatæ memoriæ Ottonis Imperatoris Augusti aui nostri, ac piæ cõmemorationis filij, & aquivoci illius, genitoris nostri Imperatoris Augusti, hæc eadẽ confirmare decreuimus, in quibus continebatur, Qualiter ipse auus noster Ecclesiæ præfatæ tradiderit in Rhætia, in villa Quadrauedes dicta, Ecclesiam cum decimis suis, ac terrã dominicam, cum omnibus in præfata villa ad regalẽ potentiam pertinẽtibus, id est, curtilibus, ædificijs, terris, agris, pratis, pascuis, siluis, alpibus, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, piscationibus, vijs, & inviis, mobilibus, & immobilibus, quæsitis, & inquirendis, placitis, seruitijs, censibusque*

cunctis,

cunctis, ac fiscum ordeum, de accensis ignibus, adiutoria regalis expeditionis cincta, ceteraque omnia ad imperiale ius pertinentia, ac eadem loca, & alia omnia ad eamdem abbatiam iuste pertinentia, suæ auctoritatis præcepto confirmauerit: similique modo filius eius genitor noster omnia hæc suæ traditionis largitate postea corroborauerit, dato etiam suæ proprietatis loco, Berouha nuncupato, cum capella, in villa, quæ dicitur Vuanga, Lateria, Bocharia, Cinctis iacente dirigendo, & omnibus in marcha eadem ad ius regale pertinentibus. Nos ergo pro DEI *amore, ac petitione dilectæ auiæ nostræ Adelheidæ, & interuentu fidelium nostrorum, Cunradi, & Heinrici Ducum, ceterorumq; fidelium, de omnibus præfatis locis, ac negotiis, à patris, ac progenitoris nostri, vel quorumlibet fidelium largitate concessis, prædictam* DEI *Ecclesiam traditionis, ac confirmationis munificentiâ redonamus: Obnixe iubentes, vt nullus exactor publicus, vel alia qualibet maior, vel minor persona in rebus Ecclesiæ traditis, seu tradendis, loci ipsius abbatem, successoresue eius, vel monachos ibidem degentes inquietare præsumat, vel aliquid iniuriæ familijs eorum intus, vel foris, vel in capitalibus censibus inferat, aut ad seruitia iniqua constringat, vel sua tollendo, à fratrum iam dictorum continuo seruitio abducendo, vel impediendo affligat. Et vt hæc nostræ donationis reformatio ab omnibus sanctæ* DEI *Ecclesiæ filiis amodo, & deinceps firma, stabilisq; credatur, hanc chartam inde conscriptã sigilli nostri impressione signare iussimus, manuq; propriâ subtus corroborauimus.*

Signum Domini Ottonis gloriosissimi regis.

Hildibaldus Episcopus, & Cancellarius vice Vuilligisi archiepiscopi recognoui.

Data IX. *Kalen. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis.* DCCCC. XCII. *Indictione* V. *Anno autem tertij Ottonis regnantis* IX. *Actum Franconvurti feliciter. Amen.*

Dilapsâ mox frigoris asperitate, in tumultuantes Saxones mouit, Brandenburgum expugnauit. Magnâ per ea tempora potentiâ, & dignitate vigebat Hermannus is, cui Otho III. post Cunradi mortem Allemanniæ ducatum de-

dit. Susceperatque ex Gerburga Cunradi Burgundiæ regis filia, filias tres, masculâ prole destituebatur, & eo magis appetebat, quia pulchritudine, & virtute feminæ antistabant. Medicorum igitur operâ, & quæ mortalium sunt, postpositis, ad DEIparæ Matris quæ apud Heremitas præsidet, multaq; admiranda, & inopina patrat, se cõuertit, sibiq; marem hæredem apud filium, & eumdem rerum omnium conditorem obtineat, summis precibus enixus est. Accepit preces regina cælorum, votoq; cõdamnauit, nato hoc eodem anno puero, quem subito, tamquã ab ea impetratum, & eius donum ad DEIparæ sacellum in Heremum transtulit, magnaq; lætitiâ, & omnium congratulatione salutaribus vndis ibidẽ expiari voluit, proparente, & teste adscito interplures Gregorio abbate, & Hermannũ de suo nomine vocauit. Atq; is post patrem summâ potentiâ, & omnium gratiâ Allemãniæ præ-

A. D. N. CCLO. XCIII. fuit. Anno nongentesimo nonagesimo tertio, explebat jàm vicesimum secundum sui episcopatus Volfgangus, tempusq; quod illi in nostra Heremo per visionem prædixerat quondã S. Othmarus, locusque aderat. Igitur cùm sibi haut dubiè extrema instare sensit, in eiusdem S. Othmari sacellum, quod in vico Puppingæ est, transferri se curauit, paucisq; horis, ibidem spiritum DEO reddidit pridie Kal. Nouembris, Lamberto Schafnaburgiensi auctore. Nam Nauclerus, qui ante euenisse scribit, in errore est. Haruicus Salisburgiensis archiepiscopus, & Aribo Comes Andechsius Ratisbonam delatum apud S. Emerammum magná frequentiâ, & omnium lacrimis, & questibus, se desertos ab patre optimo et sanctissimo ingementium sepeliere. Eius sanctitudinem nõ modo dum vixit, sed post mortem quoque crebra miracula probauere.

A. D. N. CCLO. XCIV. Anno sequenti, Cunradus rex Burgundiæ Adelheidis Augustæ frater vitam reliquit, & regnum Rudolfo III. filio, cui Ignauo fecere cognomentum. Anno nongentesimo nonagesimo quinto, Gebhardo VI. Kalendar. Septembris defuncto, virtute, & pietate insigni, vnde & diuorum in numerum referri meruit, nobilitateque præstanti, succesit in Episcopatu Constantiensi Lambertus

A. D. N. CCLO. XCV.

monachus

monachus eius, quod idem Gebhardus apud ripam Rheni, Petershauſe eſt nomen, ex ſuo patrimonio condiderat, monaſterij. Quod quidem monaſterium ex noſtri formula, regi voluit: credo etiam ex noſtris ſumſiſſe qui primo regerent. Ita enim ſcriptus manu liber de rebus geſtis eiuſdem S. Gebhardi. *De Cella quoque S. MEGINRADI, quæ dicitur ad Solitarios, ſuos monachos S. Gebhardus normam viuendi, & regimen habere decreuit, quoniam monachi illius cœnobij tunc temporis fuerunt religioſiſſimi.* In eodem libro numerantur abbates tres ex noſtra Heremo Petridomum acciti *Vualtarius*, *Sigifridus* & *Adelbertus*. Gregorius vero abbas, qui id vnum expetebat, egregiâ rei familiaris curâ, vti & diſciplinæ monaſticæ obſeruantia, vt monaſterij bona, & prædia, quantum fieri potuit, maximè propinqua, & ad manum eſſent, aut certè coniuncta, vt eorum melior ratio haberi, & commodius curari poſſent, cum Hildebaldo Vormatienſi Epiſcopo Cæſaris Cancellario egit, vti quæ paullo antè Schliengæ in Briſiacis liberalitate ab Othone acceperat, ea ſibi cederet, quia iam Schliengæ Othonis M. donatione amplas poſſeſſiones habebat. Qui cùm annuiſſet, Epiſcopo contra quæ ſui erant iuris, & proprietatis Gruonouio in vico, manu aduocati abbas reſignauit. Vtriuſque antiſtitis pacta conuenta ſuâ auctoritate ſanxit Otho Francofurti, hac formâ.

IN nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuinâ fauente clementiâ, Rex. Notum ſit omnibus fidelium noſtrorum tam præſentibus, quam & futuris, Qualiter cum noſtræ auctoritatis conſenſu inter Hildebaldum Vuormatienſis Eccleſiæ antiſtitem, & Gregoriũ monaſterij, quod MEGINRADES *Cella nuncupatur, venerabilem abbatem, cum communi conſilio fratrum ibidem* DEO *militantium, complacuit ob vtrorumque vtilitates ſuorum prædiorum commutationes fieri. Et ne per futura tempora poſſit mutari quod ſanxerunt probabiles viri, etiam nobis complacuit ſalubri illorum conſilio intereſſe. Et vt cunctis, quæ ſit commutatio prælibata apertiſſime pateat, neceſſario eſt huic chartæ inſerenda.*

Supra memoratus namque Hildebaldus Episcopus, cum consensu Ecclesiæ suæ clericorum, supra scripto abbati, ac suis fratribus prædium suum Schalea nuncupatum, in Ducatu Alamannico, in pago Prisachouue dicto, in Comitatu Birichtilonis Comitis sito, cum omnibus ad eundem locum iuste, ac legaliter pertinentibus, hoc est, areis, ædificiis, vinetis, mancipiis vtriusque sexus, seruitiis, censibus, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis, quæsitis, & inquirendis, exitibus, & reditibus, viis, & inviis, cunctisq; alijs appendiciis, quæ adhuc dici, aut nominari possunt, perpetuo habendum sub potestate Ecclesiæ, cui præfatus venerabilis abbas Gregorius præesse videtur, pro alio prædio eiusdem Ecclesiæ Gronouua dicto, in manibus sui aduocati firmiter contradidit. Et vt hoc concambium malorum in processu temporum nesciat detrimentum, iuxta petitionem illorum hanc chartam sub nostræ auctoritatis persona iussimus scribi, ac nostræ imaginis impressione signari.

Signum Domini Ottonis gloriosissimi regis.

Hildibaldus Episcopus, & Cancellarius vice Vuilligisi archiepiscopi recognoui. Data v. *Idus Decembris. Anno Dominicæ Incarnationis.* DCCCC. XCV. *Indictione* VIII. *Anno tertij Ottonis regnantis* XII. *Actum Francofurti feliciter. Amen.*

A. D. N. CCLD. XCVI.

Etsi verò multo ante expeditionem Italicam animo agitarat Otho, varijs tamen bellis, & negotijs, in annum vsque insequentem distulit. Profectus eo magno, & eximio comitatu per pacem, & omnium vota, & adplausus Romam, ineunte Martio, aduectus est, vbi non minori quam perreliquam Italiam, pompâ, & lætitiâ susceptus, adnitente in id Ioanne pontifice, & Crescentio consule P. Q. R. & vniuerso clero, plures dies inter publica gaudia, & oblectamenta exegit, donec precibus pontificis, viâ Campanâ, mouit exercitum versus Capuam, & Beneuentum, quæ inter se non dissidebant modo, sed præteritorum memoriâ, aut suapte peruicaciâ Cæsareas opes despicere videbantur. Illis & concordiam

cordiam priſtinam reparauit, & concordes ſuo mox imperio ſubiecit. Inde, re ex animi ſententiâ perfectâ, Romam regreſſus, Ioannem extremum diem obijſſe reperit. Suâ igitur præſentiâ, & exercitus formidine Creſcentij, & P. R. vim, & audaciam repreſſit Otho, ne, quod ſolitauerant, pontificis nominationem auderent, aut in partes, & factiones, antiquum, & inſitum, illa in Vrbe, pontificijs comitijs, malum, ſecederent. Electus omnium ſuffragio, ſed Othonis præcipuè fauore, & ambitu Bruno, Othone Allemanniæ quondam duce patruele genitus, qui Gregorium ſe V. vocauit. Prima Gregorij cura fuit Othonis coronatio ad maiorum ſuorum exemplum. Peracta ea V. Idus Iunij, ſolitâ ſollennitate, & omnium congratulatione. Quibus rebus peractis, Imperator Româ ſubitò diſceſſit, peragrataque Calabriâ, & adito, religionis cauſâ, Gargano, verſus Germaniam, incipiente auctumno, iter conuertit, compoſitâ vrbe, & pacatâ, vt videbatur, plurimos in annos Italiâ, lætus, & triumphabundus Conſtantiam primò, pòſt in Elſatiam, & Lotharingiam, Belgicamque profectus, exeunte Nouembri, Bruxellas peruenit. Et illum eo vſque proſecutus abbas Gregorius. Vbi rurſus, oſtenſis patris, auique diplomatis, priuilegijs, & beneficijs, eorum memoriâ, & ſuapte propenſione, accedente ſolito fauore, & adfectu Auguſtæ Adelheidis auiæ, & ducis Cunradi facile impulit, vt eadem omnia, poſteaquam Imperialia ornamenta accepit, receptâ conſuetudine, nouo reſcripto æternum ſtabiliret, & firma, perpetuaque declararet. Reſcripti exemplare ita habet.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, diuinâ fauente clementiâ, Imperator Auguſtus. Notum ſit omnibus fidelibus noſtris præſentibus, ſcilicet, & futuris. Quomodo venerabilis Gregorius abbas ſanctæ DEI *Eccleſiæ* MEGINRADI *Cellavocatæ, ad nos venit, ac ſecum detulit præcepta beatæ memoriæ Ottonis Auguſti Imperatoris aui noſtri, ac piæ commemorationis filij, & æquivoci illius genitoris noſtri Imperatoris ſimiliter Auguſti, in quibus continebatur,*

Qualiter ipse auus noster supra notatus, suâ præceptione, ad præfatam Ecclesiam in honore DEI genitricis MARIÆ semper Virginis, & sancti martyris Mauritij constructam, & consecratam concessit, ac dedit, vt nullus publicus exactor de familia, aut de seruitoribus præscriptæ Ecclesiæ, sine abbatis ante iam dicti, successorumue eius, telonium à quocumq; negotio, vel percussura monetæ, in loco Turegum nuncupato, exigat, seu accipere præsumat: Et quomodo loca Vffenhouua, Phaffinghouua, Vringhouua, Reddilinghouua, Vuillirinhouua, Steuia, Lindenouua, Houa, Vuanga dicta, Ecclesiaque in Mediolano: Et loca Regale, Endinga, Deninga, Denzelinga, Vuenilinga, Bezenhusa, Zarda, Liela, Aschinza, Brittona nominata: Et loca in Rhetia sita Quadrauedes, Campesia, Meilis, Perouua nominata, illuc donauit, ac eadem loca; & alia omnia ad eamdem Ecclesiam iuste pertinentia suæ auctoritatis præcepto confirmauit: Atque filius eius prælibatus genitor noster Imperator Augustus omnia hæc præceptionis suæ donatione, simili modo, postea corroborauit. Prorei autem firmitate idem iam dictus Gregorius abbas petijt nostram Celsitudinem, vt nos denuo ab auo nostro superius videlicet nominato, & à genitore nostro æquivoco eius filio Augustis Imperatoribus, aut ab alijs regibus, sine Imperatoribus ad præfatam Ecclesiam donata, & confirmata; nouâ nostræ præceptionis auctoritate omnia confirmaremus. Nos vero pro DEI amore, & petitione dilectæ auiæ nostræ Adelheidæ Imperatricis Augustæ: & interuentu fidelis nostri Cunradi Alamannorum Ducis, piam deprecationem illius benigne suscipientes telonium, de qualicumque negotio, & percussuram monetæ, in loco Turegum nominato, quæ prætitulatus auus noster beatæ memoriæ Otto Imperator Augustus Ecclesiæ concessit, & omnia loca superius nominata, Ecclesiamq; in Mediolano, quæ ipse ad prænominatam Ecclesiam MEGINRADI Cellavocatam Imperiali potestate condonando tradidit; ac cum alijs locis, vel rebus omnibus illuc rite aspicientibus confirmauit: Et quæ genitor noster regiâ, Imperiatoriaq; dominatione, simili modo, postea corroborauit, nouiter cum

hac

hac regali, & imperiali nostræ præceptionis munificentiâ præfatæ Ecclesiæ, & abbati prædicto, qui modo ei præsidet, successoribusq; illius, & monachis DEO *ibi seruientibus, sub perpetuo iure habendum donamus, tradimus, ac confirmamus, Imperiali potestate firmiter præcipientes vt nullus exactor publicus, vel alia qualibet maior, aut minor persona in prædicto loco Turego de familia, vel seruitoribus superius iam dictæ Ecclesiæ, siue abbatis, successoribusque illius telonium, aut percussuram monetæ exigere, vel accipere audeat, seu in prædictis locis, aut aliis eidem Ecclesiæ à regia, vel Imperiali potestate, siue ab aliquibus ceteris* DEI *fidelibus traditis, seu tradendis repetitum abbatem Gregorium nomine, successoresue eius, aut monachos* DEO, *& sanctæ* MARIÆ *Virgini iugiter ibi seruientes inquietare præsumat. Et vt hæc nostræ donationis confirmatio præsenti, ac futuro tempore coram cunctis* DEI, *& nostris fidelibus firma, ac stabilis permaneat, hoc imperialis dominationis præceptum inde conscriptum, sigilli nostri impressione signare iussimus, manuque propriâ, vt in propatulo videtur, subtus corroborauimus.*

Signum Domini Ottonis inuictissimi Imperatoris Augusti.

Hildebaldus Episcopus, & Cancellarius vice Vuilligisi archicapellani recognoui.

Data pridie Kalend. Nouembris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. XCVI. *Indictione* X. *Anno vero tertij Ottonis regnantis* XIII. *Imperij autem primo. Actum in Broxole. Feliciter. Amen.*

Haut longa deinceps Gregorio vita fuit. Ex Belgio reuersus fundatoq; , & in perpetuũ cõstituto nostri monasterij statu, ægritudine per viam inualescente, & exitâ ætate, exstinctus est VI. Idus eiusdẽ mensis Nouembris regiminis anno XXXIII. magnâ apud Imperatores, & Principes, dũ vixit, dignitate, & honore, & apud reliquos ões auctoritate, & veneratiõe. Anglũ fuisse, & regiæ stirpis, Eduuardo patre, fratribus

Adelstanno

Adelstanno,& Edmundo Angliæ regibus consentiunt Heremi scripta omnia, quorum ista quoq; interserere volui. *Hic Gregorius de Anglorum regibus ortus, nuptiis sibi paratis, noctè à coniuge suâ pro* DEI *amore aufugit, & Romæ in Cælio monte monachus factus, & diu inclusus, angelo tertiò sibi præcipiente, omnibus incognitus huc aduenit, & postea hic abbas effectus, & angelicam vitam ducens hic obdormiuit. Sub quo etiam S. Volfgangus Ratisbonensis episcopus hic Heremiticam vitam duxit, & isthic Decanus exstitit, & causâ prædicationis ad Bauarorum conuersionem ab eodem suo abbate missus est.* Consentit quantum ad nationem, & nuptias paratas, & cælestis sponsi amore contemtas scriptor vitæ eiusdem S. VVolfgangi, cum eiusdem S. VVolfgangi in Heremum nostram aduentum retulisset. *In illis autem diebus,* inquit, *cœnobitis loci ipsius Spiritualis præfuit pater Anglorum gente procreatus, nomine Gregorius, iuuenilibus annis patriam, parentes, feminamquoq; sibi desponsatam relinquẽs admonasterium cõuolauit, cuius vitam religiosissimam, quia non opus est, hic retexere prætermittimus, ne à proposito deuiemus. Huius ergo abbatis magisterio seruus Christi Volfgangus se commendans,* &c. *Nobilissimùm* sanè ex progenitoribus, & ob vitæ integritatem *sanctum* Hermannus Contractus nominauit. Fateor, apud eos auctores qui res Anglicas posteris reliquerunt, Gregorij, quod sciam, mentionem non reperiri. Sed neque moris erat regum, aut Principum liberos, qui sacris se dedissent, fermè recensere, nisi quantum eorum memoriam publica, vel priuata poscebant negotia, & acta, adeò, ijs quasi mundo mortuis, & rebus humanis ereptis, nullam historici ipsorum prope rationem habuere. Gregorium Heremitæ fornice concamerato pone D. Mauritij altare condiderunt, vbi multis inclaruisse traditur miraculis. Suffectus vnanimi collegio Virandus ex Comitibus Vandelburgiensibus, Rapersvillæ dominis, VI. Kal. Ianuarij, qui Gregorio memoriæ, & gloriæ hoc epitaphium posuit, vti erat summæ eruditionis, non minus atque virtutis.

Abbas Gregorius laudum ſplendore coruſcus,
Flos Anglæ ſtirpis: præcipuus meritis.
Idibus in ſenis animam reddendo Nouembris
Spiritui cælum, oſſibus hunc tumulum
Promeruit, dignâ factis mercede repensâ.
Nunc fruitur ſummo lætus, ouansq; bono.
Creditur angelicis pſyche ſubuecta miniſtris
Gregorÿ patris ſedibus æthereis.

Atque iſta fuere noſtræ Heremi fundamenta, hi principes, hæ columnæ, quos etſi poſtea ſucceſſores nobilitate, aut ſanctitudine hautforſitan omnino adſecuti ſunt, magnâ tamen certè virtute, & conſtanti diſciplinâ ad poſtrema pene tempora agitauere. Quod petiti inde non modo in vicina monaſteria Antiſtites, ſed frequentes etiam Ciuitatum Epiſcopi ſatis demonſtrant, de quibus ſuis locis.



VIRANDVS EX COMITIBVS VANDELBVRGIENSIBVS ABBAS HEREMI QVARTVS.

A.D.N. CCLɔ. XCVII.

VIX VRBE, & Italiâ copias deduxerat Otho, cum ad ingenium Romani rediere: Gregorij electionem coactam, neque pro antiquâ libertate criminantes, Crescentioq; in partes traducto, breui Pontificem Româ pepulere, substituto Ioanne Episcopo Placentino. Gregorius ad Othonem concessit, quoque in loco res Romana haberetur pluribus edocuit. At is, nullâ interpositâ morâ, quam maximum potuit toto Imperio delectum habuit, annoque jam exeunte, Romam versus, nunquam intermissis itineribus, tetendit. Ne eum co-

mitari

mitari posset Cunradus I. dux Allemanniæ mors obstitit. Defunctus est XIII. Kal. Septembris, fidus quoque, vti vidimus, Heremi fautor, & protector. Otho Allemanniæ ducatum dedit Hermanno II. propinquo suo, de quo supra etiam commemorauimus. Romam cùm venisset, vrbem omnibus copijs circumsedit, tantumque terrorem incussit, vt, nullo per trepidationem satis resistente, breui potitus sit, Ioanne, & Crescētio in molem Adriani, cum primoribus nonnullis elapso, quam quidem Crescentius tantis operibus, & munimentis firmauerat, vt tamquam fundatore multis postea annis ab eo acceperit, tenueritque nomen. Pluribus per varias oppugnationes consumtis diebus, cum ex Imperatoris pertinaciâ spes obsessos iam deseruisset, & rursus clementiâ Principis ob oculos versaretur, deditionem postremò fecere. Et Ioannes quidem, oculis erutis, ad perpetuos carceres in Germaniam relegatus est, Crescentium verò, capite amputato, cum alijs pluribus in crucem sustulit. Talem finem sortitæ vanæ, & ambitiosæ horum infelicium cogitationes. Gregorius sedi, & pontificiæ dignitati restitutus, vndecimo quàm expulsus fuerat mense. Sunt qui eum, hoc tempore, Romanorum superbiæ comprimendæ, & vlciscendis iniurijs simul ornamento suæ præ ceteris nationis, Electores Imperij VII. consensu, & voluntate Othonis Imp. instituisse prodiderunt, super qua re Auctorum opiniones neque contendere, neque refutare instituti nostri ratio permittit. Ceterum neque tum inter tot rebellium, Italiæq;, & Vrbis turbas, & dissensiones Heremitarum immemor Otho. Dum Romæ commoratur, sollicitante nullo, suapte pietate, & affectione, illis multa apud Rhetos, aut iam potius in Vindelicia (Algouiam nunc vocant, pro Alpingouia, quatenus se in alpes erigit porrigitq;, loca concessit, hoc diplomate, Crescentij morte, & supplicio celebri.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Ottho diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus. Omnium fidelium sanctæ DEI *Ecclesiæ, nostrorumq; præsentium, & futurorum nouerit vniuersitas, Qualiter nos ob remedium ani-*

dium animæ nostræ, parentumq; nostrorum Ecclesiæ sanctæ DEI *genitricis* MARIÆ, *in loco* MEGINRADES *Cella nuncupato, constructæ, dedimus quatuor mansos, in villa Bilouesheusa dicta, in Comitatu Vualterii Comitis, in pago quoq; Viluesgeuue sitos, atque easdem hobas, cum omnibus vtensilibus, areis, ædificiis, terris cultis, & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, siluis, venationibus, aquis, aquarumue decursibus, viis, & inviis, aliisque appendiciis, quæ ad hue dici possunt, Eadem sanctæ genitrici* DEI MARIÆ *in proprium donauimus, eo tenore, vt perpetualiter ad vsum monachorum eiusdem loci permaneant. Et vt hæc donatio stabilis perseueret, hanc paginam sigillari iussimus, manuque propriâ, vt videtur infra, corroborauimus.*

Signum Domini Ottonis invictissimi Imperatoris Augusti.

Hildibaldus Episcopus, & Cancellarius vice Vuilligisi archiepiscopi recognouit.

Data III. *Kalen. Maij. Anno Dominicæ Incarnationis.* DCCCC. XCVIII. *Indictione* XI. *Anno tertij Ottonis regnantis* XV. *Imperij secundo. Actum Romæ quando Crescentius decollatus suspensus fuit.*

Restituto, illo, quo diximus, modo, Vrbi pontifice, tranquillâ Italiâ, rebus secundantibus, rursus in Germaniam reuersus est. Anno sequenti, alij anno antecedenti malunt, defunctus idem Gregorius optimus pontifex successorem Siluestrum II. Othonis Imp. latinis quondã literis doctorem accepit. Eodem tempore factus terræ motus maximus, varia notata prodigia, cometes quoque visu horrendo varie mortalium animos adfecere. Eodem anno exeunte, vitam etiam deniq; exuit Adelheidis Augusta, ætate exactâ, de cuius laudibus, & sanctitudine clarum ex eo testimonium, quod pleriq; inter beatas numerent, colantq;. Eius vitam posteà trademus. Sepulta est Saletione ad Rhenum infra Argentoratum monasterio ibi à se condito, quod in Canonicam haut

A.D.N. CCIↃ. XCIX.

A. D. N. CIↃ.

multis

multis ante annis conuersum. Quantis vero beneficijs Heremitas prosecuta sit, quamque assiduam, & liberalem nostri se monasterij patronam, & fautricem præbuerit, multis hactenus exemplis ostendimus, merito vt cum Othone M. marito fundatrix præcipua habeatur, memoriaque sempiternâ, & anniuersariâ apud nos excolatur. Mortem obijt XVII. Kal. Ianuarij, aut potius secundum antiqua nostra Kalendaria .XVI. Ditmarus huius temporis scriptor ponit XIV. Kalend. Ian. anno CCIↃXCVIII. Ait enim, *Hoc eodem anno (CCIↃ. XCVIII.) decimoquarto Kal. Ian. tertij Othonis Imp. auia, primi verò Othonis vxor gaudens moritur, ædificatâ ciuitate Olsa,* (corruptè, pro Selsa, antiquis Saletio) *collectisib idem monachis. Huius fideli seruitio iusta recompensans præmia Dominus ad tumbam eius plurima hodie operatur miracula.* Vitam eius pluribus venerabilis Odilo abbas Cluniacensis perscripsit. Erat Imperator Otho III. licet ætate iuuenili, tantæ virtutis, & integritatis, vt nihil impensius agitaret, quam quæ in bonum publicum totius Imperij, & Italiæ præcipuè felicitatẽ, & Romanæ vrbis decus, & reparationem verterentur. Itaq;, adsumtis, quãtum vsus, & splendor, dignitasq; poscere videbãtur, extoto Imperio primoribus, Romæ, tamquam apud orbis reginã, sedem figere perpetuam constituit. Et vrbem sanè aliquandiu summâ pace, & iustitiâ habuit, donec, nullâ idoneâ caussâ, aut occasione, facto ex plebis R. consuetudine ingenti tumultu, anno millesimo primo, & ad arma, qui libertatem veterem vellent, convocatis, *A. D. N. CIↃ. I.* in Imperatorem nihil tale opinantem, aut exspectantem impetum Romani fecere, oppressissentque Principem innocentissimum, crudeli exemplo, nisi Heinricus dux Bauariæ, & Hugo marchio Italiæ per pacti simulationem ipsum eripuissent, multis tamen ex aulæ familiaribus trucidatis, alijs fædè multatis, & vulneribus fædatis, partim in vincula raptis. Dum copias, quibus injuriam vlciscatur, conficit Otho, paucis post diebus, ægritudine, an Crescentij viduæ dolo Materni defunctus est, v. Kal. Februari anni millesimi secundi. Eius *A. D. N. CIↃ, II.* mortem, quia absque mare hærede decesserat, secuta super

Imperio cõtrouersia. Sed Heinricus dux Bauariæ tamquam proximus, quippe qui eodem ab Othone M. & Saxonum Imperio, quo, qui excesserat, Otho consanguinitatis, & originis gradu erat, ornamenta Imperialia sibi vindicauit, & ab Viligiso Maguntiacensi archiepiscopo, & archicapellano rex inunctus est. Mox in Hermannum Allemanniæ ducem qui priores, aut æquales, cum eo Imperij partes ambiebat, exercitum duxit, prælioque, anno millesimo tertio, facto, superior fuit. Eodem tempore, mortuo Siluestro II. successit Ioannes XIIX. & eodem pariter post mensem V. exstincto, Ioannes XIX. nostri Ordinis. Vnde breui postea deditionem fecit Hermannus, cesseruntque omnia Heinrico, qui subito, Allemanniâ pacatâ, anno sequenti, in Italiam, quæ post Othonis obitum penè tota defecerat, exercitum per Tridentinos transportauit. Modoetiæ coronam regni Italici accepit, Ticinum obsistere ausum oppugnauit, & captum incendit, reliqua Insubriæ subegit. Reuocatus hinc in Germaniam, propter quorundam factiones circa Idus Iunias Tigurũ venit. Eo quoquè ad eum Virandus profectus regaliorum, & ceterorum bonorum Monasterij sui confirmationem obtinuit. Heinriciani diplomatis hæc est forma.

A. D. N CIↃ. III.

A. D. N. CIↃ. IV.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Heinricus, diuinâ fauente clementiâ, Rex. Si circa loca DEO *dicata pro Ecclesiasticæ facultatis augmento, intendimus, diuinum nobis profecto remunerationis præmium profuturũ credimus. Ideo nouerit fidelium nostrorum tam præsentium, quam & futurorum industria, Qualiter venerabilis abbas nomine Vuirand, qui & verendus, nostræ Serenitatis excellentiam deprecatus est, Quatenus Ecclesiam sanctæ* MARIÆ *in Cella* MEGINRADI *heremitæ constructam, Deoq; dicatam subleuaremus nostrorum exemplo antecessorum. Cuius precibus, & ipsius interuentu assensum præbentes, ob æternam remunerationem, & remedium animæ nostræ, quandam curtem regij quondam iuris, prælibatæ Ecclesiæ, seruisq; DEI secum per succedentia tempora in prædicta Cella* DEO, *ad regulam sancti*

Benedicti

Benedicti, militantibus, per hoc præceptum confirmauimus, & ex integro donauimus, cum omnibus ad eamdem curtem, quæ Riegol dicitur, iuste, & legaliter pertinentibus, in Ducatu Allemannico, in Comitatu Brisichgouue, subnominatis his locis Endinga, Vuenelinga, Chenzinga, Deninga, Burcheim, Baldinga, & cetera loca ad præfatam curtem Riegol pertinentia, vbicumq; prouinciarum iacere videantur, cum omni eorum vsu, cum Ecclesiis, & earum decimis, cum omnibus censibus, ædificiis, mancipiis vtriusq; sexus, agris, pratis, vinetis, siluis, forestibus, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus, & reditibus, cultis, & incultis, quæsitis, & inquirendis, & omnino ita, sicuti quondam Guntramus visus est habere in sua investitura, quando ob reatum regiæ infidelitatis, publicâ sententiâ conuictus extitit, & omnis eius proprietas, iusto iudicio, in regalem munificentiam, & potestatem legaliter dijudicata est. Iussimus quoque hoc præceptum inde conscribi, per quod volumus, firmiterque iubemus, vt præmemorati monachi, omnesque successores illorum absq; vllius contradictione perpetualiter libero inde fruantur arbitrio sibi habendi, aut Ecclesiastico more commutandi. Et vt hæc auctoritas nostra stabilis inrefragabiliter conseruetur, manu nostrâ propriâ subtus eam firmauimus, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domini Heinrici inuictissimi regis.

Egilbertus Cancellarius vice Vuilligisi archicapellani recognoui.

Data XV. *Kalend. Iulij, Anno Dominicæ Incarnationis.* M. IIII. *Indictione* I. *Anno vero Domini Heinrici secundi Regis* III. *Actum in Zurich. In* DEI *nomine. Feliciter. Amen.*

Obierat paullo ante I v. scilicet Nonas Mai. Hermannus II. dux Allemanniæ, in cuius vicem Allemanniæ imperare iussit rex Hermannum III. filium admodum adolescentem. Erat regis consobrinus. Heinrici enim mater Gisila,

& Hermanni Gerbirga sorores erant Cunradi Burgundiæ regis filiæ. Tiguro per Allemanniam in Saxoniam contendit, vbi aucto, & confirmato exercitu, in Bohemiam peruenit, Boleslaum ducem subiugauit, contra Sclauos quoque pugnauit. Anno sequenti fames magna totam Germaniam pervasit, & inde pestilentia. Fuere, eo tempore, qui de cælo literas accepisse profiterentur certis conditionibus plenas, quarum obseruatione ira diuina mitigari posset. Super ijs Synodus habita condamnauit. Siluestro secundo successit Ioannes XVIII. & quinto post mense Ioannes XIX. Huic quoq; anno millesimo septimo, aut, vt vult Baronius, nono, Sergius IV. substitutus est, tantæ prudentiæ, vt, toto pontificatu, nihil deprehendi potuerit quo merito reprehendatur. Principes Italiæ contra Saracenos sollicitauit, qui Siciliam eorum è manibus extorserunt, & multa alia eximia cum laude tentarunt, nonnulla pariter obtinuerunt. Anno millesimo duodecimo obijt Hermannus III. dux Allemanniæ Kalend. Aprilis. Cæsar ducatum dedit Ernesto I. qui Hermanni sororem Giselam matrimonio habebat. Erat Ernestus Adelberti Austriæ marchionis frater vterinus. Eodem quoque anno Sergio IV. successit Benedictus VIII. Anno millesimo decimo tertio Heinricus & Benedicti pontificis precibus, & Maurorum, qui in fauorem Græcorum Calabriam invaserant, tyrannide, in Italiam cum exercitu tetendit, in Insubria hiberna habuit, quibus transactis, Romam, anno sequenti, profectus, ab eodem Benedicto coronam Imperialem accepit VII. kalend. Mai. Inde exercitum contra Mauros duxit eosque breui Italiâ expulit. Troiam ab Bubagano recens conditam, & Græco milite firmatam, obsedit, & per deditionem obtinuit. Anno millesimo decimo quinto, Adelbero Comes Ernestum Allemannniæ ducem in venatione, dũ feram appetit, fortuito telo traiecit pridie kalend. Iunij. Imperator filium Ernestum II. succedere voluit. Gisela vidua cum Cunrado Franconiæ duce, qui postea imperauit, nuptias secundas inijt. Anno millesimo decimo octauo Heinricus Imperator ex Polonico bello redux Francofurti natales dies

A.D.N. CIↃ. V.

A. D. N. CIↃ. VII.

A.D.N. CIↃ. IX.

A. D. N. CIↃ. XII.

A.D. N. CIↃ. XIII.

A.D.N. CIↃ. XIIII.

A. D. N. CIↃ. XV.

A. D. N. CIↃ. XVIII.

cum

cummultis principibus peregit. Ibidem denuò, tamquam Imperator, VIRANDI, & Monasterij nostri priuilegia, & bona sita in Comitatibus Brisiaco, Tigurino, Lintsgouiensi, Turgouiensi, Rhetiensi, cum eorum omnium iure, & iurisdictione, amplo, & egregio, nostroque monasterio meritò semper profuturo diplomate sanxit, & confirmauit Nonis Ianuarij. Eius infra est exemplare.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Heinricus diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus. Vbicumque locorum Ecclesias à Christi fidelibus constitutas vel aliquid addendo, vel addita confirmando iuuamus; nobis id, regniq; nostri stabilitati prodesse minime dubitamus. Quapropter nouerit omnium DEI *fidelium, nostrorumque vniuersitas, Qualiter nos, pro remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum, res Ecclesiasticas, à quibusdam ob æternæ recompensationis spem, loco sancto,* MEGINRADES *Cella nuncupato, fratribus ibidem sub abbatum regularium monachico moderamine manentibus, & in posterum successuris,* DEI *seruitio commodius sustentandis concessas, præcepti auctoritate Imperatorij confirmamus, cum locis diuerse illò contraditis, ac huiuscemodi subnominatis, id est, iuris sui curtem Riegol vocatam, cum locis Endinga, Vuenelinga, Chenzinga, Deninga, Burcheim, Baldinga, Rottvilla, Bezenhusa, Berga, Bochesberg, Zarda, Liela, Tutesuelda, Richtlinga, Birinheim in Ducatu Alamannico, in pago Prisgouue sitis. In Comitatu etiam Zurichgouue loca Vffanouua, cum cæteris eò pertinentibus, id est, Pfaffinghoua, Vringhoua, Ecclesiaque in Meiolano sita, ceteraque illuc, vbicumque terrarum iacere videantur, pertinentia, cum dote eiusdem Ecclesiæ, Vtonuvuilare, Chaltenbrũna, Steuia, Baechui, Lindunouua, Rutin, Manidorff, EZZilinga, Friginbach, Raprechtesuuilere Sibbineihha, Vuagana, Ruttin, Vuanga, Suites. In Comitatu Turgouue Aschenza, cum sibi pertinentibus locis. In Comitatu Linzisgeuue Titzinsdorff, Turinga, Rutin. In Comitatu Rhetia, Quadrauedes, Meiles,*

Senouio, Ensline, Nezudra, Ciſe, Vallis Truſiana, Campeſia. Hæc quippe omnia cum ſingulis eorum appertinentiis, id eſt, vtriusque ſexus mancipiis, ædificiis, terris cultis, & incultis, ſiluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, piſcationibus, vinetis, alpibus, cenſibus, placitis, ſeruitiis, vijs & inviis, exitibus, & reditibus, quæſitis, & inquirendis, foreſtibus, & cum omnibus, ita vt ab anteceſſoribus noſtris regibus, ſiue Imperatoribus, vel à quibuslibet ceteris, eidem Eccleſiæ ſanctiſſimæ Matris DEI MARIÆ, *abbatis, fratrumq; vſui proprio condonata, ſub noſtra excellenti auctoritate firmamus. Eâ ſcilicet ratione, vt, omnium inquietudine circa hæc penitus ſemotâ, nullus aliquo poteſtatis iudiciariæ præditus regimine, easdem iam dictas res nec aliquatenus moleſtare, vi rapere, inaniter diſperdere, ſeruitia inde in quacumq; re exigere, vel aliquid iniuriæ familiis eorum intus, vel foris, aut capitalibus cenſualibus inferre præſumat, nec ad ſeruitia iniqua conſtringat, vel, aut ſua tollendo, aut inique exprimendo, vel à fratrum iam dictorum continuo ſeruitio aliquatenus deducendo, vel impediendo confligat. Et vt hoc noſtrum præſens præceptum cunctis ſanctæ* DEI *Eccleſiæ filiis à modo, & deinceps firmius, ſtabiliusq; viuis, & ſucceſſuris credatur, ac certificetur hanc chartam inſcribi iuſſimus, propriaque manu ſubtus firmatam ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus conſignari.*

Signum Domni Heinrici Romanorum invictiſſimi Imperatoris Auguſti.

Guntherius Cancellarius vice Erchenbaldi Archicapellani recognoui.

Data Non. Ianuar. Indictione I. *Anno Dominicæ Incarnationis* M. XVIII. *Anno vero Domini Heinrici II. regnantis* XVI. *Imperij autem* IIII. *Actum Franckenfurt. Feliciter. Amen.*

Paucis poſt menſibus ſcilicet XVII. Kalend. Iunias obijt Lambertus Conſtantienſis Epiſcopus. Suffectus Rut-

hardus,

hardus. Francofurto Babenbergam Cæsar profectus, Benedictum pontificem, qui Romanorum turbis, & dissidijs euitandis in Germaniam secesserat, magnâ sollennitate susce-pit, habitumq; per aliquot menses, & donatum splendidissimè Tigurum vsque in Italiam redeuntem prosecutus est. Tiguri audiendis Allemanniæ, & Insubriæ legationibus moras facientem accessit Virandus, instititq; precibus vt siluas, & montes nonnullos monasterium circumiectos, qui vasti, & inuij, omniquè humano cultu expertes, & ideo regiæ dominationis essent, Monasterij sui esse vellet, & iuberet; facile què ab pientissimo, liberalissimoq; principe impetrauit, qui non modo, tali donatione, & isthoc pacto, Monasterij ab Hermanno I. Allemanniæ duce constituta pomæria ampliauit, sed eius iurisdictionis terminos certos posuit, & stabiliuit, ita vt ex tali, & tanto beneficio suo, & fauore, inter conditores nostros hic innocentissimus Imperatorum jure meruerit collocari. Priuilegium hic adposui.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Heinricus, Diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus. Si loca diuinis obsequiis mancipata aliquâ largitate exaltauerimus, certos nos de æternæ remunerationis exaltatione esse speramus. Quapropter omnium sanctæ DEI *Ecclesiæ, nostrorumque fidelium, præsentium, scilicet, ac futurorum nouerit vniuersitas, Qualiter venerabilis abbas Vuirand de Monasterio* MEGINRADES *Cella dicto, quod constructum, & consecratum in honore sanctæ Genitricis* MARIÆ, *sanctique Martyris Mauritij, nostram adijt Celsitudinem, rogans, & petens, vt quandam siluam inviam, & incultam, & ob hoc nostræ proprietati deputatam, in qua præfatum Monasterium situm est, ad vsus, si quilibet haberi poterit, fratrum in prædicto monasterio* DEO *famulantium concederemus. Cuius petitioni ob remedium animæ nostræ, dilectæque coniugis nostræ Kunigundæ Imperatricis Augustæ, assensum præbentes, iam dictam siluam cum marcha subnominandis locis de te rminata, id est, alpem Silæ vocatam, de qua fluuius Si-*

laha di-

laha dictus currit, & à prædicta alpe in australi plaga vsq; ad locum Rumannes Vangi dictum: ab ipsoq; vsque ad fontem fluuioli Alba vocati, cum vicina Albeta dicta, adiacentique monte Albecca. In orientali autem eiusdem alpis latere, vsq; ad summitatem rupis Stageluuant nominatæ. Et ab eodem vsque ad rupem Rotenfluh dictam. Quidquid, ijs interiacet terminis, totum cum omni vtilitate rerum, hoc est, alpibus, siluis, vallibus, paludibus, planiciebus, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, venationibus, vijs, & invijs, cultis, & incultis, exitibus, & reditibus, quæsitis, & inquirendis, & cum quæ dici, vel scribi possint, cum omnibus vtilitatibus ad prædictum monasterium, per hanc Imperialem paginam, perpetualiter tenendum contradimus. Et vt nostræ donationis auctoritas stabilis semper, & ab omnibus illæsa, inconvulsa, iugi permaneat æuo, hanc chartam inde conscriptam propriæ manus subscriptione confirmantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.

Guntherius Cancellarius vice Erchenbaldi Archicancellarij notauit.

Data IIII. *Non. Septemb. Indictione I. Anno Dominicæ Incarnationis* M. XVIII.

Anno vero Domini Heinrici II. regnantis XVII. *Imperij autem* V. *Actum in Turego. In* DEI *nomine. Feliciter. Amen.*

A. D. N. CIↃ. XXI. A. D. N. CIↃ. XXII.

Tiguro Basileam concessit, consecrationi Basilicæ DEIPARÆ MATRIS à se conditæ cum multis episcopis, & principibus interfuit V. Idus Octob. Anno millesimo XXI. Imperator tertiam in Italiam expeditionem fecit. Anno millesimo vicesimo secundo Campaniam subiugauit, Beneuentum deditione, Trojam vi expugnauit. In obsidione Troiæ æstu anni, & aëris corruptione exorta pestilentia multos è Cæsarianis absumpsit, inter quos Ruthardus Constantiensis episco-

pus.

pus. Troiæ is sepultus est. Anno post eum accepit Episcopatum. Domitâ Calabriâ, & Apuliâ, cum Nordmannis, quorum operam præterito bello probârat, Heinricus sedes, quas petierant, concessisset, Romam triumphabundus, & mox in Germaniam redijt. Anno millesimo vicesimo quarto mortem obijt. III. kalend. Martij Benedictus, cui pridie kal. eiusdem mensis suffectus Ioānes XX. eius frater germanus. Eum secutus quoque Imperator Heinricus, III. Idus Iulij, Bambergæ, quam vrbem Episcopalem condiderat, & suis, vxorisque Cunigundæ opibus locupletarat. Ad D. Petri sepultus est. Cum ex se per perpetuā, quam coluit, castimoniam natum heredem non relinqueret, habito Principum consilio, Cunradum Vormatiæ, & Franciæ orientalis, vnde Salicum nonnulli vocāt, ex Sala eius prouinciæ flumine, ducem, successorem sibi designauit, egregiæ fortitudinis, & libertatis principem. Aribo Maguntiacensis antistes, VI. Idus Septembris inunxit. Nata continuo ex hac lectione imperio dissidia, turbantibus præcipuè Cunrado Carinthiæ duce, Cæsaris patruele, & Ernesto priuigno Allemanniæ rectore, Guelphone quoque Comite Altorffensi potentissimo, & pluribus alijs ad partes vocatis, sed quos breui incredibili prudentiâ, & felicitate Cunradus compescuit. Hinc, anno sequenti, præcedentium regum, & Imperatorum vestigia secutus, nihil prius habuit, quā vt suæ aduersus DEIPARAM Virginem, locumque quem elegit ipsa Heremitarum, animum, & adfectum aliquâ benivolentiâ, & liberalitate, omnibus patefaceret, haut absque Giselæ coniugis insigni pariter pietate, & in eandem Heremum reliquarum Reginarum, & Augustarum exemplo, propensione, accedente ad id Aribonis Maguntiacensis eximij præsulis voto, & petitione, non paucas in Sequanis Steinbrunnæ sitas possessiones nostro monasterio donauit, & eius rei hoc testimonium exstare voluit.

A. D. N. CIↃ. XXIV.

A. D. N. CIↃ. XXV.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Cunradus, Diuinâ fauente clementiâ, Rex. Si venerabilia sanctorum loca aliquibus bonis nostris ditare, ac sublimare studuerimus, pro-

mus; profecto animæ nostræ remedium, regnoque nostro stabilitatem inde promereri confidimus. Quapropter nouerint omnes Christi nostriq; fideles, Qualiter nos interventu, ac petitione dilectissimæ coniugis nostræ Gisilæ reginæ, & Aribonis Moguntinæ sedis venerabilis archiepiscopi, ad Monasterium monachorum MEGINRADES *Cella in honore sanctæ* MARIÆ DEI *Genitricis, sanctiq; Mauritij constructum, mansos* XII. *sitos in loco Steinebruno in pago Suntgouue, in Comitatu Ottonis, cum omnibus ad eosdem mansos pertinentibus, cum mancipiis vtriusq; sexus, cum areis, ædificiis, agris, campis, terris cultis, & incultis, vineis, pratis, pascuis, siluis, venationibus, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis, viis, & inviis, exitibus, & reditibus, quæsitis, & inquirendis, seu cum omni vtilitate, quæ ullo modo inde prouenire poterit, donamus, atque de nostro iure in vsum fratrũ, ibidem* DEO *seruientium omnino transfundimus: Ea videlicet ratione, vt prædicti monasterij abbas Vuirunt, sibiq; post hinc succedẽtes, liberam habeant potestatem quidquid sibi placuerit, ad vtilitatem monasterij monachorum faciendi, quatenus illos magis delectet pro nostra, & coniugis nostræ vita deuotius supplicare. Et vt hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis, & inconvulsa omni permaneat æuo, hanc paginam inde conscriptam, manu propriâ, roborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.*

Signum Domni Cunradi regis invictissimi.

Vdalricus Cancellarius vice Aribonis archicapellani recognoui.

Data Idus Iulij. Indictione VIII. *Anno Dominicæ Incarnationis.* M. XXV. *Anno autem Domini Cunradi secundi regnantis* I. *Actum Spiræ. Feliciter. Amen.*

Mansum interpretatus est Iureconsultorum nostræ ætatis facile princeps Iacobus Cujacius *fundum vnde quis se, & familiam suam tueri satis cõmodè potest, ac præterea vectigal, siue censum domino referre, & quod veteres dixere heredium.* Rectè. Vt ex præcedenti etiã diplomate satis patet. A mansо

vero

vero manſuarij, quos alij manentes, ſiue commanentes vocant, id eſt villici. Itali nunc quoque maſſarios dicunt. Et maſſa quoq; pro manſo apud Caſſiodorū, & Gregorium M. in epiſtolis. Addere hoc loco eius vocabuli interpretamentum libuit, quando eius, alias haut vulgo noti, ſæpius poſtea mentio erit. Annus milleſimus viceſimus ſextus nobilis fuit morte duorum eximiorum antiſtitum. Prior fuit abbas Virandus, verè, vt Heinricus I. Imper. argutè, & piè ſuo diplomate nominauit, *Verendus*, & *Venerandus*. Obijt is III. Idus Februarij. Erat ex Comitibus Vandelburgi, quod Caſtellum in Caſtris ſitum, Limago, vbi lacum Tigurinum influit, adjacet, vnde & Comites etiā Caſtrenſes vocantur monumentis Schœniſij, quod nobile monaſterium etiam ipſi condidere. Paullo poſt morte Comites ijdem Vandelburgenſes defecerunt, & eorū Comitatus pervenit ad Comites Lētzburgi, ex cognatiōe: & Rapersuillæ veteris, propter agnationē, diuiſo ita Comitatu, vt major tamē pars Raperſvillanis remanſerit. Poſt eum Monaſterij regimen inijt IX. Kal. Martias Embricius ex Baronib⁹ ab Abenſperg Bauarus, qui & ipſe Virandi hoc epitaphio memoriā coluit, & honorauit.

Abba Virund tumbam ſacris dicat oſſibus iſtam
Sanguine ſat celſus, moribus æthereus.
Ingenio clarus, mitis, pius, atq; benignus,
Indeq; percelebris Regibus, & populis.
Sexcies hic quinis Heremi pater exſtitit annis,
Valde ſibi durus, diſcipulis placidus.
Idibus aſt ternis Februi ſuſtollitur aſtris,
Nunc Sabaoth Domino pangit Oſanna polo.

Virandum breui adſecutus Aimo Conſtantienſis epiſcopus. Eſſe enim deſijt XIV. kal. April. Quibus electionis noui Epiſcopi cura incūbebat, cum vndiq; circumſpexiſſent, generis ſplēdore, ſed in primis vitæ integritate tali officio dignum noſtro Heremitarū in collegio reperere, Varmannumq; ex Comitibus Kiburgi, & Dillingæ, Mangoldi, qui tum Comitatum Dillinganum regebat, fratrem, Epiſcopum omnibus ſuffragijs ſalutauerunt.

A. D. N. CIↃ. XXVI.



EMBRICIVS EX BARONIBVS ABA-BENSBERGA BAVARVS ABBAS HEREMI QVINTVS.

TANTA erat Heremitarum per ea tempora fama, & disciplina, vt non solum indè, vti vidimus, ad Episcopatus idonei præsides peterentur, sed si quod nouum construendum monasterium erat, conditores ab eis & magistros, monasticæque vitæ institutores plerumque exposcerent. Inter eos Rathbot Comes Vindonissensis fuit, à quo Comites Habsburgienses, & deinceps Austriæ Archiduces, Reges, & Imperatores. Is cum monasterium Muri sollicitatu, & opibus Itæ Lotharin-

giæ du-

ducis filiæ coniugis condere decreuisset, ab Embricio formam, modumq;, & regulam, Præpositumq;, & rectorem, qui noui monasterij administrationem capesseret, postulare non dubitauit. Qui licet primo eam curã abnuisset, magni tamen Comitis, & eius coniugis precibus victus, & maximè diuini cultus augendi desiderio, nõ modo illis Reginboldum egregiæ sanctitatis virum, sed alios etiam monachos misit. Addidit & de suo supellectilem, libros, sacras vestes, alia, quæ vsus, & nouitas monasterij requirere videbantur. Ita in Habsburgiacis, vt alia nonnulla, ex Murensibus actis traditũ reperio, quorum hæc pauca inde interserere operæ precium putaui. *Sub eodem tempore cum maximum placitum fieret iuxta pontem fluuij, qui dicitur Glat, venit illuc Comes Radiboto, & accersiuit de Cella sancti Meginradi abbatem venerabilem nomine Embricium, & eum rogauit, vt pro* DEI *amore ipse faceret hic monasteriũ cõstrui, & cetera quæ fuissent necessaria monachis habitacula, & suos fratres ad hoc implendũ destinaret. Cui cum ipse abbas vix assensum præberet, sic à Comite, & vxore eius compulsus est, vt locum cõmendatum in suum magisterium suscipiẽs mox huc destinauit Reginboldũ monachum in omnibus actibus eius laudabilẽ virum, qui nuper antea à Salodoro castro ad conuersionẽ venerat, & ei præcepit vt ipse Præpositus esset hic, & quidquid vtilitatis hic ordinare potuisset facere non differret. Misit & alios fratres qui eum adiuuarent, & libros, quorum quidã adhuc hic sunt, & missales, vestes, & alias varias supellectiles. Et sic primum huc venerunt monachi.* Anno millesimo, vicesimo septimo, Cunradus, transactis in Insubriâ hibernis, militem Romam perduxit, ibique XX. Kal. Aprilis festo paschatis imperialia ornamenta ab Ioanne Pontifice accepit primus eius nominis Imperator. Subactâ, mox & pacatâ, præter paucas Tusciæ vrbes, Italiâ, in Germaniam nouâ Cunradi, Ernestiq; ducũ rebellione reuocatus, Vlmæ conuẽtum principum agitauit, & secundò rebellibus gratiam fecit, maximè Giselæ precibus, quæ pro filio maximopere interçessit. Inde copias cõtra Vernherum & ipsum Kiburgi Comitẽ, qui ad rebelles trãsierat, neq;

A. D. N. C I ↄ. XXVII.

dum ad officium redierat, mouit. Kiburgum expugnatum incendit, & diruit. Quibus peractis Tigurum venit, ibique Heremitarum clariori diplomate priuilegia, & bona, & jura confirmauit, & illustrauit. Eius infra copia est.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Cunradus, Diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator semper Augustus. Nouerit omnium DEI *fidelium, nostrorumq; vniversitas, Qualiter nos pro remedio animæ nostræ, parentumq; nostrorum, Ecclesiasticas res, à quibusdam ob æternæ recompensationis spem, loco sancto,* MEGINRADES *Cella nuncupato, fratribus ibidem sub abbatum regularium monachico moderamine, manentibus, vel in posterum successuris,* DEI *seruitio commodius sustentandis, concessas, præcepti auctoritate Imperatorij confirmamus, cum locis diuersè illo contraditis, ac huiuscemodi subnotatis, id est, iuris sui curtem Riegel vocatam, cum locis Endinga, Vuenelinga, Chenzinga, Deninga, Purcheim, Baldinga, Rotuuila, Betzenhusa, Berga, Bochesberg, Zarda, Liela, Tutesvelda, Richulinga, Birinheim in Ducatu Alamannico, in pago Brisgouue sitis. In Comitatu etiam Zurichgouue loca, Vffennouua, cum ceteris eo pertinentibus, id est, Pfaffinckouua, Virnghouua, Ecclesiaque in Meilano sita, ceteraq; illuc, vbicumq; terrarum iacere videãtur, pertinẽtia: cum dote eius dẽ Ecclesia, Caltebrunna, Vtonuuilere, Steuia, Bachin, Lindunouua, Rutin, Manindorff, EZZilinga, Friginbach, Raprechtesuuilere, Sibbeneiha, Vuagana, Rutin, Vuanga, Suites. In Comitatu Turgouue, Aschenza, cum sibi pertinentibus locis. In Comitatu Linzichgouue, Tyzindorff, Turinga, Rutin. In Comitatu Rhetiæ Quadrauedes, cũ censibus cunctis, id est, fiscum ordeum, de accensis ignibus, adiutoria nostræ expeditionis cincta, ceteraque omnia ad Imperiale ius pertinentia, & Meilis, Senouio, Ensline, Nezudra, Cise, Vallis Trusiana, Campesia, Berouua, cum Capella, quæ dicitur, Vuanga constructa, Lateria, Bocharia, & Cinctis. Hæc quippe omnia, cũ singulis eorum pertinentiis, id est, vtriusque sexus mancipiis,*

ædificiis, terris cultis, & incultis, siluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, piscationibus, vinetis, alpibus, censibus, placitis, seruitiis, viis, & inviis, exitibus, & reditibus, quæsitis, & inquirendis, forestibus, & cum omnibus, ita vt ab antecessoribus nostris regibus, siue Imperatoribus, vel à quibuslibet ceteris eidem Ecclesiæ sanctissimæ matris DEI MARIÆ, *abbatis, fratrumque vsui proprio condonata, sub nostra excellentiauctoritate firmamus. Eâscilicet ratione, vt omnium inquietudine circa hæc penitus semotâ, nullus aliquo potestatis iudiciariæ præditus regimine, easdem iam dictas res, nec aliquatenus molestare, vi rapere, inaniter dispergere, seruitia inde in quacumque re exigere, vel aliquid iniuriare familiis eorum intus, vel foris, capitalibus censualibus inferre præsumat, nec ad seruitia iniqua constringat, vel aut sua tollendo, aut inique exprimendo, vel à fratrum iam dictorum continuo seruitio aliquatenus deducendo, vel impediendo confligat. Et vt hoc nostrum præsens præceptum cunctis sanctæ* DEI *Ecclesiæ filiis amodo, & deinceps firmius, stabiliusque viuis, & successuris credatur, ac certificetur hanc chartam inscribi iussimus, propriaque manu subtus firmatam sigilli nostri impressione iussimus consignari.*

Signum Domini Cunradi invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.

Vdalricus Cancellarius vice Aribonis Archicapellani recognoui.

Data XIIII. *Kal. Septemb. Indictione* X. *Anno Dominicæ Incarnationis* M. XXVII. *Anno vero Domini Cunradi secundi regnantis* III. *Imperij autem* I. *Actum Turegum. Feliciter. Amen.*

Anno millesimo vicesimo octauo Cunradus Aquisgrani principum suffragio Heinricum filium ex Gisela genitum, quamuis tenerâ admodum ætate, Cæsarem designatum, coronandum per Peregrinum Colonienſem antistitem cura- *A. D. N. C I9. XXIIX.*

uit, festo pascatis. Obierat eodem tempore Vdalricus episcopus Curiensis. Rheti Constantienses secuti ab nostro Embricio nouum Episcopum petiere. Is Hartmannum Heremi Decanum, ipsum quidem Rhetum, & ex baronibus de Plana terra oriundum quem paullò antè Fabariam ad restituendum id quoq; monasterium miserat, illis Episcopum præesse iussit. Hartmanni postea clara auctoritas apud Cunradum Imper. fuit. Et supereſt eius eximium apud nos, & venerabile donum, reliquiæ S. Iusti nouennis pueri martyris, quas legatus Imperatoris in Gallia ab Antissiodoro reportârat. Vterque Diuus inter Monasterij nostri patronos cooptatus, singulari honore habetur. Qui secutus est annus exitiosus, & lamentabilis fuit Heremitis, incenso, & funditus absumto, extra Sacellum DEIPARÆ Matris, monasterio. Auctor tanti facinoris Eppo ab Hette vico Comitatus Aquēsis haut procul Bremgardo opido oriundus. Alij per eius incuriam cum monasterio seruitutem seruiret, malignitati alij tribuerunt, & rerum prosperarū invidiæ, & odio. Quidquid eius est haut ipse postea amplius adparuit. Quem vico Hette possidebat fundum in damni leuamentum ad monasterium pervenit. Primum hoc, & grauissimum inter plura, quæ succesſerunt, ingenti veterum monumentorum nostrorum, & opum jacturâ, incendium. Et Embricio inde reædificandi magna relicta cura, & impensa. Anno millesimo tricesimo Cunradus in Hungariam exercitum duxit. Eius absentiâ, & insitâ perfidiâ, tertio contra vitricum arma sumsit dux Ernestus. Id vbi Imperator comperit, ipsum ducatu quidem priuauit, & id Hermanno Ernesti fratri concessit, eumque, quia admodum adolescens erat, Varmanno Constantiensi commendauit, tradiditque principalibus institutis, & moribus imbuēdum. Tantam de se Varmannus probitatis, & sapientiæ famam, & opinionem fecerat. Sed inde quoq; ira, & vecordia rebellibus adcreuit. Per Allemāniam, & Germaniæ superiora, infestis pervagatus cohortibus, Ernestus quidquid Imperatori fidum, aut gratum, vehemēter adfixit, & peruastauit. Postea Falckenstein arcem Harciniæ vicinam

A. D. N. CIↃ. XXIX.

A. D. N. CIↃ. XXX.

Mangoldi Comitis Nelburgienſis obſedit. Mangoldus ſuis non defuit. Facto milite, & adiunctis, quæ apud Augiam præſidebant, cohortibus, cum hoſte conflixit, victoriam reportauit, ſed ſuâ mox ex vulneribus morte luctuoſam Interfecti rebellionis principes Erneſtus dux Allemanniæ & Vernerus Comes Kiburgi. Pugnata pugna XVI. Kal. Septembris. In ducatu Allemanniæ, vt diximus, ſucceſſit fratri Hermannus. Romæ verò Ioanni XX. Benedictus VIII. dictus IX. quamuis Benedicti regimen alij ad annum ſequentem referant. Anno milleſimo triceſimo primo, cum hactenus Monaſterij habitationes in vſum, & neceſſitatem monachorum reſtituiſſet Embricius, ſimul quæ ad Baſilicæ fabricam opus erant præparaſſet, hoc denique tempore VI. Mai, primum templi maioris DEIPARÆ, & S. Mauritij, ſociorumque lapidem fundamenti deponere, ſolitâ cerimoniâ curauit. Anno milleſimo triceſimo ſecundo obijt Rudolfus III. Rex Burgundiæ, regnique inſignia per Seligerum ad Imp. Cunradum tranſmiſit, herede ex aſſe nuncupato Heinrico III. Cæſare, ex Giſela pronepote. At verò Imperatore eadem tempeſtate cum Sclauis, & Polonis bellum gerente, per eam occaſionem, & quia Rudolfum propius attingebat, vt pote ex ſorore nepos regnum poſt eius obitum invaſit Comes Campaniæ Otho, breuique, nemine reſiſtente, obtinuit, præſidia Murati, & Neoburgi, & ceteris locis commodis poſuit. Cunradus, audito quæ in Burgundiâ gerebantur, victorem exercitum eò ex Polonia rapuit, auctiſq; in Alſatiâ, & Briſgouia copijs Baſileæ dilectum habuit, ibiq; Giſelam per bellum ſepoſuit. Natalitijs hinc diebus anni ſequentis ibidem factis, Iuraſſum ſuperauit, Moratum obſedit, ſed hiemis ſæuitia, dilabente milite, deſtinata relinquere coactus, Conſtantiam in hiberna, diductis per præſidia copijs, abijt. Vbi eorum finis fuit, & miteſcere tempeſtas cæpit, Tigurum venit. Illic Ageltrudâ Rudolfi viduâ, Vmbertoque Sabaudiæ comite, alijsque Burgundiæ primoribus humaniter acceptis, eorum inuitatu Campaniam Othonis inuaſit, incendijsque & prædis vaſtauit. Quibus compulſus

A. D. N. CIↃ. XXXI.

A. D. N. CIↃ. XXXII.

A. D. N. CIↃ. XXXIII.

Otho pacem petijt, & satisfactionem promisit. Composito igitur regni Burgundiæ statu, Geneuæ, Anno millesimo,
A.D.N. triceſimo quarto, ab Heriberto Mediolanensi antistite, qui
CIↃ. XXXIV. eo Insubriæ legatus ad sollicitanda Imperatoris arma, fortè aduenerat, rex Burgũdiæ, filij nomine, coronatus est. Eodem tempore obijt Vartmannus Constantiensis episcopus Heremi quondam monachus. Successor nominatus Eberhardus frater eius germanus, nostrine etiam monasterij non
A. D. N. adfirmauerim. Anno millesimo triceſimo sexto Cunradus,
CIↃ. XXXVI. hieme jam ingraueſcente, exercitum per Tridentinas valles in Italiam ductauit. Veronæ dies natalitios egit. Veronâ,
A. D. N. anno sequente, Brixiam, & hinc Cremonam, Mediolanumque, & mox Ticinum cum copijs venit. Ibi Heribertum archiepiscopum rebellionis incusatum comprehendi iussit, &
CIↃ. XXXVII. Popponi Aquileiensi patriarchæ in custodiam tradi. At ille fugâ elapsus omnes contra Imperatorem rebellionis vires conuertit, Mediolanumquè, & vicinas vrbes Placentiam, Cremonam, Vercellas, & earum Episcopos ad arma concitauit. Cunradus, paschate Rauennæ celebrato, Mediolanensium suburbana vastauit, & hinc vrbem totis copijs circumsedit. Neque longa obsidio fuit. Deditis, domitisque Insubribus, Episcopos quidem, & concitores belli in exilium exegit, reliquis leges, & jura dedit, sacramentoque eorum accepto, Parmam concessit. Ibi eum ex ciuibus tumultus prope oppressit, multique militum & opidanorum cecidere, & postremo vrbs incendio extincta est. Dum eo, quo retulimus modo res in Italia gerit Imperator; Otho comes Campaniæ arma resumsit, Lotharingiamque ingressus Barum expugnauit, & incẽdit, nihil hostilitatis intermisit, donec secordius agentem, natâ ex successu cõfidentiâ, missu Imperatoris
A. D. N. Gotelo dux Lotharingiæ inferioris ex inopinato oppressit, &
CIↃ. XXXIIX. interfecit. At vero Cunradus Italiæ in officio retinendæ intẽtus, & sollicitus, anno millesimo triceſimo octauo, Etruriam versus cũ exercitu contendit. Inde, Latio peragrato, & vicinis regionibus, cum Adriatici litoris oras redeundo sublegeret, orta æstu anni, & aëris locis lacunosis grauitate, pestilentia

magnam

magnam exercitus partem corrupit. Desideratus, eadem tabe Hermannus IV. dux Allemanniæ magno sui desiderio V. Idus Augusti, Tridentique sepultus. Imperator Heinrico Cæsari filio Hermanni fratri vterino ducatum commisit. Ea maximè caussa fuit cur reliquias exercitus infectâ ex regione Cunradus deduceret. Quamobrem continuis itineribus in Burgundiam post Othonis cædem adhuc turbidam Penninis iugis descendit, Salodorique prouincialium conuentum habuit, sibique, & filio, nouo jureiurando obligauit. Inde in Belgium mouit. Traiectum cum ineunte Iunio adpulisset, inopinatâ morte exstinctus est pridie Nonas eiusdem mensis, anno millesimo tricesimo nono, relicto ex Gisela Heinrico Cæs. F. cognomento Nigro. Is rerum summæ præfuit, de cuius imperij principio hæc Vitichindi historici & nostri ordinis monachi, qui per ea tempora scribebat, notabilia. *Non bella pacem disturbabant, non classica quietem rumpebant, non rapina grassabatur, non fides mentiebatur, adhuc iustitia sui vigoris, adhuc potestas sui iuris erat.* Cæterum jam confecto, nunquam intermissâ sollicitudine, & sumtu, templo nostro, curatisque, quæ ad vsum videbantur, Eberhardum episcopum Embricius cum Hartmanno Curiensi, & pluribus alijs vtriusque ordinis viris clarissimis, ad consecrationem accersiuit, inuitauitque. Eberhardus magnâ sollennitate, & congratulatione id templum, vt prius fuerat, DEIPARÆ Virgini, D. Mauritio, & sactosanctæ Thebæorum legioni dedicauit. III. Idus Octobris. Loci venerationem, & lætitiam communem auxerunt redditæ ab Augiensibus paullò antè, scilicet, pridiè Nonas eiusdē mensis, magnâ cum pompâ S. MEGINRADI martyris, & primi Heremi præsidis corporis sacræ relliquiæ, quem multis hactenus miraculis celebrem, eodem tempore, Benedictus pontifex Sanctorum numero inseruerat, arisquè, & templis, meritis illustribus dignumiudicarat, centesimo, septuagesimo octauo, quam occubuerat, anno. Atque inde, restituto patrono, Heremo cumulatus honos, fama, & frequentia. Reperio nostris in monumentis Augienses multis,

A.D.N. CIↃ. XXXIX.

& con-

& continuis cladibus adfectos, & hauſtos, diu in incerto fuiſſe, quod malorum remedium eſſe poſſet. Remittendi denique corporis S. MEGINRADI, quod obſtinati hactenus negauerant, conſilium incidiſſe. Ex eo cladium, & calamitatum ſucceſſiſſe finem, monaſteriumque, vti prius, ita deinceps florere incepiſſe. Conditæ ſunt S. MEGINRADI relliquiæ arâ D. Mauritij. Fine anni, ne tot lætis aliquid turbidum deeſſet, Hartmanni Curienſis epiſcopi, Heremi olim Decani, mors interuenit. Succeſſorem nactus eſt Thietmarum. Anno milleſimo quadrageſimo, Heinricus Cæſar, tentato fruſtra Bohemienſi bello, ſuperiorem Germaniam perluſtrauit, Conſtantiæ natalem Dominicum celebrauit, inde in Augiam transuectus ibidem aliquamdiu ſubhæſit, & eodem in loco Heremitarum priuilegia, & jura, Cæſareâ auctoritate, rata iuſſit, hoc edicto, quod licet ad verbum prope ex paterno ſumtum ſit, tamen apponere volui tanti Imperatoris, & tam benevolentis in gratiam, & honorem, memoriamque ſempiternam.

A. D. N. CIↃ. XL.

IN nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis. Heinricus, diuinâ fauente clementiâ, Rex. Nouerit omnium DEI *fidelium, noſtrorumque vniuerſitas, Qualiter res à quibusdam, ob æternæ recompenſationis ſpem loco ſancto* MEGINRADES *Cella nuncupato fratribus ibidem, ſub abbatum regularium monachico moderamine, manentibus, vel in poſterum ſucceſſuris,* DEI *ſeruitio commodius ſuſtentandis, conceſſas, præcepti auctoritate regalis confirmamus, cum locis diuerſe illo contraditis, ac huiuscemodi ſubnominatis, id eſt, Iuris ſui curtem Riegol vocatam, cum locis Endinga, Vuenelinga, Chenzinga, Deninga, Purcheim, Baldinga, Rottuuila, Betzenhuſa, Berga, Bochesberg, Zarda, Liela, Tuttesuelda, Richulinga, Birinheim in Ducatu Alamannico, in pago Briſgouue ſitis. In Comitatu etiam Zurickouue, loca Uffenouua, cum cæteris eo pertinentibus, id eſt, Pfaffinghoua, Vringhoua, Eccleſiaque in Meiolano ſita, cæteraq; illuc, vbicumq; terrarum iacere videantur, pertinentia, cum*

dote eius-

dote eiusdem Ecclesiæ, Chaltebrunna, Utonisuuilere, Steuia, Bachin, Lindunouua, Rutin, Menindorff, EZZilinga, Friginbach, Raprechtisuuilare, Sibeneiha, Vuagana, Rutin, Vuanga, Suites. In Comitatu Turgouue Aschenza, cum sibi pertinentibus locis. In Comitatu, qui dicitur, Bargen, in villa Lanha dimidia colonia. In Comitatu Buxgouue, in vico Buxita, colonia una. In Comitatu Oberargouue IIII. hobæ. In Comitatu Ciurichogouue prædium quod dedit Tiemo Comes, id est, dimidium Aradingen: In villa Adalinchouua hoba. I. In Liele I. In Villare I. In Turbata I. In Richenbach I. In Hittenhoua. I. In Comitatu Linzigouue, Teisindorff, Turinga, Rutin, Heuruti, Nidereuuilare. In Richenbach hoba. I. In Comitatu Ilregouue Erolfesheim. In Elsazo in villa Barthenheim hoba. I. In Comitatu Rhetiæ Quadrauedes, cum censibus cunctis, id est, fiscum de accensis ignibus, adiutoria nostræ expeditionis cincta, ceteraque omnia ad regale ius pertinentia, & Meilis, Senouio, Ensline, Nezudra, Cise, Vallis Trusiana, Campesia, Berouha, cum capella in villa, quæ dicitur, Vuanga constructa, Lateria, Bocharia, & Cinctis. Hæc quippe omnia, cum singulis eorum appertinentiis, id est, utriusq; sexus mancipiis, ædificiis, terris cultis, & incultis, siluis, pratis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, piscationibus, vinetis, alpibus, censibus, placitis, seruitiis, viis, & inviis, exitibus, & reditibus, quæsitis, & inquirendis, forestibus, & cum omnibus, ita ut ab antecessoribus nostris regibus, siue Imperatoribus, vel à quibuslibet ceteris eidem Ecclesiæ sanctissimæ matris DEI MARIÆ, abbatis, fratrumq; usui proprio condonata, sub nostra excellenti auctoritate firmamus. Eâ scilicet ratione, ut, omnium inquietudine circa hæc penitus semotâ, nullus aliquo potestatis iudiciariæ præditus regimine, easdem iam dictas res nec aliquatenus molestare, vi rapere, inaniter dissperdere, seruitia inde in quacumq; re exigere, vel aliquid iniuriæ familiis eorum intus, vel foris, vel capitalibus censualibus inferre præsumat, nec ad seruitia iniqua constringat, vel aut sua tollendo, aut inique exprimendo, vel à fratrum

iam di-

iam dictorum continuo seruitio aliquatenus deducendo, vel impediendo confligat. Et vt hoc nostrum præceptum præsens cunctis sanctæ DEI *Ecclesiæ filiis à modo, & deinceps firmius, stabiliusque viuis, ac successuris credatur, ac certificetur, hanc chartam inscribi iussimus, propriaque manu subtus firmatam sigilli nostri impressione consignari iussimus.*

Signum Domini Heinrici regis invictissimi.

Theodoricus Cancellarius vice Bardonis archicapellani recognoui.

Data II. *Non. Febr. Indictione* VIII. *Anno Dominicæ Incarnationis.* M. XL. *Anno autem Domini Heinrici tertij regis ordinationis* XII. *regni.* I. *Actum est Augiæ. Feliciter. Amen.*

Sed ex hoc quoque diplomate multa multis, & diuersis in locis, & Comitatibus ad monasterium peruenisse satis compertum est, quibus benefactoribus, aut modis, & quãdo, haut perinde liquet. Atq; ob id, præter causas alias, diplomatis huius lubenter exemplum addidi, vt inde appareat quãta Heremitarum, totâ prope Germaniâ, opinio, & fama, & ex illo omnium etiam remotissimorum adfectio, liberalitas, & veneratio fuerit. Neque mirum adeò videbatur, cum præter loci diuinitus additam à principio religionem, nobilitatis rerum cælestium studiosæ, & præillis terrena hæc, & humana aspernantis frequẽtes celebrarent cætus, adeoq; in tanta Heremitarum multitudine pauci essent, nisi ex Comitibus, & baronibus, clarisqùe omninò, & antiquis familijs oriundi. Anno millesimo quadragesimo primo, vbi Embricius basilicam DEIPARÆ, & D. Mauritij finiuit, sanctoquè Meginrado in ea locum, sedemquè, tamquam conditori, & primo Antistiti, constituit: S. Gangolpho nobili martyri ædem campo Bruelensi vicino posuit, quam hoc anno idem, qui supra, Eberhardus Constantiensis Episcopus consecrauit. Heinricus rursus in Bohemiam ingressus sanctorum virorum precibus, suffragio, & consilio, quam milite, & ar-

A. D. N. CIↃ. XLI.

mis, eius

mis eius ducem subiugauit,& ad mandata accipienda Ratisbonam coegit. Sequenti anno, perfecto Bohemiensi bello, in Burgundiam venit, Principes regni in officio confirmauit, subditis leges, & iura dedit, controuersa dubia definiuit, magnam de se clementiæ, & iustitiæ famam fecit. Anno millesimo quadragesimo tertio XVI. kalen. Martij obijt Goslare Gisela Augusta, quæ suo in *H*eremitas fauore, meruit inter Monasterij patronas cooptari. Erat Hermanni II. ducis Allemanniæ, & Gerburgæ Cunrado Burgundiæ rege genitæ filia. Primis nuptijs collocata Ernesto, qui post Hermannum III. *G*iselæ fratrem Allemanniæ præfuit, cui Ernestum II. & Hermannum IV. vtrumq; Allemanniæ ducem peperit, secundis Cunrado Salico Imp. ex quo Heinricum III. tulit regem *G*ermaniæ, & Burgundiæ. Is matrem Spiram transportādam curauit, & prope patrem sepeliendam. Pannonico mox bello confecto, & regni parte in deditionem acceptâ, in Allemanniam Constantiam venit, conuentumq; ibidem principum habuit. *In eo cunctis* (verba sunt Hermanni Contracti tunc scribentis, & crediderim præsentis) *qui contra se deliquerant primum ipse debitum omne dimisit, deinde precibus, & adhortationibus omnes præsentes Sueuigenas, postea in aliis regni sui prouinciis idem actum iri satagens, dimissis debitis, & inimicitiis, sibi inuicem reconciliauit, pacemq; multis seculis inauditam efficiens per edictum confirmauit.* Constantiâ Basileam, & inde, Rheno secundo, Maguntiacum vectus Agnetem Gulielmi Pictauiensis Comitis filiam sponsam accepit, & eo loco reginam initiari curauit, mox cum eâ Ingelheimi nuptias celebrauit. Anno sequenti, multa præclara in Pannonia gessit. Petrum regem restituit, Ouonem dejecit, & nouæ rebellionis, & perfidiæ manifestum denique capitis damnauit. Pacatâ Pannoniâ, magnâ Cæsaris & Germanicæ nationis laude, & famâ, exercitum in Burgundiam reduxit, anno millesimo quadragesimo quinto, quæ Reginaldo Agnetis auunculo, qui Comitatum tenebat, concitore, & duce, turbauerat. Exercitum cum Salodorum perduxisset, Reginaldus, reginæ maximè precibus, &

A.D.N. CIↃ. XLII.

A. D.N. CIↃ. XLIII.

A. D. N. CIↃ. XLIV.

A. D. N. CIↃ. XLV.

hortatu, & qui eaſdem partes defenderat Geroldus, deditionem fecere x. Kalen. Februarias. Haut multo poſt Goſlare Allemanniæ ducatum, quem poſt fratris Cunradi mortem tenuerat, abdicauit, eumq; Othoni palatino Comiti à Vietelſpach Bauaro, huius nominis II. commiſit. Ortum, eodem tempore, poſt Benedicti VIII. mortem graue, & fœdum in Eccleſia ſchiſma, inter Silueſtrum III. Benedictum IX. & Gregorium VI. Eâdem cauſſâ Heinricus licet Pannonij, profligato Petro, retinere viderentur, tamen ad vrbis imperij capitis res componendas maturè ſe contulit. Igitur quàm maximis potuit itineribus in Italiam tetendit, Papiæq; ; mox & Placentiæ conuentu epiſcoporum celebrato, cum eo quoque Gratianus Cardinalis, qui ſe Gregoriū nominauit, obuiam Cæſari veniſſet recta Romam verſus iter cōtinuauit. Sutrij rurſus conuocatis Eccleſiæ primoribus, ſchiſmatisque cauſſis, & auctoribus cognitis, Gregorium dignitate exuit, & Suidigerum Babenbergēſem epiſcopum pontificem ſummum declarauit, XII. Kal. Ian. anni ſequentis, qui Clemens II. Hinc cum illo vrbem vigilia natiuitatis Domini anni milleſimi quadrageſimi ſexti ingreſſus, ipſo die ſacro vterque Clemens coronam pontificiam, Heinricus Imperialem ſuſcepere. Eâdem Chriſti liberatoris noſtri vigiliâ defunctus Romæ, quo Cæſarem ſecutus erat, Eberhardus Conſtantienſis epiſcopus, & in porticu S. Petri ſepultus. Anno ſequenti ineunte, Conſtantienſi epiſcopatui præfecit Imperator Theodoricum cancellarium ſuum. Poſtea expugnatis nonnullis, quæ obedientiam ſubterfugiebant, caſtellis, in Germaniam redijt, bellum cōtra rebelles Friſios improſpere geſſit. Eodem anno, diem ſuum obijt Otho II. dux Allemanniæ. Anno milleſimo quadrageſimo octauo Imperator, comitijs Vlmæ habitis, Allemanniæ ducem nominauit Othonem III. Schuinfurti Franciæ Orientalis marchionem. Inde Conſtantiam, Tigurumque, & Salodorum venit. Vbi, conuentu cum Burgundiæ principibus acto, in Franciā Orientalem & mox in Saxoniam tranſijt. Clemente defuncto, ſucceſſorem nominauit Imperator Popponem Brixinenſem

A. D. N. CIↃ. XLVI.

A. D. N. CIↃ. XLVII.

A. D. N. CIↃ. XLVIII.

Epiſcopum

Episcopum, qui per nominis mutationem dictus Damasus II. Sed neque illi longa vita fuit, tertio & vicesimo postea die absumtus est. Tum vero missus Romā pontificiâ auctoritate Bruno *G*ermanus nostri ordinis, tunc Tulli Leucorum episcopus, qui ab Romanis cum honore acceptus Leonem sex. dixit, eâ vitæ sanctitudine, & integritate, multis vt inclaruerit, viuus, mortuusque miraculis. Anno millesimo quinquagesimo natus ex Agnete *H*einricus qui post patrem imperauit. Anno sequenti, Theodorico Constantiensi Episcopo cācellario suo Imperator qui succederet ex nostra quoque *H*eremo sumsit. Rumoldum enim inde monachum episcopū Constantiensem dilegit, promouitq;, adeo per ea tempora Episcopatuum, & monasteriorum quasi erat seminarium. Fuerat Rumoldus primo Præpositus *G*oslariensis. Inde ad nostros transierat, rejectaq; dignitate, humilitati, & solitudini se tradiderat. Extat ad eum apud *G*ratianum, falso licet titulo, nempe *G*rimoldi, pro Rumoldo, decretum Alexandri II. pontif. de eo, scilicet, qui per saltum ex negligentia ordinatus est. Anno millesimo quinquagesimo secundo, excessit abbas Embricius. Erat Babonis baronis ab Abensberg terræ Bauariæ filius, eius Babonis qui ex duabus vxoribus filios triginta duos, & filias octo procreauit, & omnes eodem tempore viuos habuit, filiosque S. *H*einrico I. Imp. obtulit, qui plerosque multis beneficijs locupletauit. Sed Embricius fuit primo etiam Canonicus Frisingensis, & magnæ in eo Episcopatu dignationis, verum solitudinis amore, & religionis studio monachum in nostra *H*eremo cum induisset, plurimos annos per summam integritatē inibi absumsit. Monasterio postremo præfectus, magno post se relicto desiderio sui, VI. Idus Februarij plenus annorum exstinctus est, cum annos XXVI. antistitem egisset. Sublectus XV. Kal. Martij sequentis Hermannus ex Comitibus Vitoduranis.

A. D. N. CIↃ. XLIX.

A. D. N. CIↃ. L.

A. D. N. CIↃ. LI.

A. D. N. CIↃ. LII.



HERMANNVS I.
EX COMITIBVS VI.
TODVRANIS ABBAS
HEREMI SEXTVS.

A. D. N. CIↃ. LIII.

ANNO milleſimo quinquageſimo tertio, Heinricus Principum Tribuariæ celebrem conuentum habuit, vtque filium cognominem annum tertium exeuntem Cæſarem deſignarent impetrauit Idibus Decembris. Anno ſequenti Leonii IX. XIII. Kal. Mai. vitâ ſoluto, petentibus Romanis Eccleſiæ præſidem vti, daret, Gebhardum Eichſtadienſem epiſcopum Bauarum nuncupauit, qui Victor II. Veſtigia hic ſecutus Leonis Synodum Florentiam indixit, quo Imperatorem quoque invitauit, vbi multa ſuper Eccleſiaſtico ſtatu

A. D. N. CIↃ. LIIII.

diſputata.

disputata. Heinricus verò ex Bauariâ, quam subegerat, & filio adsignarat, in Allemanniam venit, vbi nonnulla prædonum castella euertit. Ingrediente Quadragesima, Tigurum aduectus, secundo post Rheno, Maguntiacum, & Aquisgranum delatus est, vbi Heinricum eumdem filium coronandum curauit, Hermanni Colonienſis archiepiscopi manu. Anno millesimo quinto & quinquagesimo exercitum in Italiam duxit, paucisque rebus in famam gestis, magnâ omnium, quæ vsus postulat, inopiâ, anno vertente, rursum deduxit. Eodem anno, obierat Reginboldus Heremi monachus, & primus Muri Præpositus. Igitur Vernherus Rathboti filius Comes Vindonissensis, siue Habsburgiensis, ad Hermannum abbatem accessit, vtque alium successorem mitteret Burchardum obtinuit, ex nobili, & veteri à Gosau familia. Hæc acta Murensia, quorum verba adposui. *Igitur Reginboldus per cuncta laudabilis vir dum monasterium perfecisset pene vsque dum dedicari debuisset, fenestras quoque ex quadam parte adposuisset, die suæ vocationis interueniente, defunctus est, vbi lapidi angulari, id est, Christo in aternâ structurâ pro suis iustis, & magnis laboribus, vt credimus, perenniter coniunctus est. Transiit autem Idibus Iulij Heinrici* III. *temporibus. Sepultus est in monasterio ipso in summâ parte anguli dextræ absidis. Post eius depositionem Vernarius comes filius Radepotonis, qui sibi penitus locum vindicarat, pergens cum fratribus quibusdam, qui hic congregati fuerant, ad Cellam Heremitarum, obtinuit ab abbate Hermanno, vt huc alius Præpositus pro eo mitteretur, id est, Burcardus, valde reuerendus vir, qui erat natus de Gossau, apud Heremitas antè à principio nutritus, qui cum huc venisset, quidquid adhuc imperfectum invenit, scilicet pauimentum, ac introrsus cum cemento murum liniendo, & fenestras, & laquearia perpetrando, & apponendo, sic alia multa compleuit, & perfecit, nec non libros, qui nondum perscripti fuerant, & quantum boni potuit facere in rebus omnibus instituit, & compleuit.* Anno millesimo quinquagesimo sexto Heinricus ex Italia Tigurum venit, ibique dies Christi natalitios

A. D. N. CIↃ. LV.

A. D. N. CIↃ. LVI.

agitauit, Berchtamque Othonis Montisferrati marchionis, & Adelheidis filiam Heinrico F. quintum annum, & paucos dies supergresso, matrimonio despondit. Inde in Saxoniam profectus Botfeldæ III. Nonas Octobris esse desijt, præsente Victore pontifice, & omnibus prope regni primoribus. Successit Heinricus F. sub tutela Agnetis matris feminæ ingentis prudentiæ, & virtutis. Bauariam Augusta donauit alteri filio Cunrado. Mathildæ filiæ vnicæ tutelam testamẽto Augusti susceptt Rumoldus Constantiẽsis episcopus, tanta eius antistitis sapientiæ, & sinceritatis omnes fama tenuit.

A.D.N. CIↃ. LVII. Anno sequenti functus etiam morte Otho III. dux Allemanniæ. Agnes Augusta ducatum dedit Rudolfo I. Comiti Rhinfeldensi principi egregiæ fortitudinis, & sapientiæ. Berchtoldus marchio Zeringensis, cui ducatum Heinricus ante obitum, dato in monimentum anulo, promiserat, cum id factum ægerrimè tulisset, ne turbas moueret, paullò post ducatu Carinthiæ donatus est.

A. D. N. CIↃ. LVIII. Anno millesimo quinquagesimo octauo Victori succesit Stephanus IX. dictus X. tunc Abbas Cassinensis. Sequenti anno, Stephano suffectus Benedictus IX. dictus. X. quo, tamquã illegitimo, abdicare coacto, Nicolaus II. Heinrici Cæsaris voluntate præsedit.

A.D. N. CIↃ. LIX. Eodem anno, Rudolfus dux Allemanniæ duxit vxorem Mathildam Cæsaris sororem, nõ vltra annum superfuturam. Non desunt qui vi è Rumoldi episcopi cura raptam ab duce tradiderunt: alij secus memorant, & Cæsarem hac quoque ratione ducis animum, & fidem deuincire voluisse.

A. D. N. CIↃ. LX. Magna hominum, quadrupedumque totâ Germaniâ pestilentia his temporibus fuit.

A. D. N. CIↃ. LXI. Anno millesimo primo & sexagesimo cũ Nicolaus excessisset, Cardinales, & Eccleſię primores Alexandrum II. Pontificem dixerunt: Contra Heinricus, conuentu Basilienſi, à Romanis nonnullis publicæ tranquillitatis hostibus, pontificem dare inductus, Cadolaum Parmensem episcopũ ad se ex Italia profectum pontificem summum renunciauit, qui dictus Honorius II. resuscitato inter partes longo, & pudendo schismate.

A. D. N. CIↃ. LXII.

A.D.N. CIↃ. LXIII. Sequentis anni vere primo, tanta ventorum orta rabies frigore, niuibusque concreta, vt

aues, pe-

aues, pecudesque peremerit, vineas, arbores, magnam partem perdiderit. Secutus terræ motus, & inde pestilentia, futurarum calamitatum monstra, & portenta. Erat educatio Cæsaris, & omnium rerũ constitutio fermè penes Episcopos, longeque super alios Anno Colonienſis eminebat. Eius Annonis petitione, & solicitatu, Hermanniquoque abbatis pietate, & precibus, cum Basileæ fortè esset Heinricus, monasterio Heremitarum priuilegium fecit, anno millesimo sexagesimo quarto, quo priuilegio, eademjura, leges, & immunitates quibus vterentur fruerentur subditi, & annexi, siue ministeriales Monasterij S. Galli, nostris quoque concessit. Eius hoc est exemplare. A. D. N. CIↃ. LXIV.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Heinricus, diuinâ fauente clementiâ, Rex. Notum sit omnibus Christi, nostrisq; fidelibus, tam futuris, quam præsentibus, & sollers industria nouerit, Qualiter nos pro amore diuino, tum ob interuentum, ac petitionem magistri nostri dilecti Annonis Colonienſis archiepiscopi, ministris ad Cellam sancti MEGINRADI *iure pertinentibus, nec non ob deuotam, & continuam orationem Herimanni abbatis eiusdem Cellæ, tale ius, quale seruientes ad abbatiam sancti Galli pertinentes visi sunt habere, concessimus, & condonauimus. Eâ videlicet ratione, vt ijdem ministri præfatam legem, & iustitiam perpetuo iure inviolabilem obtineant, & ipsi, eorumq; successores, abbati illi, qui inibi nunc præest, eiusq; successoribus, debitum seruitium, debitamque fidelitatem semper exhibeant. Et vt hæc nostræ concessionis auctoritas stabilis, & inconvulsa omni æuo permaneat hanc chartam inde conscriptam, manu propriâ, vt infra videtur, corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.*

Signum Domini Heinrici quarti Regis.

Sigishardus Cancellarius vice Sigfridi Archicapellani recognoui.

Data VII. *Kalend. Martij Anno Dominicæ Incar-*

nationis M. LXIIII. *Indictione* II. *Anno autem ordinationis Domini Heinrici quarti Regis.* VIIII. *regni vero* VIII. *Actum Basileæ. Feliciter. Amen.*

A. D. N. CIↃ. LXV.

Eodem anno, perfecto iam Murensi monasterio, Vernherus Comes Habsburgiensis, & Burcardus secundus Præpositus Rumoldum episcopum accersiuerunt qui dedicaret. Dedicatio facta est Titulo S. Martini Turonensis episcopi V. Idus Octobris, magnâ vicinæ nobilitatis, & vicanorum frequentiâ. Anno sequenti, obijt Hermannus abbas, VI. Idus Aprilis, cum præfuisset annos XIII. mensem vnum, dies XXII. Erat ex Comitibus Vitoduranis qui Kiburgum etiam condidere, & Kiburgenses ab eo denominati sunt. Habuit fratres Luitfridum, qui ipsum morte præcesserat, & Adelbertum tum Comitatum administrãtem. Primus fuit quem infulam, & pedum ab Leone IX. Pontifice, ceteraque pontificalia ornamenta impetrãsse, Heremi monumenta tradunt. Nonnulla manu scripta eidem Leoni sanguine coniunctum fuisse notant. Singulari fuit apud regni Principes, & vicinam nobilitatem amore, & honore. Heremitæ post eum legerunt Heinricum ex Comitibus Lupoduni, Stulingorum Landgrauijs.



HEINRICVS PRIMVS EX COMITIBVS LVPODVNI STVLINGIAE LANDGRAVIIS ABBAS HEREMI SEPTIMVS.

CAEPERAT paucis ante annis Hirſaugiæ reparationem (quod Monaſterium ab maioribus ſuis ante CC. annos conditum, LXIII. jam incultum, & monachis inhabitatum perdurabat) Adelbertus Comes à Caluue monitu Leonis IX. Pontif. conſanguinei, ſed maximè Viltrudis coniugis aſſiduis adhortationibus, & precibus. Monachos ad recolendum, exornandumque cùm alicunde accire neceſſitas poſtularet, ſanctiores, & obſeruantiores reperire, aut flagitare quam ab Heremitis ne-

mitis nequiuit. Hac de re satius est audire Trithemium in Chron. Hirsaugiensi. Eius verba sunt, cum retulisset quomodo Viltrudis Comiti marito persuasisset, vt monachos, non exspectato Monasterij fabricæ termino, introduceret, quorum consilio quæ deerant perficeret. *Dedit ergo Comes persuadenti feminæ consensum, & vnde monachi adducerentur, qui secundum regulam monasticam inculpatè viuerent, cæpit habere consilium. Erat autem in illo tempore monasterium Solitariorum, quod ab antiquo ad Heremitas dicebatur, in Nigra Silua, bonæ opinionis, & ob regulam conuersationis monachorum inibi degentium præ ceteris Sueuiæ monasteriis laudatum* (Heremus nostra est in antiquis Sueuiæ ducatus terminis) *cuius famæ boni odoris gloriâ inducti Comes, & Comitissa, monachos, si possent impetrare, petere decreuerunt. Missâ itaque ad ipsius cœnobij abbatem legatione, Comes Adelbertus rogat sibi monachos vitâ, & conuersatione præcipuos mitti, qui monasterium à se fundatum sub regula S. Patris Benedicti possideant. Missi sunt ergo de Monasterio prædicto fratres cum Friderico venerabili viro quem sibi præfecerant Abbatem. Veneruntq; ad Hirsaugiam anno Dominicæ Incarnationis Millesimo, Sexagesimo quinto, Indictione* III. *pridie Non. Decembrium, à desolatione primi Monasterij* LXIII. *à fundatione autem prima* CC. XXVII. *anno. Quos vt vidit deuota Christi famula Viltrudis Comitissa, cum incredibili gaudio suscepit, dispositisq; omnibus, quæ ad sustentationem seruorum* DEI *videbantur necessaria, monasterium eis vna cum Comite marito consentiens in possessionem sempiternam tradidit. Postea verò quam fratres in possessionem Monasterij necdum consummati fuerunt admissi, cæperunt diligentissimè operam dare, vt Ecclesia quantocyus perficeretur, sperantes se tunc rerum quoque temporalium necessariam prouisionem, iuxta pollicitum Seruatoris nostri in Euangelio, Diuique Patris monachorum in Regula, sine dubio adsequi, cum ante omnia in exhibitione seruitutis* DEI *omnipotentis debitum promiserint famulatum. Erant autem fratres numero* XII. (colligitur hinc numerus fratrum

Heremi-

Heremitarum cum inde in coloniam veluti potuerint mitti simul XII.) *quorum feruorem, & deuotionem cum sancta femina Viltrudis Comitissa vidisset, omni quâ potuit virtute satagebat apud maritum, ne quid ad consummationem tam sancti operis deesse contingeret. Vnde suam munificentiam in fratres, & pietatem indies multis beneficiis ostendit, & quæcumque ad subleuationem seruorum Christi intellexisset necessaria, nunc manifestè, nunc etiam occultè liberaliter impendit*, &c. Haut erit absque precio si ea quoque quæ de Friderico primo Abbate refert idem scriptor inseruero, vt inde magis, magisque eius tempestatis Heremitarum nostrorum virtus, & sanctitudo eluceſcat, *Fridericus*, inquit, *Abbas natus fuit ex parentibus ingenuis de gente Sueuorum antiquâ familiâ secundum seculi huius nobilitatem non infimus* (semper monachis nobilitate generis præstãtissimis abundauit ad extrema vsque tempora nostra Heremus) *à quibus in iuuentute ad discendum literas positus satis, quantum ætas illi permisit, in discendo cum tempore profecit. Postea vero quam sapere & intelligere aliquantum cœpit, ad* DEVM *se non sine mentis feruore, in puero quidem admirabili, cõuertit, & in monasterio Heremitarum apud Cellam videlicet S.* MEGINRADI *mansionem inter monachos, parẽtum adiutus suffragio, petiit, & impetrauit. Et hinc tempus omne in exercitiis monasticis, & disciplinâ regulari satis quiete non paucis annis exegit, nulli molestus, nullique onerosus, sed ante faciem suam in simplicitate ambulans parum de mundi huius ratione cogitabat. Lectioni namque diuinarum scripturarum, & internæ compunctioni à iuuẽtute deditus, ac magistrorum sollicitudine, & prouidentiâ probe institutus, veluti consuetudine quadam introductâ, didicit cum mundo nullũ prorsus habere commercium. Erant nempe illo tempore monachi in sæpe dicto monasterio regularem vitam, ac puritatem coram* DEO, *& hominibus, sine querela optimam ducentes, qui pueros, & iuuenes, quos in sui consortium scripsissent, verbo, & exemplo, non solùm in scientia scripturarum, sed etiam in moribus ad compunctionis internæ deuotionem imbuebant.*

Quibus

Quibus exercitiis Fridericus penè ab infantia maiorum cohortatione, & exemplis instructus, viam simplicitatis virtuosæ, quam semel didicit vsque ad mortem inviolabiliter custodiuit. Post multos verò annos, cum Adelbertus Comes de Caluue, sicuti diximus, monachos, & Abbatem ex Solitariensium cœtu supplex expeteret, nullus tum Friderico melior occurrit, quippe qui non modo verbis, sed etiam exemplis corda subditorum ad contemtum mundi, & amorem cælestium fortius omnibus posse inflammare videretur. Erat enim dispositione corporis, non secus ac mẽtis, quadam maiestate dignitatis reuerendus, staturâ mediocris, qui non multum breuis, nec longus nimium haberetur, in facie corpulentus, & plenus, fortis, & robustus, nec tamen crassus nimium, capillis nigris, canisq; hinc inde respersis, & nullâ caluicie depilatus. Qui cum nomen, & dignitatem pastoralis curæ suscepisset, aut nihil, aut parum prioris sanctæ institutionis omisit, sed in orationibus, lectionibus scripturarum, meditationibusq; sanctis, & internorum contemplationi vacans die, ac nocte, secularium negotiorum occupationes non facile admisit. Vagos quoque de monasterio discursus non amabat, vigiliis, & ieiuniis corpus suum pro DEI *amore indesinenter afficiens, hostiam se Domino viuam, & immaculatam offerre satagebat. Ad pauperes multum erat misericors, quos vt potuisset pro* DEI *amore aliquantulum esurientes reficere sæpius ieiunus remanens, sibi competentia cibaria impertiuit egenis. Vbicumque enim offendisset pauperem, mox sine dilatione quantum potuit, illius inopiæ, tam in amictu, quam in victu subueniebat. Nam secundum nomen suum, in omnibus erat pacificus, mitis, dulcis, & quietus, plenus charitate* DEI, *& dilectione fraternâ, incessu grauis, eloquio dulcis, & pulcrâ morum grauitate ornatus. Adeo verò se coram* DEO *humiliare didicerat, vt etiam in exteriori conuersatione nitor quidam gratiæ spiritualis relucens internam cordis humilitatem palam cunctis ostenderet. Inter scriptores namq; reliquos, quod officium apud veteres monachos, erat valde communiter in vsu, locum tenere cum fratribus non erubuit, in qua se per vices ab*

oratione

oratione vacans vtiliter occuparet. In habitu suo nihil differebat à monachis subditis, qui, eo tempore, omni vtilitate, & extremitate iuxta regulam contenti subtus cucullis, desuper vero cappis vtebantur. In hac itaque humilitate, & innocentia vitam suam Fridericus abbas diligenter custodiens prauorum temeritatem non potuit euadere, quæ bonis viris ab initio mundi semper fuit infesta, sed vsq; adeo iniuriis malorum patuit, vt tandem ab officio dignitatis suæ fuerit iniustißime depositus. Hæc præclara sane, de Friderico nostro Ioannes Trithemius. Nam cetera ad suum locum in tempore memorabimus.

At verò Murenses, & Comes Vernerus Habsburgiacus, secundo iam ab Heremitis petito Præposito, veriti ne ex eo ius sibi aliquod vindicarent, communi suffragio Burcardũ ex secundo Præposito abbatem primum salutarunt. Acta Murensia. *Explicatum est abbatem Hermannum hoc anno mortuum. Timens ergo Vernharius comes, quod fratres de Heremitis vellent postea aliquod ius, vel potestatem habere in istum locum cõcilio habito electus est à fratribus ipse Burcardus in abbatem. Hic fuit primus abbas istius loci. Cumq; fuisset factus abbas, sicuti anteà facere consueuit, ita & tunc fecit locum in omnibus ornando, & firmando, & regularem vitam fratribus instituendo, ipsamque congregationem augendo. Qui cùm septem annis, & aliquid pluris huic loco præfuisset Idibus Ianuarij feliciter recessit ex hoc seculo, sepultusq; est ante monasterium istud, sicut ipse rogauerat, vt in Dominicis diebus fratres sepulcrum eius cum processione circumirent.* Ita, eodem prope tempore, duo insignia ab Heremitis exorta, & propagata monasteria, Murense origine; Hirsaugiense reparatione. Anno millesimo septimo & sexagesimo, orta inter Rumoldum Episcopum, & Notbertum S. Galli abbatem de iurisdictione controuersia in bellum erupit, factæque vtrinque cædes, & vastitates, donec Rudolfi ducis auctoritate ad pacem, & concordiam rediere. Heinricus Cæsar per eadẽ tempora, iuuenilibus annis, an insitâ proteruiâ, multa præter decus, & rectum agere, statuere, principes,

A. D. N. C1J. LXVII.

& imperij capita aſpernari, & deprimere, viles, & è vulgo contrà attollere, multaque per auaritiam, etiam ex ſæuitia, & crudelitate perpetrare. Epiſcopatus, ſacerdotia, & dignitates, resque Eccleſiæ ſectatoribus ſuis, & adulatoribus largiri, plerumque venum habere, diuortium etiam cum Berchta coniuge meditabatur. Miſſus ob ea ab Alexandro pontif. anno milleſimo ſexageſimo octauo Petrus Damiani ad comitia Francofurtum cum graui oratione eum increpuiſſet, magnâ ordinum adprobatione, & aſſenſu, eo adegit, vt ſe in pontificis auctoritate futurum ſponderet. Quid eodem hoc anno octauo & ſexageſimo euenerit Friderico è noſtratibus primo abbati *Hirſaugienſi* facere non poſſum quin teſtem, & auctorem eumdem Trithemium interponam. Is ita ſcribit ad eum annum.

A. D. N. CIↃ. LXVIII.

Anno vero ſequente, qui fuit Dominicæ Natiuitatis CIↃ. LXVIII. *cum abbas Fridericus iuxta morem, & conſuetudinem ſuam rebus diuinis totus eſſet intentus, lectioni, meditationi, orationique, & contemplationi deditus, fratribusque ſuis, quos ſibi ipſe conſtituerat rerum omnium monaſterij diſponendarum in externis œconomos, nimiam in agendis permitteret libertatem, cæperunt eum, diabolo inſtigante, contemnere, & quo modo ipſum à dignitate deijcerent conſilium habere. Spiritualis namque vitæ tranquillitatem, quâ ille vehementer ſe occupare ſolebat, non religioni, ſed inertiæ ſuæ adſcribebant, ipſumque ignauum, & rerum temporalium inexpertum irridebant, quippe qui ad eorum commodum, & vtilitatem in externis nihil penitus prouidere, aut poſſe, aut velle videretur. O quid non præſumit cæca prauorum ambitio, quæ præſentibus nequiter inhians, memoriam futurorum non admittit. Virum enim honore dignum monachi penitus indigni non ſolum non venerantur, ſed etiam perſequentes deſpiciunt, & eum quem ſummo honore ab vltimis etiam terræ finibus, ſi ita opportunitas requireret, vocare ad ſe debuerant, repellere à ſe, & abÿcere turpiter non formidãt. Comitem Adelbertum*

principes

principes factionis monachi prorsus DEO, & hominibus ingrati adeunt: Fridericum abbatem suum inertem, ignauumq; nõ satis prouide accusatum deferunt, & quam inutilis sit monasterio aliis, atque aliis verbis mendaciter confingunt. Et quidem facile animum Comitis viro sancto, & innocẽti reddunt auersum, vt qui mundanis rebus assuetus nihil minus quam internæ conuersationis quietem cogitabat. Erat etiam abbati iam pridem non mediocriter infensus, propterea quod, consulẽtibus id ipsum monachis, liberius quam illi erat in mente, traditionem monasterij Pontificali roborandam auctoritate exigere tentasset. Vnde fratrum accusationes contra Fridericum libenter admisit, & mox eum abbatiali honore priuasset, nisi vxoris dẽuotissimæ consilio fuisset aliquamdiu prohibitus. Sed nec ad eum caussa accusationis delata videbatur sufficiens, pro qua abbas deponeretur; non quod iustitiæ rationem in hoc attenderet, sed ne apud homines leuitatis argueretur, si ad tam leuem querelam monachorum hominem alioquin bonæ apud omnes famæ, & opinionis à prælatura remouisset. Interea dum hæc agerentur Fridericus abbas sanctæ simplicitatis amator more suo cælestibus intentus disciplinis, earum machinationum quæ parabãtur in suum exitium penitus ignarus, dolos, & fraudes suorum non aduertit. Cum autem cernerent accusatores iniqui, se hac viâ non posse proficere, vt sanctum virum omnino deijcerẽt, alium modum inuenerũt. Consilio namq; diabolo suggerẽte, inter se habito crimen fornicationis pastori suo morbidæ oues imponunt, vt eum, quem vincere non poterãt, iniuriâ superarent. Hac famâ delatâ ad Comitem non examinauit caussam secundum regulam æquitatis, non fecit produci testes à suspicione iniquitatis, sed violentiam iuri præposuit, eosque testes admisit contra innoxium, quos accusatores in caussa ad se non pertinẽte habuerat. Deposuit ergo virum sanctum, & innocẽtem iudex præsumtuosus, quem accusatum quidem nouerat, non confessum, non legitimo testimonio connictũ. Et quãuis nõ pertineat ad laicum ratio huiusmodi actionis, præsumsit tamen ambitio, quod voluit iudicantis, cui tempus fauere videbatur in obse-

quium sceleris, quo præsul erat secularis iuuenis, & puer nomen regis sine regimine portabat. Depositus autem per violentiam Comitis abbas Fridericus illatam contumeliam pro DEI amore patientissime tulit, & vt nihil passus in omni patientia, & mansuetudine inter alios pacifice vixit, nulliq; molestus in aliquo fuit, neque vicem iniuriis rependit, quamuis nõ paucas quotidie ab infirmioribus irrisiones sustineret. Qui cum locum iræ dare potuisset, noluit, sed cum his qui oderant pacem pacificus, & tranquillus omni tempore permansit. Sed omnipotens DEVS iuste iudicans patiẽtiam pauperis non despexit in finem, quoniam quem tribulari innocenter permiserat, quam iniuste fuerit depositus breui postea reuelauit. Dolinamq; machinatio patuit, aperta est iniquitas, fraus quoque detecta, & innocentia viri omnibus facta est manifesta. Nullam enim deponendi eum legitimam habuerunt, sed inuidiâ occæcati æmuli crimen fornicationis in eum mendaciter composuerunt, sicut postea manifeste apparuit. Enimuero cum vir DEI esset homo humilis, & quietus, minusque intenderet rebus, & actionibus mundanis, seq; in auctoritate pastoralis seueritatis nequaquam subditis reddidisset formidabilem, caperunt eum contemnere, & habere exosum, ipsum, tamquam inutilem, de abbatia cogitauerunt eijcere. Non est malitia supra malitiam claustralium peruersorum, qui nullum facinus abhorrentes audent omne quod liuor suggesserit. Depositus autem fuit anno milleſimo sexageſimo octauo, indictione sextâ, anno regiminis abbatialis adsumti tertio completo, & mensibus ferme octo. Mansit igitur inter æmulos suos, vt diximus, vir humilis, quietus, nulli grauis, nulli onerosus, sed internæ compunctioni deditus, dies, noctesque in oratione Domini consummauit. Interea aduẽiens abbas monasterij S. Nazarij Laurissensis cum innocẽtis viri deiectionem cognouisset, cuius vitam, & mores sanctissimos dudum antea nouerat, ingemuit, quem inter lupos, velut agnum, diutius manere non sustinens, ex magna eum pietate secum abduxit, & in monte Archangeli Michaelis, qui Ebersberg dicitur, collocauit, ac de necessariis, quam diu vixit, copiosâ miseratione providit. In

eodem vero monte usque ad mortem permãsit, orationibus, ceterisq; piæ conuersationis studiis intentus, tantoque liberius contemplationi, & quieti mentis dedit operam, quanto ab omni cura, & tumultu secularium occupationum fuerat remotus. Denique non multis posteà annis euolutis, domino vocante, infirmari cœpit, & sancto in pace fine quieuit. Quo mortuo, catena ferrea ad nudam carnem eius inuenta est, quã multis annis creditur non sine dolore, quod cicatrices carnibus infixæ monstrare poterant, in occulto portasse. Sepultus est, in eodem loco, non sine opinione sanctitatis, super cuius tumulum nocturnis horis lumina emissa, vt multi testabantur, visa sunt, & signa diuinitus ostensa. Huc vsque de Friderico nostro Trithemius, quem inter beatos, & ex Heremo nostra incælorum gloria cõstitutos merito colimus, & veneramur. Post depositionem Friderici, ortâ de successore inter Hirsaugienses contentione, postremo in Vuilhelmum, apud monasterium S. Hemerammi Ratisbonæ monachum, quem quidam è fratribus notum antea viderant, reliqui famam bonæ cõuersationis eius satis celebrẽ sæpius audiuerant, vota, & suffragia conuerterunt, accitumq; præesse omnibus iussere. Cum eo, sanctitate, & miraculis illustri, ac toto Hirsaugiensi collegio Heremitæ cõfraternitatem perpetuam, pactis suffragiorum interpositis, laudabilem contraxerunt, diuersis diuersa post mortem subsidia orationum dantes, & recipientes, vt ait idem de quo supra, Trithemius, qui paullo post huius eiusdem confraternitatis fructus vberius explicat, his verbis. *Nec erat inter multos tunc celebris otiosa ista memoranda fraternitas quæ missis, & orationibus sanctorum cumulata defunctorum animabus grata subsidia ministrabat. Hæc enim compacta sonabant, vt quoties defunctus aliquis de monasterio sub confraternitate præfata susceptus in cœnobio Hirsaugiensi denunciatus fuisset, constitutæ pro eo mox fierent orationes, vigiliæ, missæ, disciplinæ, & eleemosinæ, quas pariformiter, & ab aliis pro se fieri post mortem singuli exspectabant. Denique si quando contigisset aliquem monachorum de cœnobio hanc confraternitatem cum Hirsaugiensibus ha-*

bente, ad Hirſaugiam venire cum tanta ſuſcipiebatur charitate, vt non alienus, & aduena, ſed domeſticus, & incola cœnobij illius eſſe putaretur. Similis exhibitio charitatis impendebatur fratribus huius monaſterij Hirſaugienſis ad ea loca venientibus cum quibus fraternitatis confederationem habebãt. Hæc Trithemius, qui quæ eſſent eodem tempore in confraternitatem Hirſaugienſem recepta, hæc, præter Heremitas, monaſteria recenſet. Schaffhauſianum omnium SS.rum Peterhauſiæ, Augienſe, Rhinaugienſe, Murenſe, alia plura.


A. D. N. CIↃ. LXIX. Anno ſexageſimo nono, 1 v. Nonas Nouemb. ſupremũ diem clauſit Rumoldus Conſtantienſis epiſcopus, magnus prorſus vir, & Heremiticâ diſciplinâ, & integritate dignus. Heinricus Cęſar, ineunte anno milleſimo ſeptuageſimo, Epiſcopum Conſtantienſem nominauit Carolum canonicum Magdeburgẽſem Hartzisburgi præpoſitum. Acceptus, habitusq; Conſtãtiæ primo honorifice, mox per ſuperbiam, & leuitatem in odium omnium venit. Comperto etiam, ambitu, & largitione, eam ad dignitatem enixum ad Pontificẽ ſuper eo retulerũt, qui Maguntiacẽſi, cuius in prouincia Cõſtantiẽſis epiſcopatus eſt, mandauit ne inungeret, aut reciperet, niſi cauſſâ cognitâ. Eodem anno, obijt abbas Heinricus XIV. kal. Mai. Erat Comes Lupoduni, vulgò Lupfen. Arx, & vicus eſt, nõ longe à Danubij dextra (qui & inde haut procul habet originem, & fontem) medio inter Stulingam & Tutlingam itinere, cuius Stulingæ regionis etiam Comites prouinciales, ſiue Landgrauij fuerũt. Tulingos Cæſar Iulius vocat. Lupoduni meminit Auſonius Magnus celebrans Valentiniani, & Gratiani filij de Allemannis victoriam in ſuâ Moſellâ, & vtriuſque Imperatoris triumphos.

Hoſtibus, inquit, *exactis Nicrum ſuper, & Lupodunũ,*
Et fontem Latiis ignotum annalibus Iſtri.

Quam victoriam etiã Marcellinus pluribus enarrauit. De Heinrico nihil præterea reperi. Breuitas temporis, ſiue ad miniſtrationis, facultatem agendi, aut memoriam ademit. Succeſſor nominatus concordi ſuffragio Selingerus baro VVolhauſianus.

A. D. N. CIↃ. LXX.

SELIN-



SELINGERVS EX BARONIBVS VVOLHAVSIANIS ABBAS HEREMI OCTAVVS.

ANNO milleſimo ſeptuageſimo primo Sigfridus archiepiſcopus Maguntiaci Synodum ſuæ prouinciæ Epiſcoporum, menſe Auguſto, celebrauit. In ea, præſente rege Heinrico, conuictus largitionis, & rapinarum Carolus Conſtantienſis dignitate epiſcopali deiectus eſt. Cæſar ſuccedere iuſſit Othonem Canonicum Goslarienſem. Anno ſequenti, ingraueſcēte Cæſaris malitiâ, multi ab eo defecerunt Sigfridus Maguntiacenſis, Albertus Vormatiæ, Adelbero Virtzburgi, alij epiſcopi, & pene tota Saxonia. Vnde in Allemanniam metu

A. D. N. CIↃ. LXXI.

A. D. N. CIↃ. LXXII.

A. D. N. CIↃ. LXXIII.

se recepit. Anno millesimo septuagesimo tertio, Alexandri successor pontificatus creatus Gregorius VII. nostri ordinis, ex Comitibus Bitilianis Hiltebrandus prius nominatus, & Cluniaci monachus. Dignitatem is cæpit x. Kal. Mal, magno omnium bonorum consensu, qualem ea tempora optabant, inter omnes pontifices præcipui zeli, & auctoritatis, vere apostolicus. Cæsar in Allemanniam, vti diximus, regressus Augustæ Vindelicorum aliquandiu egit. Vnde ad eum Selingerus misit qui monasterij sui, more tradito, confirmationem priuilegiorum peterent. Neque is denegauit, accedente maxime Berchtæ reginæ intercessu, & archiepiscoporum quoque Vtonis Treuerensis, & Gebhardi Salisburgiensis, Othonis etiam Constantiensis præsulis auctoritate, & precibus. Huius rei, quia singulari elegantiâ est, rescriptum adiunxi. Tale est.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Heinricus, diuinâ fauente clementiâ, Rex. Non magnum est carnalia nostra metere his, qui nobis ſpiritualia non cessant seminare. Oportet enim nos, qui sumus carnales, quique solicitudinibus huius mundi inseruimus, ſpiritualium virorum orationibus commendare, præcipue his, quos, omnibus relictis, soli Christo IESV cernimus vacare, per quos cum ſpiritualem sustentationem accipimus, merito eis carnales consolationes, de quacumq; re petierint, rependimus. Vnde quosdâm monachos petentes exaudiuimus, quorum orationi nos, & ad DEVM pro nobis petitioni commisimus. In monasterio siquidem sanctæ DEI genitricis, & Virginis MARIÆ, & sancti MEGINRADI, Mauritij quoque, sociorumque eius, quod Solitarium vocatur, vulgo Einsidelen, fratres habitantes nos adierunt, qui quidem non de nostris aliqua metere: sed aliorum messe collecta nostro patrocinio obtinere petierunt: Videlicet consolationes quas de multis, siue in prædiis, siue in aliis quibuscumque mundi substantiæ speciebus, vel acceperant, vel accepturi sunt, nostri chirographi testimo-

nio, per-

nio, perpetuâ libertate, possideant. Quorum petitionem, quia iusta videbatur, fieri adiudicauimus. Iustum enim est, vt qui à carnalibus segregati sunt, à carnalibus non iudicentur. Nam & nomen eorum, & habitatio singulares eos insinuat. Ego ergo Heinricus quartus DEI *gratiâ Rex, adstipulatione præsentium regni Principum Treuirensis, videlicet, archiepiscopi Vtonis, Gebehardi Saltzburgensis archiepiscopi, Ottonis Constantiensis episcopi, ceterorumque fidelium nostrorum, super omnia autem annitente Berhtâ & regni, & thori participe, prædictis monachis de Einsidelen libertatem petitam trado, traditam adfirmo, scilicet, vt nullus successorum meorum, de aliqua substantia eorum possessa, vel possidenda, prædiis datis, vel dandis, Cellis constructis, vel construendis, se intromittat; Nisi fortè, quod absit, aliqua in illos raptorum insania surrexerit. Aduersus quos, rogo, vt insurgat, quos trucidet, & eradicet. Cumque abbatem constituendum tempus poposcerit, non quilibet Regis potestate eis præponatur, sed quem fratrum electio idoneum iudicauerit, regis tam petitione, quam constitutione huius nominis onus subire cogatur. Omnia vero cetera ad neminem, nisi ad abbatis nutum, respectum habeant, & fratrum. Huius libertatis memoriale, hanc paginam scribi iussimus, quam, vt infra videtur, propriâ manu nostrâ corroboratam, & sigilli nostri impressione insignitam omnis generationis tam futuræ, quam præsentis notitiæ reliquimus.*

Signum Domni Heinrici quarti Regis humillimi, & invictissimi.

Adalbero Cancellarius vice Sigefridi archicancellarij recognoui.

Data est VIII. *Kalen. Iun. Anno Dominicæ Incarnationis.* M. LXXIII. *Indictione* XI. *Anno autem ordinationis Domni Heinrici* IIII. *Regis* XVIIII. *Regni vero* XVII. *Actum est Augustæ. Feliciter in nomine Domini* IHCOY.

Quo

Quo in rescripto id quoque notaui, & memorabile duxi, quod cum Heinricus, tantâ pertinaciâ, sibi, veterum Pontificum consensu, & auctoritate, vti præ se ferebat, dignitatum Ecclesiasticarum, & sacerdotiorum, quibuscumq; in contrarium priuilegijs niterentur, collationes vindicaret, adsereretque, tamen ab abbatis Heremitarum institutione non solùm ipse abstinuit, sed suos quoque successores temperare voluit. Recto, & sanò iudicio, *Iustum esse* pronuncians, *vt qui à carnalibus segregati sunt, à carnalibus non iudicentur.* Enimuero neque pontifices summos præesse, nisi ex sua voluntate, animum induxerat. Et sanè eadem in vrbe cùm de Gregorij Pontif. electione nuncium accepisset, etiamsi doctum, integrum, sanctum nō ignoraret, tamen, quia iniussu suo, ad pontificiæ dignitatis culmen adscenderat, Eberhardum Comitem Nellenburgiensem Romam subitò misit, qui administratione pontificiâ interdiceret. Et responso ab Gregorio pleno æquitatis, & iustitiæ accepto, in eius postea electionem consensit. Sed Gregorius vbi primum pontificatum ingressus est restituendæ Ecclesiæ dignitati animum, curamque maturè aduertit. Et quia sacri ordinis excellentiâ ante omnia indignum arbitrabatur, si muneris executionem ab laicis acciperet, eorumque beneficiarius, & subditus esset, Synodum apud Lateranum anno sequenti fecit, in qua ita de sacerdotijs decreuit, *vt qui à laico Ecclesiæ inuestituram acceperit, quiq; dat, quique accipit anathemate obligetur.* De clericis verò, *vxores ne ducant, quique habent, eas, aut sacerdotium amittant, neque quisquam ad id vocetur, qui non perpetuum cælibatum professus sit.* Scripsit & ad Cæsarem Ecclesiasticis collationibus abstineat, ni faciat, sacrorum interdictionem minatus. Graues inde in Ecclesiâ, sed præcipuè Germaniâ turbæ, instigante etiam ipsos Episcopos, & antistites, ob cælibatus indictionem, contra pontificem Cæsare. Et Erdfordiæ Synodus Germaniæ Episcoporum super eo habita, præside archiepiscopo Maguntiacensi, mense Octobri, cum is Gregorij instituta, & auctoritatem maximopere laudaret, & tueretur,

A. D. N. C I O. LXXIV.

prope

prope ab conuentu interfectus est. Anno milleſimo ſeptuageſimo quinto, ad primas rebelliones obuiam eundum Cæſar ratus, ſubitâ manu ex Allemanniâ, Bauariâ, & Bohemiâ confectâ, in Saxoniam inuaſit, prælioque conſerto, magnâ vtrimque clade, victoriam tamen tenuit VII. idus Auguſti. Ea in pugna inſignis inter ceteros virtus Rudolfi Allemanniæ ducis fuit. Sequentis anni initio, Gregorius, cùm ſuperiora Cæſar monita ludibrio habuiſſet, cum Romam ſuæ Simoniæ, aliorumque, quibus premebatur, facinorum rationem coram concilio daturum, primâ poſt cineres hebdomade, additâ excommunicationis, ſi abfuiſſet, pœnâ, conuocauit. Quod cum ægerrimè tuliſſet, legatosque pontificios malè habuiſſet, Vormatiæ multorum Imperij epiſcoporum, & antiſtitum conuentum agitauit, vtque Gregorium fraude creatum, ſuis ſententijs declararent, magnis pollicitationibus, & præmijs effecit. At ipſum verò cùm Romæ ad conditum tempus non apparuiſſet pontifex ſacro anathemate percuſſit, & omnes eius ſectatores, ſubditos, & in primis Italiam eiuſdem ſacramento, & obſequio liberauit. Secuta hinc omnium pene Principum ab Cæſare defectio. Et licet omnia promiſiſſet, veteraque flagitia nouis virtutibus abſterſurum, obſidesque in eam rem daturum, tamen, niſi intra annum piorum cætui reſtituatur, ne obſequium, aut opem ſperet, ab ijſdem Principibus reſponſum accepit. Huius decreti ſeueritate, & Principum vnanimi cõſenſu motus Heinricus, nihil prius habuit, quam vt ab pontifice, quacumq; conditione abſolutionem impetraret. Itaque in Italiam nullo ingenuo comitatu profectus, Canuſij, vbi Gregorius in Germaniam tendens, vt Comitijs Auguſtanis, quæ indixerant Principes, intereſſet, audito Cæſaris aduẽtu, ſubſtiterat, multis pœnitentiæ ſignis, eâ ratione anathemate ſolutus eſt, ſi ſe communi Germaniæ Principum conuentu ſtitiſſet, eorum judicio acquieuiſſet, neque interim quidquam regiæ dignitatis vſurpaſſet, v. kal. Februarij anno milleſimo ſeptimo & ſeptuageſimo. Sed breui non modo promiſſis non ſatisfecit, ſed pontificem in ſummum diſcrimen

A.D.N. CIↃ. LXXV.

A.D.N. CIↃ. LXXVI.

A. D. N. CIↃ. LXXVII.

adduxit,

adduxit, ipsum adeò Canusij, collectâ tumultuosâ manu, obsedit, proceres vtriusq; ordinis sollicitauit, totâ Italiâ, & Germaniâ, pluresq; in partes traduxit, sed maior, meliorque pars, quorũ facilè principes Sigfridus Maguntiacẽsis, Berchtoldus Zeringiæ, Otho Saxoniæ, Rudolfus Allemãniæ duces, VVirtzburgiensis, & Mediomatricum episcopi; ad cetera flagitia, nouâ hac quoq; perfidiâ exstimulati, non modo præterita decreta confirmarunt, sed, comitijs Forchtheimi factis; Rudolfum Allemanniæ ducem cõtra Heinricum Romanorum regem renunciarunt, & Maguntiaci XII. Kal. Aprilis per Sigfridum coronãdum curarunt, ad probante, & ad obediendum ei, tamquam legitimo regi, omnes proceres adhortante pontifice. Scitum enim illud D. Ambrosij, atque immobile, *veteri cõsuetudine à sacerdotibus donãtur imperia, non vsurpãtur.* Neq; hoc minus Petri Cluniacensis; *Quamuis Ecclesia non habeat Imperatoris gladium, habet tamẽ super ipsos Imperatores imperium.* Sed Ecclesiæ dictum illud pertineat, non tantum prophetæ, *Constituite super gentes, & regna, vt euellas, destruas, dissperdas, dissipes, ædifices, plantes.* Maguntiaco Rudolfus recta Constantiã venit, indeq; Othonem episcopum, quia contrariam factionem fouebat, expulit. Pontifex Batauiensem episcopum administrare quoque Constantiam præcepit. At Heinricus, auditâ noui regis electione, continuo in Germaniam redijt, auxilijsq; ducis Carinthiæ, & nõnullorum Italiæ, & Istriæ primorum Allemanniam, & quæcumque Rudolfo fauebant, impunè vastauit, ipsum prope Sigmaringam profligauit, & ex toto ducatu Allemanniæ in Saxoniam ejecit, Constantiæ Othonem restituit. Qui secutus est annus totus per easdem partes regum, & factiones admodum turbidus fuit, multa prope totâ Heluetiâ, Elsatiâ, Allemanniâ, Franconiâ bella, cædes, vastitates, incendia, fortissimis per ea tempora pro Rudolfo rege sectatoribus Berchtoldo Zeringẽsi, & Guelphone Bauariæ ducibus. Reges quoque apud Stronouium amnem signa contulere, victoriâ incertâ, vtrisque per magnam tamen stragem fugam capessentibus. Allemãniam hinc Heinricus rursum

A. D. N. CIↃ. LXXVII.

popula-

populatus est,nec tamen quēquam ex primoribus subiugare præter Hugonem Montis fortis Comitem potuit. Is ad partes coactus transijt. Zeringensis anno millesimo septuagesimo nono Turgouiæ magnā partē,quidquid præterea Monasterij S. Galli erat,quia Vlricus abbas ab Heinrico stabat, peruagatus est. Guelpho Rhetiā ad deditionē, & Rudolfi partes compulit. Heinricus interea conuētum suorū Vormatiæ celebrauit,Rudolfum ducatu Allemanniæ priuauit,ipsum Friderico Comiti ab Hohenstauffe cōmisit,& vna Agnetem matrimonio filiam. Nam & egregię virtutis erat,& partibus hactenus magnū præsidium attulerat. Sed Allemāniā totā potiri nunq; potuit,magnā eius partē Zeringis retinentibus. Hinc ipse,& posteri nō amplius se Allemāniæ,sed Sueuiæ tantū ferme duces nominarūt. Eodē anno iterū reges prelio cōuenerunt,ceciderunt q; vtrimq; permulti, & jam prope lassitudine partes defecerāt, nisi postremo aduentu Comitis Cunonis cū milite recēti Rudolfus territus fugā cepisset, & Heinrico victoriam reliquisset. Anno millesimo octogesimo Gregorius Heinricū de integro, Cōcilio Lateranēsi, & omnes eius fautores excōmunicauit,Rudolfum cōfirmauit, & eidem coronam transmisit,& ad vindicandā ab Heinrici tyrānide rempub. & Ecclesię dignitatē maximo opere cohortatus est. Heinric⁹ cōtra Maguntiaci suorū conuētum habuit,& Brixiæ: Ibi Germanię, istic Italiæ episcoporum, qui Gregoriū perturbatorē vnitatis Ecclesiasticæ, & hostē pacis cōmunis judicarunt,pontificiaq; dignitate indignum. In eius locū Giselbertum Rauennatem archiepiscopum, qui id multo antè ambiuerat,sollicitaratq; pontificē nominarunt. Is se Clementē III. dixit. Inde maiori conatu,& milite cōtra Rudolfum Heinricus profect⁹, eū Idibus Octobris,summâ Imperij in casum datâ,prælio apud flumen Ellerstānum superatū interemit. Mox, pacatis aliquatenus Germaniæ reb⁹,in Italiā primo vere anni sequētis cū Clemente,qui ipsum excōmunicatione absoluerat,cōtra Gregoriū abijt,quicumq; imperium detrectarūt dānauit: Vrbem & in ea Gregoriū obsedit. Romanorū egregiâ virtute, & in suū præsidē amore repulsus,cum vicina ædificia incēdisset,basili-

A. D. N. CIↃ. LXXIX.

A. D. N. CIↃ. LXXX.

A. D. N. CIↃ. LXXXI.

camS.Paulli profanaſſet,Rauennā in hiberna diſceſſit.Interea quidam Saxoniæ,& Allemanniæ primates Hermannum Lucemburgi Comitem regnare iuſſerunt,virum ſtrenuum,dignumq; Imperio, niſi imperaſſet. Anno milleſimo octogeſimo ſecundo iterum Heinricus Vrbem aggreſſus eſt, Vaticanumq; ,ſiue Vrbem Leoninam tamdē expugnauit,temploq; D. Petri Apoſtolorum principis totius orbis auguſtiſſimo direpto, veterem circumuallauit, quam tamē breui per æſtum, & propugnatorū fortitudinē relinquere coactus eſt , exercitu in vicina loca diuiſo,& Clemente antipapa rei ſummæ præfecto. Sed proximo inde anno,IV. Nonas Iunias ipſam quoq; Vrbem veterē in ditionem redegit,Gregorio,&Cardinalibus in arcem S. Angeli elapſis. Eam cū copijs omnibus cum etiā circumſediſſet,& ad extrema jam Romani peruenisſent,abeo diem petiere, quo die accedere ad eum pontifex & proceres poſſent,& de rē cōmuni,paceq; tranſigere. kal. Nouēbres deſtinauit. Eo die cū ſe Gregorius præſentiæ eius, qui tot diris deuotus eſſet,neq; ſuæ,neq; Apoſtolicæ dignitatis cōmittere dignum exiſtimaret,colloquium recuſauit;Romani deditionem fecere. Pontifex ad Robertum Apuliæ ducem euaſit, cuius opibus adiutus,cum Heinricus, ad eius aduentum, exceſſiſſet,Vrbem recepit. Sed cum Romanis haut ſatis fideret, & in propinquo adhuc hoſtis eſſet, Caſſinum primo,poſt Salernū conceſſit. Romani Heinricū reuocauere,qui IX.Kal. Aprilis anni milleſimi octogeſimi quarti Vrbē ingreſſus in Lateranū diuertit,ibiq; Epiſcoporum congregatâ Synodo Gregorium abdicandū , & Clementem coronādum curauit dominicâ Palmarum,à quo poſtea,die paſcatis , Imperator vnà cum coniuge coronatus eſt. Inde in Germaniam , vbi grauiores turbæ,relicto Romæ cū præſidio Clemente,redijt. Aeſtate eadem in vrbe adeò atrox peſtilētia prēvaluit,vt præter ceterosGermanicū militem integrum abſumſerit. Et Romani, ſolitâ mobilitate , aut libertatis, & rerū nouarum cupidine, captâ occaſione,Clementē vrbe ejecerunt. Neq; tamēreuenire Gregorius auſus,Salerni quorundā Galliæ, & Italiæ epiſcoporū,& procerū conſilio,Heinricum , & Clementem vnà cū fautoribus,nouis exſecrationū laqueis irretiuit,Othonem

A. D. N. CIↃ. XXCII.

A.D.N. CIↃ. XXCIII.

A. D. N. CIↃ. XXCIV.

Cardina-

Cardinalem, Episcopumque Ostiensem in Germaniam misit, qui Quintilij burgi congregatis Catholicis episcopis eadem contra vtrumq; decreta publicauit. Eodem exeũte anno Berchtoldus Zeringus, adsumto Guelphone Bauaro, & Burcardo Nellenburgensi cum magnis iterũ copijs Constantiam profectus, Othonem inde expulit, Hermanniq; regis gratiâ, & fauore Gebhardum fratrem, qui Hirsaugiæ monachum agebat, episcopum instituit, vrbique introduxit XI. Kal. Ianuar. anni millesimi octogesimi quinti. Eumdẽ Otho Ostiensis Gregorij Pontif. auctoritate, & mandato confirmauit, & consecrauit. Breuis postea Gregorij vita fuit. Obijt VIII. Kal. Iunij, Salerni post totcontentiones propter Ecclesiæ constitutionem & libertatem fortiter susceptas, & toleratas. Memoria eius ad eumdem diem tamquam beati cæpta celebrari. Cardinales & episcopi Catholici Desideriũ Cassini abbatem successorem eius nominarunt, qui Victoris III. nomine haut diu superfuit. Heinricus enim, vt fama fuit, per dolum è medio tollendum, quia in eum Gregorij censuras renouârat, curauit; alij in suo Monasterio suâ morte defunctum malunt, XVI. kal. Octobris anno millesimo octogesimo septimo. Sequenti anno, VIII. Idus Martij Catholici pontificem crearũt Othonem abbatem Cluniacensem omni eruditione, & sanctitate vitæ tali dignitate dignum judicatum, qui dictus Vrbanus II. Non minori odio Vlricus abbas sancti Galli Gebhardum persecutus est, quam fratrem Ducem Berchtoldum, à quo tot antè damna acceperat. Multæque inter vtriusque copias factæ, hoc, & sequenti anno congressiones, & cædes. Sed Constantienses etiam suburbana S. Galli incenderunt, ægreque agrestium magno concursu monasterium seruatum ab flammis. Berchtoldus fratri auxilio profectus monasterium quoque oppressit, & quidquid incendio superfuerat euertit, monachis eiectis, nonnullis cæsis, alijs vulneratis. Eodẽ anno octogesimo octauo, obijt regina Bercta Heremitarum inter Patronas haut minima. *H*ermannus rex Maiestatem regiam quoq; sponte exuit, & in gratiam cum Heinrico redijt, circiter medium Octobrem. Is vero vigiliâ Nati-

A. D. N. CIↃ. LXXXV.

A. D. N. CIↃ. LXXXVII.

A. D. N. CIↃ. XCVIII.

uitatis cum Egberto marchione Turingiæ apud Glicham congressus magnâ suorum cæde fusus, & fugatus est. Anno sequenti in Italiam tetendit, vbi fermè septēnium egit. Mantuam cum venisset legit Constantiensem episcopum contra Gebhardum, Arnoldum S. Galli monachum, quem omnibus viribus Cæsaris mandato Vlricus abbas Constātiam inducere conatus frustra fuit, repulsus è mœnibus fundis, & jaculis non absque suorum sanguine. Suburbana tamen vastauit, & quidquid opidanorum fuit. At illi magnis copijs vrbe effusi hostem latè quoque persecuti sunt, donec apud amnem Taurum circumventi à S. Gallensibus pene omnes interirent. Petiuit ad eam cladem Gebhardus fratris auxilium, qui subitò ex Brisgouia, vbi tum contra Heinrici fautores pugnabat, in abbatis ditionem militem rapuit, ingentemque vastitatem attulit, S. Gallensibus, & monasterialibus ad extrema redactis, aut eliminatis. Anno millesimo nonagesimo, cum Selingerus jam vicesimum administraret annum per tot Germaniæ, & Imperij turbas, dissidia, vastitates, bella, quæ non minus varijs partibus in sui monasterij bona, & possessiones redundarunt, damnaque ingentia attulerunt, valetudine aduersâ, & ætate ingraueſcente, sponte abdicauit, adhibitoq; fratrum consilio Rudolfum Camerarium ex Comitibus Rapersuillanis successorem instituit. Ipse ad vitam priuatam reuersus eam ad nonum vsque annum prorogauit. Quamuis reperiam in ephemeride notatos Rudolfi annos ab excessu Selingeri, & fuisse interea magis vicarium, quam Abbatis nomen, aut dignitatem sumsisse. Alia monumenta, quæ sequimur, contra tradunt, & Rudolfi gubernationem ex hoc anno, vti & dignitatem, auspicantur.

A. D. N. CIↃ. XXCIX.

A. D. N. CIↃ. XC.

RVDOL-



RVDOLFVS I. EX COMITIBVS RAPERS-VILLAE ABBAS HEREMI NONVS.

HABEBAT RVDOLFVS abbas ex Vdalrico fratre nepotem Rudolfum, qui Rapersvillam Veterem incolebat. Ea sita est siniſtrâ laci Tigurini ripâ, vbi ferme in eum Limagus influit. Nunc ab Diui Ioannis sacello nominant. Quod id ex opidi ruinis solum permaneat. Veterem ad Nouæ differentiam. Nouæ vero condendæ hoc ipso tempore talem fuisse occasionem ferunt. Tenebat Comes Rudolfus, abbatis nostri, vt diximus, nepos, amplas vtraque & laci, & Limagi ripâ opes, Comitatus scilicet duos Rapersvillanum, de quo agimus, vallē

Vegi, Marcamq; illi coniunctas siniſtro laci margine: at verò dextro, Comitatum Vtznacenſem, Vſtre, Griffenſe, alia. Habebat vero præterea Rudolfus vxorem formâ, elegantiaque per quam eximiam, ceterum libidine incensâ, & inſatiabili. Eius ipſe amore vecors nihil tamen dici, nihil audire volebat, quod quacumque eam ſecius attingere poſſet. Et idem ſæpe per bellorum occaſiones, aliasque domo aberat, coniuge interim per omne voluptatis genus volutabundâ, & præcipiti. Id poſtremo Curator rei familiaris non vltra tolerandum ratus ad Comitem per commoditatem acceſſit, rem maximi momenti, ſi aures adhibeat, indicaturus. Comes, tamquam re inopinâ, exterritus, quæcumque ferat auditurum annuit, de vxore modo nihil aduerſum miſceat, cuius illecebris, & venuſtate ita captus, & vinctus ſit, vt eius ſolo intuitu omnem animi ægritudinem exſpuere ſoleat. Hac lege acceptâ, facilè intellexit Curator deſtinato abſtinendum, & fruſtra id ſe ſecretum petiſſe. Igitur cogitatione, & ſermone in alia omnia verſis. Imo verò, inquit, longè aliud eſt, quod in animo verſo, tibi honori, & nomini, emolumentoque ſingulari, ſubditis præſidio, & refugio, totique poſtremò regioni ornamento, & ſplendori futurum. Vltra, inquit, lacum vicus Endinga eſt, quem veluti in peninſulam lacus circumambit. Supra colliculus leni dorſo aſſurgit. Vtrumque ſitu amœno, & delectabili, &, ſi firmamentum addas, etiam inexpugnabili. Id fiet ſi collem arce occupes, inferiora in opidum formes. Magnæ eo vtraque ex ripâ commoditates confluent, mercatum quoque, ſi lubet, inſtituere poteris, & tamquam totius prouinciæ emporium. Profectò nemo ijs quibus ipſe es opibus locum talem negligeret. His auditis Rudolfus lacum præteruectus, quæ ex curatore acceperat, vt in re præſenti diſpiceret, conſilium, & ſitum maximopere probauit. Igitur anno milleſimo nonageſimo primo arcem in eodem colle conſtituit, mox Endingam, & circumjecta mœnibus, & foſſis circumvemit, opidumque Raperſvillam nouam nobile, & jucundum, Rudolfi abbatis patrui auctoritate, & permiſſu, à cuius Mona-

A. D. N. C I ↄ. XCI.

ſterio, ipſe

sterio, ipse collis, & lacui, eâ parte, vicina omnia titulo fiduciario à Comite possidebantur, ex vico exiguo condidit, & optimo cuique habitandum dedit. Id opidum, mortuis antiquis Rapersvillæ Comitibus, ad Comites Habsburgios Lauffenbergæ dominos matrimonio peruenit. Ab his, pecuniâ datâ, ad Principes Austriacos, fuitque prope extremũ eorum quæ ipsi in Heluetia possedere. Anno millesimo nonagesimo secundo Heinricus Imper. Cunradum ex Berctâ filium parti Italiæ, regio nomine, præfecit, egregiæ virtutis, & probitatis iuuenem, & qui summopere ab patris tyrannide abhorrebat. Quâ postremo nimis offensus, vti & alijs eiusdem flagitijs, ad Vrbanum, & Catholicorum partes transijt anno sequenti, & excommunicatione absolutus, ex Pontificis auctoritate, regnum se habiturum promisit. Vigebat eâ tempestate pestilentia hominum, & pecudum, tantâ cæli grauitate, vt aues etiam pleræq; moribundæ humi concíderent, & ea plures annos tenuit. Secutæ sunt anno præcipuè millesimo nonagesimo quarto, crebræ invndationes quæ cuncta planiora incredibili vastitate perruperunt. Multa præterea multis locis portenta, & monstra fuere. Stellæ medio die cadere visæ, acies etiam concurrere. Terræ motus insolentes, & crebri, qui arces plures, & opida nonnulla subruerunt, tecta, & campestria discessu deglutierunt, mortalesque ruinâ ædificiorum peremerunt. Sed, eadem de caussa, non pauci, relictis Imperatoris partibus, ad Catholicos, & Vrbanum transiere, qui licet maximam primorum Italiæ partem in officio, & obsequio habebat, tamen, præsente cum copijs Heinrico, haut suas opes pares ratus in Galliam transijt, & Claro monte frequens concilium celebrauit. Vbi cum Heinricum, & Clementem, eorumque sectatores nouis anathematis adfeciset: Philippum quoque Galliæ regem, quia viuente primâ coniuge, aliam induxerat, communione piorum submouisset, & postea ad satisfaciendum adduxisset, multa, præcipuè in Ecclesia Gallicana, emendasset, omnes Ecclesiasticos, qui dignitates suas, & munera à laicis accipiant, damnasset, postremò clarâ, & me-

A. D. N. CIↃ. XCII.

A. D. N. CIↃ. XCIII.

A. D. N. CIↃ. XCIV.

A. D. N. CIↃ. XCV. morabili oratione sacram expeditionem contra Saracenos, & infideles persuasit, anno millesimo nonagesimo quinto. Qui secutus est annus totus ferè per vniuersum Occidentem in adparatu belli sacri consumtus. Iudæi, eodem tempore, tamquam Christiani nominis hostes, vndique etiam interfecti, aut ad Christianismum compulsi, præcipuè in Gallia, Anglia, Hispania, Hibernia, Scotia. In Germania ferme vim ab ijs Heinricus prohibuit. Cruce signati tandem anno millesimo nonagesimo septimo, diuersis itineribus, Hugone Magno regis Philippi fratre, & Gotfrido Bulionio præcipuis ducibus, Bohemundo quoque Apuliæ principe, terrâ, marique, ita vt omnes oras, portusque complerent, in Asiam traiecerunt. Bithyniæ Nicæam mense Iulio cæperunt, Antiochiam Syriæ Octobri obsederunt. Sunt qui fuisse hominum millia sexcenta memorant. Heinricus Imp. nullâ prope in Italia tanto tempore gestâ re, eodē anno, in Germaniam redijt, Ratisbonæ aliquamdiu substitit, vbi Iudæis, qui vellent, exuendi Christiani nominis licentiam fecit. Multi igitur ad vomitum rediere. Inde Maguntiaci cum nonnullis principibus pacis consilia tractauit. Anno millesimo nonagesimo octauo in Oriente Christi milites Antiochiam in potestatem, magno cum Persis pugnato prælio, redegerunt, eamque Bohemundo principi tradiderunt. Anno millesimo, nono & nonagesimo, mortem tandem obijt x. Kal. Aprilis Selingerus ex Baronibus Vvolhausianis, nono, quam resignarat Heremitarum administrationem, anno. Iuuentutem, & maiorem vitæ partem ipse varijs regum, & Imperatorum expeditionibus exercuerat, militiæque famam, & gloriam comparauerat. Postremo rebus Imperij turbulētis, scelere, fraude, sacrilegio, & Ecclesiæ contemtu prævalentibus, in Heremum se cum tribus filijs abdidit, cum vxor Heiduig, voluntate simili, & rerum cælestium adfectu pari, Tiguri sanctimonialium regale monasterium ingressa esset. Secū Selingerus quidquid paternæ hæreditatis possidebat Attisvillæ, Vauillæ, Crauoltsuillæ, Bonotsvillæ, Eglisvillæ, Tammersellæ in heremitarum vsum, & bonum transtulit, capellā

A. D. N. CIↃ. XCVI.

A. D. N. CIↃ. XCVII.

A. D. N. CIↃ. XCVIII.

A. D. N. CIↃ. XCIX.

præterea

præterea Bottenuillæ, octauam partem parœciæ Ruodæ, & quartam Ecclesiæ Seebergensis. Præfuerat Monasterio, vt diximus, annos viginti, multa cum prudentia, & æquitate. Corpore denique adfecto, & per ætatem languente, dignitatem egressus erat, & reliquos huc vsque annos, diuinis meditationibus, & ceteris officijs pietatis absumserat. Heiduig etiam apud Tigurinas sanctimoniales rerum summæ, singulari cum laude, præfuit. Sita est Vvolhausia, nam quoque hoc addere volui, quatinus plures Vvolhausiani barones Heremum illustrarunt, in Lucernensi ditione, quinto decimo circiter ab vrbe milliari, in præfectura Rusuillarensi, quondam arx, & opidum, baronum origo, & sedes, qui longè, lateque, ijs partibus, multa cum dignitate, & opulentia imperitarant. Albertus denique Imper. I. sibi vindicauit. Leopoldus III. dux Austriæ nepos Petro baroni à Thorberg pignori tradidit. Lucernenses, bello Sempacensi, vtrumque opidum, & arcem euerterunt, cetera eius iurisdictionis in suam potestatem redegerunt. At verò sacer in Syria exercitus VII. kal. Iunias Hierosolyma cunctis copijs obsidere cæpit, & IV. Nonas Iulias incredibili virtute expugnauit, quadringentesimo nonagesimo, quam barbari, & infideles post Heraclium Imper. obtinuerant anno. Gotfridus Bulionius, qui primus cum omnium stupore in muros euaserat, rex, cõmunis totius exercitus acclamatione, consalutatus, solemnitate solitâ, cum etiam eumdem coronare vellent, non permisit, indignum adserens, & iniquum auream in ea vrbe ferre coronam, in qua Christus liberator tulisset spineam. Eo quo capta sunt Hierosolyma die solem aliquot retrocessisse gradus quidam adnotârunt, prodideruntque. Vrbanus pontifex, accepto de rebus apud Orientem gestis nuncio, cuius expeditionis auctor, & princeps fuerat, voti compos, & veluti cum Simeone illo precabundus, *Nunc dimitte seruum tuum domine*, lætus & triumphans vitam deposuit. Paschalis II. prius nostri ordinis monachus Cluniacensis, tum verò abbas Romæ SS. LAVRENTII & STEPHANI, suffectus, *expetente populo, eligente clero, collau-*

ro, collaudante Cardinalium senatu, omnibus tertiò adclamantibus, sanctus Petrus Rainerium, ita vocabatur, *virũ optimum, pontificem elegit*, repugnans, & latitans, quod tanto oneri humeros suos impares adfirmaret. Ei multo prius pontificatum, & pontificatus annos prædixerat Albertus Alatrinus episcopus. Sub Paschali, haut multo post Vrbanum, Clemente adulterino pontifice mortuo, qui Ecclesiam indignis modis annos vnum & viginti miseram habuerat, schismatici creati pontifices Albertus Atellanus, tum Siluester, &, vtroq; abdicato, Maginulphus. Annum millesimum centesimum primũ ineuntẽ Heinricus Aquisgrani egit, festo trium regum Heinricum filium secundo genitum, repudiato Cunrado maiori, Cæsarem, & successorem nominauit, inungiq; curauit. At Cunradum, alienissimo reipublicæ tempore, breui postea morbus, an venenum Florentiæ absumsit, cùm nunquàm ab Romani pontificis consilijs, & auctoritate discessisset. Paschalis eodem tempore concilium generale in Lateranum edixit in sequentis anni Quadragesimam, eoque Heinricum Imper. diutini dissidij tollendi caussà, inuitauit, qui se Kalendis Februarij adfuturum promisit. Haut multo post, nempe XI. Kal. Iunias defunctus est vità, & abbatiâ Rudolfus I. ex Comitibus Rapersvillanis eximiæ virtutis, & quem ob eas Selingerus omnibus præposuerat, successoremque nominârat. Lectus omnium consensu GERO ex Comitibus Froburgi, Ludouici Comitis regentis frater.

A. D. N. CIↃ. C.

A. D. N. CIↃ. CI.

GERO



GERO EX COMITIBVS FROBVRGI ABBAS HEREMI DECIMVS.

DIVINITVS nostræ Heremo prouisum, vt fermè tales præsides essent, quales tempora, & res eius publicæ postulant, adeo GERONE nemo constantius in perferēdis communibus Imperij malis, neque quisquam fortius sustinendis, quæ ex propinquo natæ sunt, contentionibus. Sed publicæ necessitates magis hactenus exercuerunt, postea enimuero etiam aduersæ Monasterij penitralia attentarunt, postremo & perruperunt. Verum de ijs quæ ad suos quæque pertinebunt annos pluribus memorabimus. Anno millesimo cēteſimo secundo Paschalis

A.D.N. CIↃ.C.II.

pontifex,

pontifex, dicto in concilio cumnusquam Heinricus, aut qui eius partes implerẽt legati adparuissent, de patrum omnium sententia ita processit. *Detestor omnem hæresin, & præcipuè eam quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ docet, & asserit anathema contemnendum, & Ecclesiæ ligamenta spernenda esse*, Tum, dimisso concilio, in Cæna Domini VII. kal. Aprilis in Heinricum talem exsecrationem edidit. *Quia tunicam Christi scindere, id est, Ecclesiam rapinis, & incendiis lacerare, luxuriis, periuriis, atque homicidiis commaculare Heinricus non destitit, ob eam rem primum à beatæ memoriæ Gregorio papa, deinde à sanctissimo viro Vrbano prædecessore nostro totius Ecclesiæ perpetuo anathemate obligatus est. Quamobrem id notum esse omnibus volumus & maximè transalpinis, vt ab eius se iniquitate abstineant.* At verò

A. D. N. CIↃ. C. III.

Heinricus anni sequentis natalitia Maguntiaci agitans imperium Heinrico filio relicturum, Dominicumque sepulcrum visurum per Emerardum episcopum in concione præfatus, magnam non vulgi modo, & popularium, sed etiam principum, & clericorum benevolentiam, & fauorem comparauit, quæ omnia, cum jam plurimi se ad iter, & in eius comitatum, ac obsequium, magnis impensis, accinxissent, antiquâ, & insitâ perfidiâ, ludibrio habuit. Erant prodigijs, & monstris super mortalium inter se contentiones, & opinionum, doctrinarumque portenta, & dedecora, plena omnia, quæ caussa fuit Florentiæ Episcopo, & alijs in Germania concionatoribus, vt Antichristum jam natum adsererent, contra quæ Synodus Florentiæ, & alibi habita, anno millesimo,

A. D. N. CIↃ. C. IV.

centesimo quarto. Anno millesimo centesimo quinto Fridericus I. suæ stirpis primus Allemanniæ, siue Sueuiæ dux vitâ defunctus, successorem habuit Fridericum I I. F. ex oris deformitate cognomento Vnoculum, præfuit annos XXXIV. Cum verò, vti prædiximus, iura humana omnia, & diuina falleret, illuderetque Heinricus, filium Heinricum perpulit, auctoribus præcipuis Allemanniæ, & Bauariæ primoribus, vt, relicto patre, ad pontificias partes & Catholicos se transtulerit, breuique totam Germaniam, alias ab vtroque

A. D. N. CIↃ. C. V.

defectu-

defecturam, in se traduxerit. Ea de caussa cum in ante diem IV. Kal. Iunias Northusiæ Thuringiæ regiâ villâ conuentum indixisset, prius protestatus, clarâ voce, nullâ se regnandi cupiditate à parente desciuisse, sed diuinæ caussæ studio, & pontificiæ auctoritatis verecundiâ, Simoniacam hæresim, & cetera eius æui sacrilegia, & dedecora cõdamnauit. Paschali sacramentum obedientiæ dixit, acceptaque ab Gebhardo Constantiẽsi episcopo tunc per Germaniam legato Apostolico anathematis absolutione, exercitum fecit, plerisq; Germaniæ vrbibus falsos episcopos ejecit, legitimos imposuit. Dato mox cum patre colloquio, eũ ad sanitatẽ multis cohortatus est, si melioribus locum feciſſet, sese pariter regno abiturum, & in obediẽtia futurum. Cúm nihil se, nisi quod generali omnium Imperij ordinum cõsensui placuisset, acturũ respondisset pater, Comitia in dies natalitios proximè sequentes Maguntiacum indicta. Quæ vbi aduenerunt, & caussæ suæ diffidit senior, in castrum Ingelheim se abdidit. Missi ad eum ex conuentu Maguntinus, Golonienſis, & Vormacienſis antistites, qui imperatoria ornamẽta reposcerent. Cum impetrassent Heinricũ filium subito ijs induerunt, manuumq; impositione in regem confirmarunt. De restituenda postea Ecclesia, & Imperio restabiliendo cõsultatum. Relatione proinde factâ de Ecclesijs, & episcopatibus ab Heinrico seniore concessis, omnia pontificis decreto permissa, lectiq;, qui statim Romam mitterẽtur, insignis virtutis episcopi ex Lotharingia Bruno Treuerensis: è Saxonia Heinricus Magdeburgensis, è Franconia Otho Babenbergẽsis: è Bauaria Eberardus Eichstadienſis, ex Allemãnia Gebhardus Constantiensis: è Burgundia Vlricus Lausanensis. Tum Heinriciana, & Clementina hæresis cõsensu omnium ordinum condamnata, statutumq; vt hæretici episcopi viuentes sede deturbarentur, mortui sepulcris, & locis sacris eruerentur, qui ab ijs instituti, & rebꝰ diuinis admoti essent, vsq; ad conciliũ genera le functione submouerẽtur. Heinricꝰ senior, auditis, quæ euenerant, consulturum suæ se animæ pollicitus Leodicum secessit, vbi à quibusdam malè sanè instigatus, tractis in partes

A. D. N. CIↃ. C. VI.

Leodicensi episcopo,& Heinrico duce Lotharingiæ,alijsque nonnullis rebellibus non contemnēdam militum manum fecit, req; inopinatâ, apud Coloniam Catholicos nonnullos oppressit.Postremò fusus,& fugatus, siue mærore animi, aut valetudo corporis fuit, v 11. idus Augusti ingenti omnium bonorum lætitiâ exstinctus est. Cadauer Leodico Spiram translatum per quinquēnium insepultum jacuit, magno,& memorabili rerum humanarum exemplo. Paschalis pontifex, tãto, & tã pertinaci aduersario è medio sublato, jam erectior ad constituendam Ecclesiam factus, vt Augustam Vindelicorum, quo à nouo rege accersebatur, veniret,se in viam dedit. Cum verò interim Heinricum ab remittendis Ecclesiarum institutionibus abhorrere, nec satis Germanos placatos accepisset, inGalliam deflexit,& Trecas Concilium indixit prouinciale. Superatis mediâ hieme alpibus, Cluniaci natalitia transegit. Concilio Tricassensi anno millesimo, centesimo septimo, cum alia multa Ecclesiæ detrimenta reparata, tum Ecclesiarum collatio rursus ingenti consensu laicis est ademta. Heinrico per legatos ius in eo suum imminui à maioribus suis iam inde vsque à Carolo Magno vsurpatum, expostulanti, spatium datum Romam eundi, & generali in consilio caussam suam probandi. Igitur varijs occupationibus, & maximè Flandrico bello, hactenus distentus, conuentu Ratisbonæ facto, anno millesimo, centesimo, decimo profectionem Italicensem Heinricus in proximum Iulium pronunciauit, exercituque bipartito ipse per montem Iouis, S. Bernardi maiorem vocamus, cæteræ copiæ per Tridentinas valles se expediuere. Hocanno eodem controuersia excitata de limitibus inter abbatem Geronem, & Suitios multorum annorum,& molestiarum. Iam Rudolfo abbate viuente peruaserat fama, Monasterij terminos ab Suitijs violari,vltraque per vsurpationem eos progressos, montes, & pascua tenere Heremitarum dominationis, sed,siue id incertum haberet, aut vitâ prius defecit, nihil extra jactata vulgo inquisitionis, aut certaminis fuit. Sed Gero subditorum Heremi incolarum persuasu, aut

A.D.N. CIↃ. C. VII.

A. D. N. CIↃ. C. X.

quia ita

quia ita in re esse arbitrabatur, litem exorsus, magnâ curâ vtroq; iure exercuit. Suitij vt opes suas firmarent, Rudolfo Lentzburgi Comiti, & Tugij domino, tamquam ob id vicino, & vtriq́ue parti confini, suæ Cõmunitatis præfecturam detulere, qui proinde eorum causſam, & defensionem acriter contra GERONEM tutatus est. Qua de re sæpius sequentibus mentio erit. Fine anni, pridie idus Nouembris defunctus Gebhardus III. ex ducibus Zeringiæ, Constãtiensis episcopus, Apostolicus per Germaniã legatus, multis rebus pro pontificia dignitate fortiter, & prudẽter gestis. Successit Vldaricus I. ex Comitibus Kiburgi, præfuitq; annos septemdecim haut inferiori laude. Heinricus, continuatis itineribus Romam Dominicâ Quasimodo a. d. v. idus Aprilis anni millesimi centesimi vndecimi ingressus, cum, præter pacta, & conuenta, vrbem, & D. Petri basilicam sanguine, cæde, & cadaueribus polluisset, per vim Ecclesiæ dignitatum collationẽ extorsisset, à Paschali inuito, & coacto Romanorum Imperator IV. coronatus est, pridie idus eiusdẽ mensis. Mox in Germaniam cùm rediisset parentis anniuersaria exegit, magnaq; solemnitate jam anathemate absolutum inter piorum cætum sepeliuit. Pridie idus Augusti cõsecrauit Vldaricus Constantiensis in Heremo Sacellum inferius in Monasterij circuitu in honorem, & titulum D. Ioannis Baptistæ, & D. Ioannis Euangelistæ, in idque reliquias condidit beatorum Christi martyrum Mauritij, Meginradi, Iusti, Leodegarij, Alexandri, Felicitatis: Episcoporum Martini, & Volfgangi, & Galli Confessoris. Auctumno adulto, Spirâ Argentoratum venit cum magno principum comitatu Imper. Heinricus. Cum ad eum GERO pro priuilegiorum suorum confirmatione eò misisset, adstipulante, & collaudante eorumdem Principum concilio, hoc, ad patris tamen imitationem, & formam, rescriptum ad nostrorum supplicem libellum edidit.

A. D. N. CIↃ. C. XI.

IN nomine sancta, & indiuidua Trinitatis. Heinricus, diuinâ fauente clementiâ, quartus Romanorum Imp. Augustus. Non magnũ est carnalia nostra metere, his qui nobis

spiritualia non cessant seminare. Oportet enim nos, qui sumus carnales, quiq; solicitudinibus huius mundi inseruimus, spiritualium virorum orationibus commendare; præcipue his, quos, omnibus relictis, soli Christo IESV cernimus vacare, per quos cum spirituales sustentationes accipimus, merito eis carnales consolationes, de quacumque re petierint, rependimus. Igitur in monasterio sanctæ DEI genitricis, & virginis MARIÆ, & sancti MEGINRADI, MAVRITII quoq; sociorumq; eius, quod Solitarium vocatur, Teuthonice Einsidelen, fratres habitantes nos adierunt, Qui quidem non de nostris aliqua metere, sed aliorum messe collecta nostro patrocinio obtinere petierunt: Videlicet, vt consolationes, quas de multis, siue in prædiis, siue in aliis quibuscumque mundi substantiæ speciebus, vel acceperant, vel accepturi sunt, nostri chirographi testimonio, perpetuâ libertate, possideant. Quorum petitionē, quia iusta videbatur, fieri adiudicauimus. Iustum est enim, vt qui à carnalibus segregati sunt, à carnalibus non iudicentur. Nam & nomen eorum, & habitatio singulares eos insinuant. Ergo adstipulatione præsentium regni Principum, videlicet, archiepiscoporum, Alberti Moguntini archiepiscopi, Brunonis Treuirensis archiepiscopi, Cunradi Saltzburgensis archiepiscopi: episcoporum, Burkardi Monasterienſis episcopi, Brunonis Spirensis episcopi, Cunonis Strasburgensis episcopi, Alberonis Metensis episcopi, Richardi Virdunensis episcopi, Eberhardi Eistatensis episcopi, Ulrici Constantiensis episcopi, Rudolfi Basilensis episcopi, Friderici Ducis, Herimanni Marchionis, Comitum quoque Godefridi de Caloen, Frederici de Zulra, ceterorumque fidelium nostrorum, prædictis monachis de Einsidelen libertatem petitam tradimus, traditā affirmamus, scilicet, vt nullus successorum nostrorum de aliqua substantia eorum possessa, vel possidenda, prædiis datis, vel dandis, cellis constructis, vel construendis, se intromittat: Nisi forte, quod absit, aliqua in illos raptorū insania surrexerit, aduersus quos rogamus vt insurgat, quos trucidet, & eradicet. Cum vero abbatem constituendum tempus popposcerit, Non quilibet Regis, aut Imperatoris

ratoris potestate eis præponatur; sed quem fratrum electio idoneum iudicauerit, Regis tam petitione, quam constitutione huius nominis onus subire cogatur. Cetera vero omnia ad neminem, nisi ad abbatis nutum, respectum habeant, & fratrum. Huius libertatis memoriale, hanc paginam scribi iussimus, quam, vt infra videtur, propriâ manu corroboratam, & sigilli nostri impressione insignitam, omnis generationis tam futuræ, quam præsentis notitiæ relinquimus.

Signum Domni Heinrici quarti Romanorum Imperatoris invictissimi.

Albertus Maguntinus archiepiscopus, & archicancellarius recognouit.

Data VII. *Non. Octob. Indictione* IIII. *Anno Dominicæ Incarnationis* M. C. XI. *Regnante Heinrico quinto Rege Romanorum, Anno* VI. *Imperante.* I. *Actum est Argentinæ. In Christo feliciter. Amen.*

A. D. N. CIↃ. C. XII.

Paschalis verò pontif. haut parum notatus, quod Imperatori priuilegium à maioribus suis acerbissimis vexationibus, ac durissimis exilijs defensum, & retentum permisisset, cùm in publico conuentu se, quod egisset, extremâ necessitate adactum fecisse respondisset, haut aliter imminentem stragem populi, incendium Vrbis, & agrorum vastitatem prohibiturus, idque, si piaculum videretur, se concilij arbitrio expiaturum. Ne quis postremo de fide sua dubitare posset, in hanc formam suæ confessionis summam profatus est, Vt præter cetera à Romana Ecclesia adprobata, se probare omnia, aut respuere quæcumque Gregorius VII. vel Vrbanus II. aut decreuissent, aut defendissent, adfirmaret. Quibus dictis adsurgens Gerardus Engolismensis episcopus legatus Gallus, totius concilij consensu, ita ex scripto pronunciauit. *Priuilegium pro liberatione captiuorum Ecclesiæ à Paschali pontifice per Heinricum regem vi extortum, omnes in hoc sancto concilio congregati legitimâ censurâ,*

& auctoritate Ecclesiasticâ, iudicio sancti, ·itus condemnamus, & irritum esse iudicamus, eo nomine, quod in eo scriptum est, iure lectum, à nemine consecrandum, nisi prius à rege instituatur, quod est contra Spiritum Sanctum, & iustam institutionem. Ità à centum & pluribus episcopis subscriptum anno millesimo, centesimo duodecimo. Anno millesimo, centesimo quarto & decimo, Heinricus, frequenti principum conuentu, Maguntiaci nuptias celebrauit cum Mathilde Angliæ regis filia quam nondum puberem aliquot annos jam suo in comitatu habuerat Maguntiaco Basileam venit, ingrediente Martio. Et jam quartus cum Suitijs Geroni contētionis de finibus perdurabat annus, diuersaque eos ad Imperij tribunalia frustra vocauerat, antiquâ, vti adfirmabant, possessione nixos, & insitâ libertate pertinaces, foriqúe omnis externi despicabundos. Itaque ad Cæsaris tribunal eos postremo, legesque, & iura Allemannorum, in quorum ducatu antiquo, & jurisdictione tenerentur, citauit, quibus condictum recipientibus, vtraque pars ad Imperatorem Basileam venere: GERO cum Vldarico Rapersvillæ Comite Monasterij advocato: Suitij cum Rudolfo Lentzburgi Comite suo præfecto. Datâ agendi apud Imperatorem potestate, ostendebant Suitij se, & majores, vltra hominum memoriam, jisdem, quos tenerent, limitibus constitisse, neque tamen instrumenta, aut priuilegia, monumentaue alia ostendere poterant, solo veteris possessionis jure nitebantur. Abbas sui monasterij seniores, & plures subditorum nominabat, qui adserebant Hermannum I. Allemanniæ ducem omnem solitudinem ab Ribera vsque amne, & eius ortu, & deinceps per montium summitates ad alpem Sillæ, & vltra ad rupem Stagelvande, mox montem, cui Sonnenbergæ est vocabulum, & saxum Rotenflu, cuncta pretio emercatum, monasterioque condendo, etiam seruando eadem omnia, & quidquid eius ambitus est, donum fecisse, qui ambitus longè, hoc modo, in Suitiorum, quos tum possidebant, fines introgrediebatur. Ipsi suos limites aliquam magno spatio sese præter cacumina monti-

A. D. N. CIↃ. C. XIV.

um, &

um, & Riberæ fontem monasterium versus protendisse, & ita ab maioribus accepisse contendebant. Contra in medio posuit GERO Othonis I. Imper. diploma, quo Hermanni ducis emtionem, donumque, duodecimo regni sui anno, confirmabat, Monasterium in suam protectionem accipiebat, aliaque priuilegia indulgebat. Sed eo in diplomate finium, aut terminorum mentio nulla suberat, & præter locum illum, vbi sancti *MEGINRADI Cella* fit, Hermanno ab fidelibus suis in proprietatem traditum, nihil quod contra se facere Suitij arbitrarentur, proferebat. Neque priuilegio refragabantur, suæ tamen possessioni præiudicium, eâ ipsâ traditione, fieri negabant. Igitur aliud Heinrici primi Imper. rescriptum recentius protulit *GERO* regni eius anno XVII. Imperij V. editum, in quo sanè certos suæ donationis, aut potius confirmationis terminos præscribebat. Sed in eo quoque Riberæ, & eius scaturiginis fieri mentionem abnuebant Suitij, adeoque quidquid hac in parte proferret *GERO* non alijs quam auditionis, traditionisue incumbere fundamentis, quæ quia auditio, datis Instrumentis, priuilegijsq; haut consentiret, vana, & incerta sit. Addebant Heinrici Imper. instrumentum clam maiores suos, & ijs ignorantibus, impetratum, prætextu solitudinis quasi inviæ, vastæ, incultæ, cuius proinde proprietas regia esset, cum ea tamen loca, secundum eos, quos colunt fines, semper peruia, & maioribus suis habita, cultaque fuerint, nec eorum proprietatem aliquis regum hactenus quæsierit, aut sibi vindicauerit; argumento manifesto ab ijsdem suis maioribus possessa, nec in ijs jus aliquod monasteriales habere posse: sperare illa eadem porro se in possessione mansuros. Respondebat *GERO* multa per vim diu vsurpata teneri, nec quæ semel iniqua, & iniusta fuerint tempore mutare naturã: testes se suppeditare manifestos; ad illos regum & Imperatorum accedere Diplomata. Probabile esse montium apices, & origines, decursusque amnium, & fluuiorum, vtramque suam, & Suitiorum, vti ceterarum fermè gentium, regionum, vrbium, & Ciuitatum, jurisdictionem, & proprietatẽ disparare,

Eius diplomatis exemplum supra, eo, quo datum est, anno. 946.

Notatum id quoque supra ad annum. 1018.

nec vltra eos ab principio coluisse: quidquid vlterius sit, ipsos, & maiores vsurpauisse. Pro Suitijs acerrimè pugnabat Rudolfus Comes Lentzburgi non absque fratre Arnoldo; quatinus apud eos, vt diximus, præfecturam gerebat, simul quia etiam suos versus Tugium fines imminutos querebatur, ideò etiam quædam, quæ Heremitarum erant, inuaserat: GERONI aderat Vlricus Comes Rapersvillæ aduocatus, & in vtriusque abbatis, & aduocati iustitiam, & fauorem multi nobiles, & principes viri inclinabant. Igitur Heinricus, habito, super partium controuersia, & vtriusque rationibus, Principum Imperij, judicumq; vtriusque Ordinis consilio, cum prius Rudolfum Lentzburgiensem injuriarum manifestum occupata restituere, violentiæque multam pendere jussisset, lege Allemannicâ, proceribus consentientibus, in hunc modum pronunciauit.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Heinricus, diuinâ fauente clementiâ, quartus Romanorum Imperator Augustus. Complacuit nobis vt patefieret vniuersis, tam futuris, quam præsentibus nostris fidelibus, Qualiter GERO *abbas de Cella sancti* MEGINRADI, *& Vlricus aduocatus eius, ad nos venerunt conquerentes, scilicet, Quod Rudolfus, & Arnoldus Comites, & ciues de valle Suites, certos fines eiusdem Cellæ invaserint, hereditariam partem ibi semet habere affirmantes, eo quod eorum aruales agri Heremo, in qua constructa est, videntur esse allimitantes. Hæc etiam præsumptio quam iniusta esset, aperte comprobauerant. Nam nobis chartas Domni Ottonis Imperatoris Invictissimi, & Herimanni Alamannorum Ducis incliti, inrefragabili auctoritate suffultas repræsentauerant, qua distinctè ex integro explicant, Qualiter ipsi prædictam Cellam contra omnes calumniatores ante multos annos absq; omni contradictione liberam, & immunem reddiderat. Hoc totum isti denuo, & maximè Rudolfus Comes, infringere conati sunt. Sed, Diuinâ fauente clementiâ, nobis, vt iustum erat, resistentibus, non prævaluerunt. Nam idem Rudolfus æquo iudicio*

primatum

primatum nostrorum, sicut docet Lex Allemannorum, convictus, iniuste ablata ad manum aduocati præfatæ Cellæ cum iusta satisfactione restituit: & ad obtinendam nostri gratiam centum libras nobis persoluit. Nos itaque æquo iudicio optimatum, ac fidelium nostrorum, imo consilio iuridicorum, qui omnes concordi censuere iudicio, eam vastitatem cuilibet inviæ Heremi nostræ Imperiali cedere potestati, videlicet, eam cuilibet placuerit redigendi, præcipueque ad seruitium DEI, sicut continetur in charta supradicti Ottonis Imperatoris invictissimi, prædictæ Cellæ monasterium in honore sanctæ DEI genitricis, & sancti Mauritij martyris consecratum, per nostræ Maiestatis præceptum immune reddimus, & liberum. Et eadem auctoritate, & potestate, quâ prænominatus Otto Imperator eumdem locum ad seruitium DEI ordinauit, contradidit, perpetuâ libertate, & immunitate condonauit: Nos quoque, astantibus, & collaudantibus Burchardo Monasterienſi episcopo, Rudolfo Basilienſi episcopo, Olrico Constantienſi episcopo, Vuidone Curienſi episcopo, Eppone Nouarienſi episcopo, Ducibusque Friderico, Berchtolfo, Godefrido Palatino Comite, Herimanno Marchione, Arnolfo de Lenzeburg, Vlrico, & Alberone de Vroburg, Adelberto de Habesburch, Rudolfo de Fricca, Berchtolfo de Nuringa, Frederico de Zulra, aliisq; multis, ipsius Cellæ fundum monachis ibidem DEO famulantibus concessimus, & perpetuo possidendum contradidimus, cum omni circumiacente silua, omnique finitima marcha, subnominatis locis determinata, quæ in occidua parte incipiens à fluuiolo Bibera, ab ipsiusq; fonte in Austrum porrecta, per diuexa montium proximorum latera, quidquid in præfatum locum inclinia tendit vsq; ad proximam alpem dictam Sila: inde ad rupem Stageluuant; hincque ad montem Sunnenberg vocatum: postremo ad rupiculam Rotenfluh nominatam. Quidquid his interiacet, & clauditur limitibus, id est, ab adiacentium montanorum cacuminibus, ad eumdem, vt prædiximus, locum, in cliuibus scilicet, vt lapsus liquentium niuium, & cursus amnium, impetusque torrentium præcipitant in ima conuallium, omni-

no totum ad prædictum donauimus locum. Hoc est ipsius loci fundum, cum alpibus, siluis, paludibus, vallibus, planitiebus, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, venationibus, viis, & inviis, cultis, & incultis, exitibus, & reditibus, quæsitis, & inquirendis, & cum omnibus, quæ dici, vel scribi possunt vtilitatibus. Et vt hæc nostræ maiestatis donatio stabilis, & ab omnibus inconvulsa iugi permaneat æuo, hanc nostræ auctoritatis chartam inde scriptam propria manus subscriptione confirmauimus, sigillique nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domni Heinrici quarti Romanorum Imperatoris invictissimi.

Bruno Cancellarius recognouit.

Data VI. *Idus. Martij, Indictione* VII. *Anno Dominicæ Incarnationis* M. C. XIIII. *Regnante Heinrico quinto Rege Romanorum anno* XIIII. *Imperante* III. *Actum est Basileæ. In Christo feliciter. Amen.*

A. D. N. CIↃ. C. XV.

Hac latâ sententiâ, neque sic tamen quidquam GERO ab Suitijs obtinere potuit. Ipsi vt firmiores essent, fœdus cum Vranijs, & Siluanijs vicinis suis tuēdam ob libertatem, & fines in annos decem feriere. Anno millesimo, centesimo, quinto & decimo non paucis defectionem propter anathema meditantibus, nonnullis quoque iam rebellantibus, Heinricus Cæsar Imper. ex amicorum persuasione, partim omnium fermè querellis curiam Maguntiaci generalem habuit, in qua omnibus audientiam vulgo præbuit, ad crimina, aut delicta satisfactionem, emendationemque promisit. Sed cùm neque sic tutum se satis, & gratiosum intelligeret, declinandæ malevolentiæ, in Italiam, anno sequenti, transijt. Mantuam progressus legatum ad Paschalem pontificem de componendis regni, & pontificatus discordijs, misit, causasque interea prouincialium cognoscere instituit. Paschalis cōcilium in Laterano ad Nonas Martias indixerat, quo diuersarum regionum principes, & Episcopi confluxerunt.

A. D. N. CIↃ. CXVI.

In eo

In eo cum de priuilegio anteà Heinrico dato, alijs alia censentibus, referret admonitus, ita verba fecit. *Postquam Dominus in manus me tradidit regis, videbam quotidie fieri rapinas, incendia, cædes, adulteria, eaque ab Ecclesia* DEI *auertere cupiebam: Itaq; quæ Heinrico tribui, pro liberando* DEI *populo tribui, fateorque perperam me fecisse, rogoque vos omnes vt precibus à* DEO *mihi veniam impetretis. Iniquum priuilegium, quod in castris Heinrici scripsi, tamquam irritum perpetuo anathemate damno, hortorque vos omnes vt idem faciatis.* Cum vniuersi adclamassent, *vti rogas*, tum Bruno Signinus episcopus *Gratias*, inquit, *DEO agamus, quod pontificem Paschalem huic consilio præsidentem proprio tandem ore scriptum illud audiuimus condamnantem, quod prauitatem, & hæresin continebat.* Heinrici dehinc excommunicatio per Germaniam Prænestino episcopo commandata, Archiepiscopo Viennensi per Galliam. Interea, toto Imperio, sed maximè in Germania, Imperatore absente, per partes omnia vastabantur, arces aliæ, & propugnacula euertebantur, aliæ ædificabantur. Tertio Nonas Ianuarias anni millesimi, centesimi decimi septimi terræ motus inauditus Germaniam, Italiam, Galliam incredibili horrore perculsit, ædificia, opida integra, ingenti mortalium strage, funditus euertit. Tertio item kal. Februarij insequentis tremenda tonitrua, quæ nulla meminerat ætas, creberrimâ grandine missâ, exaudita. Decimo tertio kal. Martias nubes sanguineæ ab aquilone in Austrum agitatæ: toto verò anno ea prodigia cælo, terraque visa, & audita, quæ omnium mortalium animis extremum vniuersitatis finem demonstrare, adprobareque videbantur. His perturbatus Imp. Heinricus veniæ obtinendæ caussâ ad pontificem legauit, qui cum non à se, sed ab præcedentibus Ecclesiæ præsidibus damnatum respondisset, contracto proinde tantum cõsilio posse absolui, rebus diffidens vim spectauit, Romamq;, & pleraq; Ecclesiæ opida occupauit, rursumq; se in Vrbe, quia in Apuliam concesserat Paschalis, ab nõnullis Cardinalibus voluit coronari, postea in Marcam Taurisianam tumultuantem se contulit.

A. D. N. CIↃ. C. XVII.

Anni se-

A. D. N. CIↃ. C. XVIII.

Anni sequẽtis primordium morte Paſcalis pontificis illuſtre fuit. In eius locum lectus Gelaſius II. monachus Caſſinas S. Rom. Eccleſ. Diaconorũ Cardd. primus, vir ſanctiſſimus, volente quoque, & adprobãte Imperatore. Sed cùm is ſe quoq; ab eius cõmunione ſubduxiſſet, confeſtim in Vrbem aduolauit, eaq;, Frangepanum ope, occupatâ, Gelaſium expulit, Mauriciumq; Bracarenſem archiepiſcopum, Burdinum vulgo nominatũ, Pontificem ſalutauit, qui ſe Gregorium VIII. Gelaſius Capuam profectus, adſcitis in auxilium, & conſilium omnibus Apuliæ primoribus, conuentum omnium, quos cogere potuit, epiſcoporum habuit, & grauiſſimo decreto Heinricum, & Mauritium condamnauit, deinde cum ſibi nihil in Vrbe tutum, pauca in Italia reliqua animaduerteret, in Burgundiam profectus Viennam concilium indixit. Heinricus, vti antea, quæcumq; pontificia erant, armis, & vaſtitie peruaſit, cuncta in hoſtilem modum diripuit. Anno milleſimo, centeſimo, decimo nono ineunte, Gelaſius cõcilium Viennæ celebrauit, & paucis poſt diebus, quarto ſcilicet kal. Febr. graui lateris dolore conſumtus eſt. Cardinales, & epiſcopi, qui aderant, Guidonem etiam noſtri ordinis primo monachum, & eo tempore archiepiſcopum Viennẽſem, & Apoſtolicæ Sedis legatum trans alpes pontificem creariũt, Calliſtumq; II dixerunt, pridie kal. Febr. Stephani Burgundiæ Comitis fratrẽ, bene de DEO, bene de hominibus meritum. Cuno Prænestinus epiſcopus, quem Gelaſius in Germaniam expedierat, interea Coloniæ, & Fritislariæ Synodo congregatâ, Heinrici excommunionem promulgauit. Principes regni cum Virtzburgum comitia indixiſſent, Heinricum ad cauſſam dicẽdam vocarunt, haut obſcurè denunciantes, niſi veniſſet, regno ſpoliaturos. Ita, relictis in Italia vxore, & copijs, inſperatum ſe Heinricus principibus exhibuit, conuentumq; ante diem XIII. Kal Nouembres apud Tribuarias habuit, ſeque omnium, quæ obijcerentur, rationem redditurũ promiſit. Conuentu exacto, pleroſque, qui facultatibus exciderant, in poſſeſſiones antiquas remiſit, per vim ſpoliatos in integrum reſtituit, conuẽtuique, aut potius concilio Rhe-

A. D. N. CIↃ. C. XIX.

menſi ad-

mensi adfuturum promisit. Vbi cum inter cetera Callistus præses, vti sacerdotiorum collationi renunciaret, monuisset, se Principum, dato spacio, vsurũ consilio respondit. Hoc modo, infectâ pace, Callistus prædecessorum suorũ decreta super ea re facta probauit, renouauitq; : Sacerdotes, diaconos, subdiaconos, vt antea sæpius alij pontifices, concubinas habere vetuit : qui pro baptismo, & sepultura pecuniam exegissent, condamnauit. Indeq; ingenti gloriâ Romam repetiuit. Ceterum cùm adhuc in Gallia versaretur ad eum Cunradus à Sedelbure Baro agri Tigurini accessit, pontificemque summis precibus rogauit, vt illud quod apud Siluanios eodem tempore condiderat virũm ordinis nostri monasterium in suam, & pontificiæ sedis protectionem susciperet. Annuit Callistus pontifex, & non modo quæ petierat Baro promisit, concessitque, sed monasterio nomen quoq; indidit, & Montem Angelorum nuncupauit, quod in eo monte Angelorum concentus auditus esset, cum alias mons Gallinarum, vulgo Hennenberg, vocaretur. Monasterij eiusdem, & templi facta, hoc anno, in honorem DEIPARÆ MATRIS dedicatio Kal. Aprilis, Primus abbas B. Adelhelmus fuit, haut dubiè nostro ex Monasterio sumtus, & accersitus. Adelhelmi enim frequenter nostræ ephemerides meminere. Is postremo auctor Cunrado fundatori fuit, vt, relictâ seculari militiâ, in qua tot annis præstiterat, clarueratque sacram indueret, relligionemq; profiteretur. Egit in ea Cunradus quidquid vitæ superfuit, magnâ sanctitatis reliquos inter monachos famâ. Anno millesimo, centesimo vicesimo Imperator exercitum in Galliam duxit, sollicitatu quidem Angliæ regis soceri, sed maximè Rhemis ob habitum inibi cõcilium infensus. Cum tamen Gallorum aduentum, & copias audisset, sine mora, aut graui incommodo, in Germaniam redijt. Anno mox sequenti, Maguntiaci exscidium, nisi ab rebellione recederẽt, interminatus, cædibus continuis, annonæ inopiâ, credo etiã regum superiorum exitu motus, eo adduxit animum vt pro concordia stabilienda omnium episcoporum, & principum cõuentum Herbipolim indiceret ad proximum diem festum

A.D.N. CIↃ. C. XX.

A.D.N. CIↃ. C. XXI.

Michaëlis Archangeli. Vbi cùm, præsentibus legatis pontificijs, duodecim vtriusq; ordinis primoribus cõtrouersa decidenda permisisset, in eam itum est sententiam, vt regalia, vel fiscalia regno, Ecclesiastica Ecclesijs, prædia, & beneficia legitimis possessoribus, hereditates heredib', & cuiusuis conditionis personis sua vti exæquo, & bono restituta, sub vitæ periculo inviolatè relinquantur. Missi Romam legati archiepiscopus Treuerensis, & abbas Fuldensis, qui & horũ confirmationem, & anathematis exsolutionem obtinerent. Ad horum, anno sequenti, ab vrbe reditũ, quibus pontifex Lambertum Ostiensem legatum à latere addiderat, Comitia Vormatiæ ante diem x. Kal. Nouembres agitata. Ibi cum aliquamdiu, diuersis inter principes de concordia esset certatũ sententijs, nec finis esse videretur, tum Heinricus Imp. *Quid tantopere*, inquit, *de re nõ necessaria concertatis, cum ego paratus sim auctoritati sanctæ vtique Ecclesiæ obedire, ac liberè id, quod concordiam distinet, ius sacerdotiorum remittere, quæquè aut à me, aut à patre meo Ecclesiæ ablata opida sunt, restituere*? Hæc magno adplausu, & laudibus excepta, vt in sententia permaneret omnes exhortati sunt. Mox igitur ipse cum toto exercitu in communionem Ecclesiæ, fidemq́ue receptus, jus episcoporum, abbatumq́; instituendorum, quod numquam relinquere statuerat, in manus Ostiensis, maximâ humilitate, tabulis perpetuò valituris ad id confectis, dimisit, pacemq́ue, & tranquillitatem toties optatam Callisto, Ecclesiæq́ue, & Imperio restituit. Hæc à me paullò fusius, vt & quorumdam, qui secuti sunt, Imperatorum gesta, quia & his dissidijs nostri temporis exemplo, & documento esse possunt, Romanam illam Petram, magnis quandoq; fluctibus premi, nunquam opprimi: quiq́; omnibus opibus eam demoliri, & euertere conati essent, ab illa præcipitatos, & miseris, quamuis non indignis, modis, vitam, conatumque finisse, aut tot tempestatum, malorumq;, quæ ipsos, ea de causa, exagitarunt, hunc ipsum eumdem vnum portum, hac denique in Petra sola tranquillitatem, & salutem reperisse. Callixtus pontifex, eo quo diximus modo, rebus pacatis, Gregorium

A.D. N. CIↃ. C. XXII.

gorium pseudopontificem nactus, cum satis Romani ludibrio habuissent, Cauensi prope Salernum monasterio inclusit. Eodem hoc anno, cùm multâ æquitate GERO monasterium ad extremam ætatem per tot Imperij discidia, & turbas administrasset, egregiaque eiusdem iura, & priuilegia fortitudine propugnasset, magno sui desiderio III. Nonas Februarias exstinctus est. Erat Ludouici Froburgi Comitis frater, quod castrum Iurasso in ipso supra Oltam opidum, ditionis nunc Salodorensis, jacet, antiquissimæ, & nobilissimæ familiæ sedes. Multa eius ædificamenta fuere quorum notitiam ætas, & crebra incendia aboleuerunt. Remanet pons tamen Sillæ amnis. Ipsum ex difficultate positionis, aut situs ingenio, siue operis præstantia facit, pontẽ dæmonis veteres dixerunt, retinetq; nomen structurâ sanè admirabili, & magni cuiusque Principis dignâ. Instituit etiam confederationem, & diuinorum officiorum communionem cum Hugone abbate, & monasterio Gengenbacensi in Ortnouia sito. Eius rei testimonium in peruetusto eiusdem Gengenbacẽsis monasterij martyrologio. Quod ad me perlatum beneficio, & humanitate R. P. Friderici Pergameni ibidem Prioris viri doctissimi, & mihi amicissimi hîc adponere pretium duxi. *Omnibus hic, regulari tramite, DEO militaturis hoc scripto notificamus, quod Dominus* GERO *Abbas Cellæ S.* MEGINRADI *huc deueniens, ab abbate Hugone, suisque est honorificè susceptus, & benignè tractatus. Deinde vt mutuæ caritatis glutino perpetim vtriusq; loci tam præsentes, quam futuri fratres indiuisibiliter cohærerent, vtrisque abbatibus, cum sibi subiectis, conuenit, vt plenariam fraternitatis societatem, quæ vtrimq; pene consimilis probatur, sibi vicissim traderent, scilicet vt cuilibet fratri vitam morte commutanti à presbytero triginta missæ, ab aliis decem psalteria debeãt decantari. Itaque ne quisquam deses suimet ignauiam ignorantiâ possit excusare, statutum est in vtroq; loco, hæc eadem literis mandare.* Ab GERONIS obitu præsidere iussus Vernerus I. ex Comitibus Lentzburgi.



VERNERVS I. EX COMITIBVS LENTZBVRGI ABBAS HEREMI VNDECIMVS.

PVBLICA bella, maximè externa, aliquatenus conquierant, ciuilia post ea Germaniam excepere, neque ea iustis copijs, sed per prædationes, & leues pugnas, maximè equitum, qui superiori tempore inter factiones, & dissensiones licentiam, & insolentiam nacti, longè, lateque grassabantur, arces, & loca tutiora pro munimentis occupantes, postremo & diuisis inter se prouincijs, tamquam rerum, & Imperij arbitri plurima fæda facinora vndiquaque patrabant. Anno mille-

A. D. N. CIↃ. C. XXIV.

simo cẽtesimo, vicesimo quarto, defuncto Callixto creatus

pontifex

pontifex Honorius 11. Condiderunt hoc tempore Comites Thiersteinenses, & Sogerenses, monte Iurasso monasterium S. Vincentij, vulgo Beinviler nuncupatum, petieruntq; tamquam in coloniam ab Heremo monachos. Id monasterium multos per annos clarum, & opulentum, Bello Sueuico postremo, quia Salodorensium jurisdictionis est, Cæsariani diripuerunt, incenderuntque, jacuitq; ab eo tempore per annos supra octoginta in vastitate, & ruinis, donec nostrâ memoriâ Salodorēses ijdem auctore, & instigatore præcipuo Ioanne Iacobo à Stabulo nobili, & equestris ordinis viro, egregiæque eruditionis tandem restituerunt, monachosque iterum ex nostratibus postularunt. Missus tamquam præses, & instaurator M. Volfgangus Spies, eiusdem nostri monasterij professus, raræ virtutis, & doctrinæ. Additi exsequendis diuinis officijs aliquot præterea socij. Anni millesimi, centesimi vicesimi quinti natalitia Heinricus Argentinæ celebrauit, magnumque ibidem conuentum superioris Germaniæ, Burgūdiæ, Rheni, & Lotharingiæ principum celebrauit. Ibidem monasterium Montis Angelorum, petente id Cunrado conditore, in suam protectionem suscepit v. Kal. Ianuarij. Loca quæ eo tempore ad monasterium pertinebant, siue ex fundatoris donatione, aut alio modo comparata nominantur eodem in priuilegio, Buchs, Stannes, Birrols, Suites, Chamo, Spreitenbach, Vrdorff, Saltosvvilere, Salenburen, Salinchouen, Bonstetten, Asche, Starchelsvvilere. Inde ad comprimendos Belgas rebelles Imperator tetendit. Sæuiebat per eam tempestatem pestilentia, & humano vsui alimenta necessaria adeò defecerant, vt tertiam hominum partem quà fame, quà contagio perijsse periti crediderint, notarintque; nonnullis locis, qui mortuos curarent, viui defuere. Anni sequentis pascalem festiuitatem Heinricus Leodici confecit. Aquisgranum inde vectus dracumculj morbo, quo attentari solebat, grauius adfici cæpit. Vnde Traiectum cum se transtulisset, x v. kal. Iunij, absque prole, decessit. Principes cùm Vormatiæ comitia Imperatoria habuissent, plerique Lotharium Gebhardi

A. D. N. CIↃ. C. XXV.

A. D. N. CIↃ. CXXVI.

F. Saxoniæ ducem, regem Romanorum, nominarunt, atque eidibus Septembris Aquis grani coronandum curarunt. Vnde primum eum sui regni annum numerauit, competitoribus Conrado Franconiæ duce, Heinrici Imper. defuncti ex sorore nepote, Leopoldo Marchione Austriæ, & Carolo comite Flandriæ. Ceteri breui in ordinē redacti, grauior aduersus Cunradum, & fratrem eius Fridericū Sueuiæ ducem contentio fuit, quos tamen Lotharius, auctoritate maximè, & interuētu D. Bernardi claræ vallis abbatis cōuentu Bambergensi, in gratiam sæpius victos recepit. Anno millesimo, cēteſimo, vicesimo septimo obijt Vldaricus episcopus Cōstantiensis antistes magnæ, & claræ virtutis, & quādiu apud mortales egit, auctoritatis. Condidit ex suo patrimonio monasteriū Creutzlingæ Cōstantiæ in subvrbano. In eius locum adscitus ex Monasterio S. Blasij Vlricus II. qui annos XIII. præsedit episcopatui.

A. D. N. CIↃ. C. XXVII.

A. D. N. CIↃ. C. XXIIX.

Anno millesimo, cēteſimo, vicesimo octauo desijt esse Berchtoldus Curiæ episcopus. In eius Cathedram vocatus ex Heremo Vldaricus ex Comitibus Kiburgi. Fuerat primo Præpositus Beronensis. Relictâ mox Præpositurâ, in nostram Heremum se abdiderat. Inde rursum extractus per virtutis cōmendationem Curiæ episcopatum nobiliter rexit annos nouem. Priuilegia, & Regalia ab Lothario accepit regni eius anno quarto. Monasterium S. Montis, prope Vitodurum, sua ex hæreditate, & fratris Hermanni Kiburgi comitis ope, condidit, locupletauitque. Anno sequenti, obijt Vldaricus Comes Raperswillæ, Heremitarum, nomine ducum Sueuiæ, aduocatus. Reliquit filium vnicum Rudolfum etiam aduocatum. Anno triceſimo supra millesimum centesimū ineunte, Lutoldus baro Regensbergæ, Vernerum abbatem, & nonnullos cum eo Heremi monachos, multamque ex vicinia nobilitatem, in quibus præcipuè Vlricus, & Arnoldus fratres Lentzburgi, & Badæ Comites exciuit, invitauitque ad prædium suum, & capellam, cui Vare est vocabulum, inter Badam, & Tigurum ad Limagum sitam, eamque, & quidquid illuc pertinere videbatur, voluntate, & consensu Iudinthæ vxoris, & filij Lutoldi Heremitis perpetuâ posses-

A. D. N. CIↃ. C. XXIX.

A. D. N. CIↃ. C. XXX.

sione ad-

sione adsignauit, priuilegijs, & conditionibus, quarum in monimentum, & testimonium has super edidere literas.

SICVT de reprobis scriptum est, vt deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur, & sint in æterna obliuione: Ita piorum nomina, & opera scribenda sunt, vt memoria eorum æternaliter floreſcat in benedictione. Vnde in nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, literis commendare curauimus, vt ad exemplum pietatis notum sit Christi fidelibus tam futuris, quàm præsentibus: Quod & Lutoldus laicus de Regensperg & eius pia Coniunx Iudenta cum filio eorum Lutoldo, pro remedio animarum suarum, & omnium parentum suorum, suæ proprietatis prædium, quod dicitur Vahre, cum Capella ibidem constituta, & cum omnibus ad eundem locum pertinentibus, scilicet, agris, pratis, ædificiis, mancipiis vtriusque sexus, molendinis, siluis, pascuis, lignis, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, exitibus, & reditibus, cultis, & incultis, vinetis, quæsitis, & inquirendis, DEO, & sanctæ eius MATRI MARIÆ, & sancto Mauritio; & sancto MEGINRADO deuotè & legitimè dederunt ad Cellam Einsydel nuncupatam. Ita scilicet vt huius Heremiticæ Cellæ Abbas VVernherus & omnes successores sui cum fratribus suis eundem locum liberè, potestatiuè perpetualiter possideant, & seruitium DEI ibidem instituere, sicuti DEO rationem reddituri sint, studiose contendant. Ante publicam quippe, & legitimam donationem prædicti amatores Christi, annuente Abbate, cum fratribus petitionem fecerunt sub testimonio fidei, & diuinæ recognitionis Cellam ibidem constrúi, & regulare Clausstrum religiosis fœminis monasticæ professionis secundum Regulam scilicet, & Ordinem Sanctimonialium in Murensi, vel Beraugensi Cœnobio DEO seruientium: Et eis tot, & tales Monachos præponi, qui sciant illis & præesse, & prodesse, ad salutem, & necessitatẽ tam animarum, quàm corporum. Petierunt etiam vt ipse Lutoldus & post eum filius eius Lutoldus super eundem locum, & super omnia illuc data, vel danda, eius defensioni

apta aduocatia, Abbate concedente, habeat, & post eos in eorum genere quicunque maior natu Castellum Regensberg hereditario iure possideat, eâ tamen conditione, vt pro labore defensionis non temporale commodum, sed æternum DEI præmium, & remissionem speret peccatorum. Nec in rebus, vel familia Monasterij propriâ exerceat potestate, sed iusto iudicio æquè disponat omnia ad loci vtilitatem & Abbatis, fratrumque suorum voluntatem. Quod si aliter (quod absit) fecerit, oblitâ hac salubri conditione, admonitus semel, bis, & ter, si post inducias sex hebdomadarum non emendauerit, prædicto honore priuetur, absque omnium contradictione, aliusque eiusdem generis maior natu loco suo subrogetur, simili conuentione. Si autem, quod potest fieri, aliqua prædia Aduocati defensioni minus apta donentur, in Abbatis sit prouidentia, cui hæc commendentur. Dederunt etiam omni familiæ suæ hoc libertatis priuilegium, vt si vir, aut etiam mulier voluerit, liberè donet ad eundem locum, si aliquod habuerint proprietatis prædium. Similiter etiam de transitoria substantia, vt cuique placuerit, pro suæ largitatis abundantia. Hoc religionis, & diuini seruitij priuilegium, si quis infœlix infringere, vel irritum facere aliquâ arte studuerit, nisi, miserante DEO, resipuerit, inter maledictos maledictus erit. Quisquis autem amator veritatis hoc Testamentum confirmauerit verbo, vel opere, studio charitatis in libro vitæ cælestis conscribatur, & inter benedictos benedicatur. Hæc omnia, diuinâ fauente clementiâ, peracta sunt in ipso loco Uahre, in præsentia Domini VVernheri Abbatis, fratrumque suorum, & Vdalrici Comitis de Baden, in cuius Comitatu idem locus situs est, Anno Dominicæ incarnationis millesimo, centesimo, tricesimo, Indictione octauâ, XI. Kalend. Februarij, regnante Lothario Rege Francorum invictissimo. His omnibus interfuerunt Arnold de Baden, Chuono de Buren, & filius eius Lutold, Otto de Regensberg, Heinrich de Hinnuillere & frater eius Rudolphus, Amzo de VVaningen & filius eius Burckhard, Ruoprecht de VVaningen, VVerinhere de Altburen, Iunno de Buochumnaso, & filius eius VValdfrid, Adel-

frid, Adelbrecht de Gutolsuuilere, Chuno de Hemsca, Vualther de Vvadinsuuilere, & fratres eius Eberhart, & Burckhart, Rudolff de Bonbinsolo, &c.

Et inde sanctimonialium monasterium ibidem Vernerus abbas condere cæpit. Præposituram Varæ modo nominant, quia eo ab Heremo mittitur Præpositus. Decimo quarto kal. Martij consequentis creatus pontifex post Honorium II. Innocentius II. Lotharius verò anno sequenti Basileæ principum, & episcoporum, eius præcipue tractus conuentum celebrauit. Ibidem Canonicorum Tigurinorum priuilegia confirmauit, legendiquè Præpositi potestatem fecit. Hoc eodem ipso tempore, nempe XXV. Februarij huius anni, obijt B. Adelhelmus primus Monasterij Montis Angelorum, de quo supra diximus, abbas, vir haut dubiè nostro ordine, nostraque, vnde processerat, Heremo dignissimus. Meritorum veluti præmia, teste, & auctore venerandâ antiquitate, per plura Dominus miracula apud eius sepulcrum facta, non obscure manifestauit. Successerunt quidem tres nomine, imò & potestate abbates Luitfridus, Vvelfo, & Hesso, sed qui præter nomen aliud nihil præ se ferrent, dilapidatores monasterij, & omnis disciplinæ profligatores. Igitur ex nostro iterum monasterio accersitus Frouuinus, damnatâ trium illorum memoriâ, secundus abbas omnibus eiusdem monasterij monimentis habitus est. Et profecto talem se præbuit. Vir integerrimæ conuersationis, religiosissimus, sapientissimus. Quantâ vero in omni studiorum genere doctrinâ fuerit, ostendunt adhuc eius, quæ apud nos, quæque apud Angelomontanos supersunt manu scripta monimenta. Neque vero ipse solum multa volumina composuit, sed vt multo plura ab alijs composita scriberentur auctor extitit. Apud nos profecto volumen de libero arbitrio in libros septem distributum quouis precio contrà merito æstimamus. Sed neque literis ita se tamen abdidit, vt monasterij, ad quod regendum vocatus erat, ad ministrationem, & curam intermitteret. Multa in eo, & ampla ædificia ex-

A. D. N. CIↃ. C.XXXI.

ſtruxit. Totum verò monaſterium, quod late ſe extẽdebat, vt adhuc oſtendunt rudera, altiſſimo muro circumdedit. In vtroque, & re familiari, & amore literarum, quod hautquaquam in vno facile ſimul reperias, magnum ſe, & admirabilem exhibuit. At vero Innocentius mox Petri Leonis, qui Anacletum ſeipſum vocauerat, antipapæ factione Italiâ pulſus, in Gallia duo conſilia habuit, vnum per mẽſem Septembrem Clarimonte, vbi Anacletum, & eius fautores cõdamnauit, alterum Rhemis. Anno milleſimo, centeſimo, triceſimo ſecundo Innocentius pontifex, & Cæſar Lotharius Leodici conuentum celeberrimum agitarunt. Ibi cùm Eccleſiæ tutelam ſe Lotharius accepturum promiſiſſet, ſi conferendorum ſacerdotiorum ius pontifex dimitteret, graui D. Bernardi oratione, & auctoritate facilè ſententiâ, & petitione depulſus eſt. Igitur Innocentium ſe Romam reductu-

A. D. N. CIↃ. C. XXXII.

rum, ſi ab eo coronaretur, pollicitus, anno ſequenti, cum exercitu in Italiam tetendit, compulſisque in arces, & firmiora vrbis loca aduerſarijs, Imperatorijs inſignibus ab Innocentio in Laterano donatus eſt pridie Non. Iulij. Indeque æſtu, & hoſtium machinamentis coactus in Lombardiam, tum in Germaniam redijt. Anno milleſimo, centeſimo, tri-

A. D. N. CIↃ. C. XXXIII.

ceſimo quarto Innocentius concilium omnium Occidentis epiſcoporum, & antiſtitum habuit Piſis, multaque præclare inſtituit, ſapientiâ potiſſimum, & conſilio D. Bernardi. Anno milleſimo, centeſimo, triceſimo quinto Lotharius Imp. donationem Varæ ab Regẽsbergenſi factam, & eius conditiones ſuo diplomate ratas, & perpetuas habuit, multamque in id peccantibus fiſco regio, monaſterioque inſtituit. Eius diplomatis hoc eſt exemplum.

A. D. N. CIↃ. C. XXXIV.

A. D. N. CIↃ. C. XXXV.

IN nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Lotharius, diuinâ fauente clementiâ, Tertius Romanorum Imperator Auguſtus. Cùm omnibus debitores ſimus, tamen circa Eccleſias, & pauperes Chriſti, diligentiorem curam habere debemus, & ipſorum petitioni, & neceſsitati, piâ deuotione condeſcendere. Unde tam futuris, quàm præſentibus innoteſcere

volumus,

volumus: Quod Lutoldus de Regensberg, & ipsius Coniunx Iudẽta cum filio suo Lutoldo pro remedio animarum suarum, & parentum suorum, sua proprietatis prædium, quod dicitur Vahre, cum Capella ibi fundata, & cum omnibus eiusdem loci pertinentiis, scilicet, agris, pratis, ædificiis, mancipiis vtriusque sexus, molendinis, siluis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, exitibus, & reditibus, cultis, & incultis, vinetis, quæsitis, & inquirendis, DEO, & eius Matri MARIÆ, & sancto Mauritio, & S. MEGINRADO deuotè, & legitimè dederunt Cellæ Einsidelen nuncupatæ. Ita scilicet, vt huius Abbas VVernherus, & omnes successores sui cum fratribus suis eundem locum liberè, & potestatiuè perpetualiter possideant, & seruitium DEI ibidem instituere, sicuti DEO rationem reddituri sunt, studiosè contendant. Ad publicam quippe, & legitimam donationem prædicti amatores Christi, annuente Abbate cum fratribus, petitionem fecerunt sub testimonio fidei, & diuinæ recognitionis Cellam ibidem construi, & regulare Claustrum religiosis fœminis monasticæ professionis, in modum sanctimonialium Murensium, vel Peraugensium, & eis tot, & tales monachos præponi, qui sciant illis & præesse, & prodesse. Petierunt etiam vt ipse Lutoldus, & post eum filius eius super eumdem locum, & super omnia eiusdem loci data, vel dãda, eius possessioni apta, ad vocatiam, Abbate concedente, habeat, & post eos eiusdem generis maior natu, possessor tamen Castelli Regensberg, eâ tamẽ conditione, vt pro labore defensionis, non temporale commodum, sed æternum præmium, & remissionẽ speret peccatorum. Nec in rebus, vel familia Ecclesiæ iniustam exerceat potestatem, sed omnia ad vtilitatem fratrum, & Ecclesiæ deuotè disponat. Quòd si hac infregerit, semel, bis, & ter commonitus, si post inducias sex hebdomadarum non emendauerit, prædicto honore, & aduocatiâ priuetur, aliusque eiusdem generis maior natu huic substituatur, simili conuentione. Si autem aliqua ipsius defensione minus apta fuerint, in Abbatis arbitrio sit, cui ea commendentur. Hoc quoque idem Lutoldus familiæ suæ concessit, vt res propriæ tam mobiles, quàm immobiles

eiusdem

eiusdem Ecclesiæ offerre liceat, & in proprium dare. Hoc itaque præcipiendo confirmamus, interdicimus, vt nullus episcopus, Dux, Comes, Vicecomes, Aduocatus, nulla deniq; magna, paruaque persona hæc infringere audeat, sed absque omnium contradictione Abbas eundem locum instituat, & in seruitio DEI *ordinet. Si quis verò contra hoc (quod non credimus) præsumpserit, centum libras auri, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem præfatæ Ecclesiæ Einsydlensi componat. Quod vt inconvulsum, ratumque permaneat, præsentem paginam sigilli nostri impressione notauimus. Data Anno incarnationis Dominicæ, millesimo, centesimo, tricesimo quinto,* V I. *Idus Iulij, Indictione decimâ quartâ, Anno Regni Regis Lotharij decimo, Imperij tertio.*

A. D. N. CIↃ. C.XXXVI.

Anno sequenti, Richensæ Augustæ fauore, & gratiâ, Vernerique abbatis petitione, & reuerentiâ, non solùm Heremi priuilegia antiqua Lotharius confirmauit, sed etiam aduocatis monasterij, quibus tenerētur, leges instituit, magno rei Heremitarum publicæ, priuatæque bono. Ea omnia in hunc modum concepta, & publicata.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Lotharius, diuinâ fauente clementiâ, tertius Romanorum Imperator Augustus Sicut pro instituendo diuino seruitio noua plantare, inchoare magna deuotionis indicium est, ita inchoata conseruare, & confirmare non minus salutiferum est, & omnino hoc attendere, & circa id intentam esse Imperialem decet magnificentiam. Proinde tam futurorum, quam præsentium nouerit industria, Qualiter magnæ religionis, & sanctitatis vir Vverinherus abbas, interuentu dilectæ consortis nostræ Richinzæ, hoc apud nos obtinuit, vt ea quæ ab antecessoribus nostris diuæ memoriæ Ottone maiore, annuente consorte suâ Adelheide, & à filio suo eiusdem nominis collata sunt Ecclesiæ Einsidelen nuncupatæ, nos approbaremus, & approbata, Imperiali auctoritate, confirmaremus. Cuius libertatem, debitâ deuotione, & adfectu amplectentes, hoc statuimus,

& iube-

& iubemus, vt eiusdem loci aduocatus super officialem, & familiam, quæ infra immunitatem cottidie seruire debet ad vsus fratrum, nullam habeat potestatem, nisi prout abbas voluerit, & petierit. Exterius vero ab omni exactione non minus coercemus eum: Præcipientes vt cum clero nihil: cum ministerialibus vero, & familia eiusdem, quæ foris est, non nisi ex iudicio agat, & quod iudicio acquisierit, abbati quod suum est inde tribuat. Cum censualibus etiam tam liberis, quam capitalibus idem obseruet, vt nihil cum ipsis contra iustitiam agat: Et in his omnibus abbati suum debitum recognoscat. Secundarios etiam aduocatos, immo exactores omnino interdicimus. Hæc itaque Imperiali auctoritate nostrâ amplectentes, & cunfirmantes, Præcipiendo iubemus, vt nullus Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla denique magna, paruaque persona, in his concessis, præfatam Ecclesiam infestare, vel concutere audeat. Si quis vero, quod non credimus, contra hoc præsumpserit, centum libras auri, medietatem cameræ nostræ, & medietatem sæpius dictæ componat Ecclesiæ. Quod vt verius credatur, & ab omnibus diligentius custodiatur, præsentis decreti chartam sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domni Lotharij tertij Imperatoris invictissimi.

Ego Berchtoldus, vice Alberti Archicancellarij recognoui.

Data, Anno Incarnationis Dominicæ M. C. XXXVI. *Idus Iulij, Indictione* XIII. *Anno vero regni Regis Lotharij* XI. *Imperij* III. *Actum apud Lutteram. In Christi nomine feliciter. Amen.*

Monasteriorum, & Canonicarum, sicuti & episcopatuum aduocati id antiquitus præcipuè muneris sumebant, vt non modo ab omni injuria eos defenderent, sed eorum etiam ab hominibus, possessionibus, priuilegijs, jureque, & jurisdictione vim prohiberent, familiam Ecclesiæ (ita

vocabant Monasterijs annexos, & subditos) regerent, jus dicerent, de controuersis cognoscerent, alia politica exercerent, ne, qui rerum cælestium desiderio, & vitæ solitariæ cupidine terrena, & sæcularia reliquerant, rursum per eorum tractationem abstraherent animos, & veluti contagio contaminarent. Sed haut pauci sæpius, hoc defensionis munus in tyrannidem vertebant, quosq; tueri debebant per summum facinus opprimebant, lacerabantq;. Aduersus eos æquissimi, & fortissimi Imperatoris edictum. Qui rursus frequentibus Innocentij literis, & legationibus fatigatus, multo instructiore exercitu, primo auctumno, Italiam ingressus Regium vsq; omnia ad obsequium coëgit, Rauennæq; hibernis exactis, Romã, anno sequenti, profectus Anacletum, & Rogerium; ceterosq; Innocentij aduersarios totâ Italiá expulit, rebusq; præclarè gestis cum Germaniam attigisset, morbo repẽtino oppressus, in Bauaria pridie kal. Octobres, ingenti sui desiderio relicto, exstinctus est, iustitiâ, & pietate, fortitudineque nulli veterum secundus. Hoc eodem anno dedit Vldaricus Comes Lentzburgi, dictus de Bada, instrumentum Monasterio Heremitarum pro Varæ Præpositura, quo fatetur illam eamdem Præposituram sitam esse suo in Comitatu Badæ, & pertinere omni proprietate ad Heremitas. Anno millesimo, centesimo, tricesimo octauo, cum jam menses aliquot, post Lotharij obitum, transissent absque Cæsare, ad proximam pentecosten comitia Imperialia Maguntiacum Principes indixere. Ad ea Heinricus Bauariæ, & Saxoniæ dux Lotharij gener, penes quem is Imperij insignia moriens reliquerat, multâ pompâ, & comitatu, tamquam Imperij securus, aut si invidia legentium, vel fortuna invidissent, vim additurus, maturè iter vertit. Non fefellit reliquos electores, proceresque eius potentia, & ambitus. Quamobrem multo prius quam comitiorum dies adluxisset, apud Confluẽtiam Rheni pleriq; conuenere, vnanimiq; consensu Cunradum Franconiæ ducem, quia jam antè cũ Lothario in electione fuerat, Cæsarem kal. Aprilis nominauere, Aquisgranumq; perductũ viii. idus eius-

A.D N. CIↃ. C. XXXVII.

A. D. N. CIↃ. C. XXXVIII.

dem men-

dem mensis coronauerunt, eo nomine III. quamuis diplomatis se secundum nominarit, primo Cunrado, quia Italiam non habuerat, omisso. Hæc vbi ad Heinricum Bauarum, & Cunradum Zeringiæ ducem, aliosque, qui electione abfuerant, perlata sunt, tamquam illegitimum, nec communi principum conuentu designatum repudiauere. Turbare hinc singuli, & bello omnia quati. Cæsar contra Bauaros: Fridericus eius ex fratre Friderico Allemanniæ duce nepos, in Zeringum duxit, breuique debellauit. Namque, anno sequenti, Tigurum eius vrbem inopinato circumvenit, & paucis diebus in potestatem redegit, præsidium imposuit, Zeringum totâ præfecturâ Tigurinâ depulit. In Brisiacos, traductis copijs, Zeringam arcem situ, & munimentis inexpugnabilem iudicatam, paullò post præter omnium opinionem expugnauit, Cunradumque Zeringum eo adegit, vt ad patruum Cæsarem, & Fridericum patrem confugerit, & ab ijs gratiam impetrarit. Domito Zeringo, & compositis superioris Germaniæ vtcumque rebus, quo certior, & paratior in Bauaros Cæsar properaret, conuentum multorum principum Argentorati egit, exeunte Maio. Illic agitantem Vernherus abbas cum honesto comitatu conuenit, vtquè sui Monasterij priuilegijs suam auctoritatem adderet, principum qui aderant adstipulante consilio, obtinuit. Decreti hæc est forma.

A. D. N. CIↃ. C. XXXIX.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Cunradus, diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Rex secundus. Si reliquorum virorum dignis, & iustis petitionibus benigne acquieſcimus: Si illorum vtilitati paterne consulimus: si iura, & libertatem Ecclesiis DEI *antiquitus collatam renouandam conseruamus, & confirmamus anteceſſorum nostrorum Regum, siue Imperatorum exemplo; tenemus & id nobis ad præsentis vitæ feliciter cursum peragendum; & ad æternam vitam promerendã nobis profuturum nõ dubitamus.*

Igitur in monasterio sanctæ DEI genitricis, & virginis MARIÆ, & sancti MEGINRADI, Mauritij quoque, sociorumque eius, quod Solitarium vocatur, Theutonicè Einsydelen, Vverinharius eiusdem loci venerabilis abbas, fratresque eius ibidem habitantes nos adierunt: Qui quidem non de nostris aliqua metere; sed aliorum messe collecta, nostro patrocinio, obtinere petierunt, Videlicet vt consolationes, quas de multis siue in prædiis, siue in aliis quibuscumque mundi substantiæ speciebus, vel acceperant, vel accepturi sunt nostri chirographi testimonio, perpetuâ libertate, possideant. Quorum petitionem, quia iusta videbatur, fieri adiudicauimus. Ergo astipulatione præsentium regni Principum, videlicet archiepiscoporum Alberonis Treuirensis archiepiscopi, & Apostolicæ sedis legati, Bisuntinensis archiepiscopi, Stephani Methensis episcopi, Alberonis Leodiensis episcopi, Orthlibi Basilienſis episcopi, Bucconis Vuormatiensis episcopi, Embrichonis Vvirceburgensis episcopi, Vuarneri Monasterienſis episcopi, Friderici Ducis, Cunradi Ducis, Matthæi Ducis, Herimanni Marchionis, Berchtolfi Comitis, Friderici Comitis, ceterorumquè fidelium nostrorum, prædicto abbati, eiusque fratribus de Einsydelen libertatem antiquitus concessam, modò autem petitam, renouando, & innouando confirmamus, Vt nullus successorum nostrorum de aliqua substantia eorum possessa, vel possidenda, prædiis datis, vel dandis, Cellis constructis, vel construendis se intromittat. Nominatim autem Regiâ auctoritate interdicimus, vt nulla secularis potestas, Dux, vel Marchio, Comes, aut Vicecomes, aduocatus, aut subaduocatus, aliquam in eadem abbatia iniustam, vel violentam exerceat potestatem, Sed tota eiusdem Ecclesiæ familia intus, & exterius, specialiter autem illi ministeriales Ecclesiæ, qui abbati, fratribusque cottidiano seruitio assistunt, quadam familiaritatis libertate, de omni foris facto abbati tantum respondeant. Post obitum vero abbatis eiusdem Ecclesiæ ipsi fratres tantummodo de suo collegio alium sibi eligendi habeant libertatem. Vt autem nostræ renouationis, &

confirma-

confirmationis auctoritas ſtabilis permaneat, hanc inde chartam ſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri. Si quis autem, quod abſit, hanc præcepti noſtri paginam violauerit, XL. *libras auri puriſſimi componat, quarum dimidiam partem ad fiſcum regis: reliquam vero prædictæ Eccleſiæ perſoluat.*

Signum Domni Cunradi Romanorum regis ſecundi.

Ego Arnoldus Cancellarius, vice Alberti archicancellarij recognoui.

Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXXVIIII. *Indictione* II. V. *Kal. Iunij, Regnante Cunrado Romanorum rege ſecundo. Anno verò regni eius* II. *Data Argentinæ. In Chriſto feliciter. Amen.*

Innocentius, eodem tempore, concilium in Laterano mille prope patrum habuit, in quo multa ſalubria decreta; Anacleti fautores omnes damnati, ordinationes ab eo factę, aut ab ijs, quos ille ordinauerat, abolitæ. Certamina, ſiue duella, quæ tornamenta vocant, in quibus per prouocationem, certo non modo corporum, ſed animarum quoq; exitio pugnatur, interdicta. Arnoldus Brixianus qui clericos nihil proprij, neque epiſcopos regalia, neque monachos poſſeſſiones habere debere, omnia principum eſſe, atque ab eorum benignitate in vſum tantummodo laicorum ſuppeditari; decimas, & oblationes Eccleſiaſticis, & religioſis ſufficere jactitabat, tamquam hæreticus, Italiâ cedere iuſſus. Antiquus præſentium hæreſium prodromus. At is Tigurum conceſſit, vbi eamdem cantilenam cecinit, neque auditoribus caruit, Gunthero nobili poëta teſte. Eodem hoc anno, obijt Fridericus II. Vnoculus Allemanniæ dux, Cunradi Cæſaris frater. Is ducatum Friderico nepoti tradidit, qui præfuit annos tredecim. Anno milleſimo, centeſimo, quadrageſimo tandem omnes in Bauariam vires tra- *A. D. N. C Iↄ. C. XL.*

duxit. Guelfonem Heinrici fratrem apud Neresheim profligauit. Cunctis deinde copijs opidum, & arcem Vinsberg oppugnauit. Illa in obsidione moram trahenti supplicem libellum dedit Vernherus abbas, vt prædia quæ Eberhardus, & Iuta coniunx sita Riethæ, & Rumelangi monasterio suo donauerant, ea ipse suo diplomate rata haberet. Cæsar ita rescripsit.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Cunradus, diuinâ fauente clementiâ Romanorum Rex secundus. Æquitas iustitiæ, & regni auctoritas nos admonent omniũ quidem vtilitati prospicere, maxime vero fidelium Christi vota modis omnibus promouere, & adiuvare. Quapropter petitionibus Vvarneri venerabilis Abbatis, eiusque confratrum in cœnobio Heremitarum DEO *militantium annuentes, nostræ auctoritatis edicto confirmamus, & corroboramus prædia Rumlang, scilicet, & Rieta, quæ Euerhardus, eiusque vxor Iutta, videlicet, & filius eius Heinricus pro remedio animæ suæ iuste, & rationabiliter eidem Ecclesiæ contulerunt. Decernimus itaque vt præfata prædia prædictus Abbas, eiusque confratres perpetuo proprietatis iure possideant, & locandi, vendendi, commutandi, & aliis quibuslibet modis iustis, atque legitimis vtendi, & fruendi liberam de cetero habeant facultatem. Si qua autem persona temeraria huius decreti nostri statutum violauerit, conditionis suæ dignitate careat, & libras quinquaginta auri purissimi componat, quarũ partem dimidiam Cameræ nostræ: reliquam vero prænominato cœnobio persoluat. Huic autem nostræ confirmationi testes idoneos adhibuimus, quorum nomina hæc sunt, Theodeuuinus S. Rufinæ Episcopus Cardinalis, & Apostolicæ sedis legatus, Baldemarus Laurishaimensis Abbas, Hermannus Marchio, Albertus Comes, Poppo Comes, Vuerinherus Comes de Baden, Vldaricus de Lenziburch.*

Signum Domini Cunradi Romanorum Regis secundi.

Ego

Ego Arnoldus Cancellarius vice Alberti Moguntini Archicancellarij recognoui. Anno Dominicæ Incarntaionis, M. C. XL. *Indictione* III. XVII. *Kalen. Decembr. Regnante Cunrado Romanorum Rege* II. *Anno vero regni eius* III. *Actum est in obsidione castri Vuineberch. In Christo feliciter. Amen.*

Nec multo post ad extrema redacti Vinsbergenses deditionem fecerunt, feminis quæ humeris opido efferre possent permisso, ceteris ludibrio, & lubidini militis permissis. At illæ, egregiâ, & perpetuâ suâ, & Cæsaris ad posteros famâ, & gloriâ, viros humeris exceptos opido deportauere. Et Cæsar Fridericum Allemanniæ ducē obstrepentem, *mentionem virûm non habitam*, repressit, insigni temperamento, *Regium verbum haut in deterius verti conuenire* adserens. Post Vlrici obitum hoc anno Constantiæ episcopatum regere cæpit Hermannus ex Baronibus Arbonensibus. Anno millesimo, centesimo, quadragesimo primo, cùm fortè ad Heremum religionis caussâ veniisset Theodeuuinus Episcopus Portuensis, tit. S. Ruffinæ presbyter Cardinalis, & per Germaniam legatus Apostolicus rogatu, & precibus Vernheri, fratrumq; reliquorum dedicauit proximâ Dominicâ post Assumptionem DEIPARÆ, conditam a Regulinda Vfnouiæ ædem jam plurimis ante annis, vt supra vidimus, sed ab Vernhero auctam, & renouatam nomini, & honori sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, DEIPARÆ matris, S. Michaëlis archangeli, S S. Apostolorum Petri, & Pauli, quibus, ad petitionem eiusdem abbatis, & totius collegij, memoriam adiunxit beati Adalrici, qui, vt etiam supra memorauimus, in insula Vfnouia secesserat, ibique vitam finierat, non absque multis in vita, & post obitum miraculis, cui proinde etiam sacram primus Vernherus aram eâdem æde statuerat. Addidit Theoduuinus, quo magis mortalium animos ad pietatis studium, & loci eiusdem cultum, & veneration̄em accenderet, indulgentias ædem eamdem festis S S. Trinitatis, & prædictorum tutelarium visentibus peccatorum mortalium dierum

A. D. N. CIↃ. C. XLI.

septingentorum, venialium septem annorum, multasque alij quoq; alias episcopi eò contulerunt. Constructerat verò non solum hanc ædem Regulinda in honorem eorum, quos memorauimus, Diuûm, sed titulo etiam, D. Martini sacellum, in quo præcipuè ipsa, priuatim pietati, & solitudini vacauit; reliquâ æde in populi vsum, & concursum conditâ, & conseruatâ. Pridiè Nonas Martij anni consequentis diem obijt abbas Vernherus. Erat Arnoldi Comitis Lentzburgensis, & Chuonissæ baronissæ ab Altebura filius, Vldarici cognomento diuitis, & Richensæ Vindonissensis nepos. Eius memoriâ, & gratiâ donarunt parentes Heremitano monasterio vicum Scheideck. Sunt qui Arnoldum fuisse baronem ab Altabura tradidere, cum ex donationis comprehensa formula, libro veteri anniversario, certum sit Chuonissam Vernheri matrem Eberlini Alteburæ baronis fuisse sororem, Lentzburgensiq;, non Altburano nuptam.

A.D. N. CIↃ. C.XLII.

Post Vernherum lectus abbas fratrum vnanimi suffragio Rudolfus II. ex Comitibus Lupoduni.

RVDOL-



RVDOLFVS II. EX COMITIBVS LVPODVNI STVOLINGAE LANTGRAVIIS ABBAS HEREMI DVODEGIMVS.

RVDOLFI electionem asperrimè tulit Rudolfus, comes Rapersuillensis, quasi, nisi se præsente, & adprobante, prætentu aduocationis, legitima ea esse non posset. Itaque armatâ manu monasterium inuasit, RVDOLFVM, & qui cum eo faciebant, expulit, alios fœdis vulneribus ab templi adytis, & altaribus raptos sæuiter mulctauit, sanctissimum DEIPARÆ sacellum, & aram, vestesque sacras cæde, & sanguine profanauit, nihil pensi, aut sancti habuit, irâ, odio, vecordiâ tur-

piter gras-

piter grassatus est. Rudolfus abbas cum paucis, qui Comitis manus euaserant, Constantiam ad Cunradum Cæsarē tùm fortè illic comitia celebrantem adijt, vim, & tyrannidem Rapersvillensis ostendit, suam contrà electionem, suam innocentiam. Cunradus non electionem solùm adprobauit, sed Theodeuuino Cardinali auctor fuit, accedente Hermanni Constantiæ episcopi petitione, vt initiaret. Itaque ad Augiam Maiorem profectus Theodeuuinus in præsentia episcopi pridiè idus Aprilis, sacrarum palmarum die solenni, Rudolfum abbatem inunxit, & consecrauit. Cæsar verò de Comite, & eius factione supplicium extremum sumsisset, nisi nonnullorum Principum, & ante omnes ipsiusmet Rudolfi calida, & constans intercessisset supplicatio. Grauiter tamen increpitum, aduocatum eum, & defensorem; non Dominum, aut invasorem Heremi additum, jura eorum, & priuilegia tueri, & conseruare; non infringere, aut supra esse debere, ingenti pecuniâ multauit. Anno millesimo, centesimo, quadragesimo tertio, Innocentius pontifex populum Rom. rebellem, & antiquam, vanamque libertatem sæpius tentatam, reuocare per turbas molientem, à sacris remouit, ipsumque pontificiorum comitiorum iure, quorum à primis temporibus ad eam vsque diem particeps fuerat, in perpetuum spoliauit, id solis Cardinalibus adsignauit, nec multò pòst languore ex curis contracto esse desijt. Creatus primus post eum ab solis Cardinalibus, Populo, & Clero excluso, Cælestinus II. Redditum tandē, eodem tempore, monasterio nostro totiens quæsitum, totiens repetitum, iussu maximè Cardinalis Theodeuuini, & Hermanni episcopi, aliorumq; antistitum D. Iusti nouennis pueri martyris sacrum caput, quod Albersbachenses monachi apud nostros per disciplinarum, & religionis speciem diu versati, clam, & per dolum ante annos triginta auerterant. Neque dum contentionis de limitibus inter nostros, & Suitios, & horum defensores Lentzburgenses Comites modus, aut finis erat. Itaque iam & hactenus non verbis, sed verberibus, & vulneribus terminos propugnarant, finesque rexerant; Suitijs

A.D.N. CIↃ. C. XLIII.

Heinrici IV. Imperatoris sententiam nullâ ratione recipientibus, tamquam, vt illis videbatur, grauem nimium, & ignominiosam, finesque suos plus æquo stringentem, & eo ipso, quod vltra processerant, coarguentem. Quamobrem Cunradus iustitiæ, & pacis obseruantissimus princeps, nequid vltra querimoniarum, aut discordiæ supereſſet, in integrum eos restituit, Anno millesimo, centesimo quarto & quadragesimo, agendique potestatem cum Argentinam diuertisset, fecit. Adfuerunt pars vtraque, & Abbati Rudolfus Comes Rapersuillensis aduocatus: Suitijs Vldaricus Comes Lentzburgensis, suo, & fratrum nomine, sese addiderant. Suitij eadem quæ superioribus temporibus adferebant, neque alia quæ allegarent suppetebant. Rudolfus abbas præter antiqua, & prius etiam repetita, nouo quoque jam etiam Heinrici Imper. & principum regni iudicio, & decreto nitebatur. Cunradus postremò caussâ satis, superque discussâ, & agitatâ, Heinrici auunculi Imper. sententiam, suo quoque decreto confirmauit, & id in hunc modum eleganti, & æquâ ratione promulgauit. A.D.N. CIↃ. C.XLIV.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Cunradus, diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Rex secundus. Iustitiæ definitio est constantem, & perpetuam habere voluntatem tribuendi vnicuique quod sibi iure competit. Quam cum omne humanum genus colere, & exercere semper debeat, præcipuè tamen regiæ dignitati congruit talem animi habitum immutabiliter induere. Quocirca omnium fidelium nostrorum, tam futurorum, quam præsentium nouerit industria, Quod vir venerabilis Rudolfus abbas monasterij MEGINRADES *Cella dicti, quod consecratum est in honore sanctæ* DEI *genitricis* MARIÆ, *sanctique Mauritij martyris, nostram Celsitudinem adijt, suisq; desideriis interuentum, ac preces dilectæ coniugis nostræ, & regni consortis Gertrudis adhibens, petijt, Quatenus litem quæ inter ipsum, & Vldericum de Lenzenburg, ac coheredes eius, seu etiam inter ipsum, & ciues de Suuites iam longo tempore agitabatur finali iudicio*

Curiæ no-

Curiæ nostræ decideremus. Cuius preces ratione suffultas clementer admittentes, Priuilegia, quæ progenitores nostri Reges, vel Imperatores præfato Monasterio ad perpetuam libertatem obtinendam, siue ad certos possessionum suarum limites determinandos concesserant, in communi generalis Curiæ nostræ audientiâ recitari iussimus. Astantes itaque pro iure suprænominati Monasterij Rudolfo de Raprechtesvuilre eiusdem loci Aduocato, relectum est præceptū diuæ recordationis Heinrici huius nominis V. *Regis, sed* IV. *Imperatoris auunculi nostri, in quo continebatur eamdem controuersiam diu fuisse ventilatam inter Abbatem iam sæpe dicti Monasterij de* MEGINRADES *Cellâ Ger nomine, & aduocatum ipsum Vthelricum, atque inter Rudolfum, & Arnolfum Comites, & item habitatores villæ Suites. Sed Allemannorum (quibus eiusdem terræ iurisdictio pertinet) iudicio, & eiusdem Priuilegij auctoritate terminaliter definitam, & à prædictis petitoribus multam Regiæ institutionis violatoribus imposítam fisco Regio fuisse illatam. Quæ ratio tam fortibus subnixa firmamentis Comitem Vthelricum de Lenzeburch, & competitores absterrere non potuit, quin eisdem diffinitionibus provi-ribus contra iret, donec Sueuorum, qui & Allemanni dicuntur, lege, ac iudicio, ius allegationibus destitutis, a causa penitus caderet, & cum debita legum censura tam nobis, quam Abbati, & Aduocato ablata restituendo satisfaceret. Causæ vero totius origo hæc erat. Fundum in quo Monasterium ædificatum est, & totam circum positam siluam, siue eam Forestam, seu Heremum, vel Vastam solitudinem appellari placeat, cum omnibus appendiciis, vtilitate, & fructu Abbatis iam sæpe dicti Monasterii, & monachorum* DEO *ibidem seruientium vsibus Imperatores Otto primus, & secundus: sed & duo æquiuoci Imperatores proauus videlicet noster atque auus Heinricus authenticis præceptorum suorum paginis tradiderant, tamquam possessionem, quæ omnium iudicio ad Regni proprietatem pertinere comprobatur. Verum quoniam eorum qui in villa Suites habitant culta, & agri præscriptæ siluæ fines attingunt, semper eiusdem villæ possessores in*

adiacenti

adiacenti silua portionem non modicam violenter arripuerunt. Nos vero, sicut in antiquis priuilegiis scriptum est, & in nostrâ præsentiâ totius Curiæ assensu recognitum, certos fines, seu limites inter vtrasque possessiones subnotari iussimus. Sunt autem hi termini, Ab Occidua quidem parte incipientes à fluuiolo Biberâ, ab ipsiusque fonte in Austrum per diuexa montium proximorum latera quidquid ad præfatum locum inclinia tendit vsque ad proximam alpem dicta Syla: inde ad rupem Stageluuant, & ab inde ad montem Sunnenberg vocatum: Postremo ad rupiculam Rotenfluch nominatam, Quidquid his interiacet, & clauditur limitibus, id est, ob adiacentium montanorum cacuminibus ad iam sæpe fatum locum incliuibus scilicet, vt lapsus liquentium niuium, & cursus amnium, impetusque torrentium præcipitantur in ima conuallium omnino totum ad supradictum pertinere constat Monasterium, hoc est, fundus ipsius loci, qui MEGINRADES Cella dicitur, cum præscriptis alpibus, ac montanis, siluis, paludibus, vallibus, planiciebus, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus, venationibus, viis, & inviis, cultis, & incultis, exitibus, & reditibus, quæsitis, & adquirendis, & cum omni dominio, & cunctis vtilitatibus, quæ vel dici, vel inveniri vllo modo possunt. Et, vt hæc omnia omni tempore ab omnium hominum infestatione, rata, & inconuulsa permaneant, decursarum ad nos rerum seriem, & iudicia super hiis promulgata banni nostri interpositione firmauimus, præsentemque paginam propriæ subscriptione manus roboratam sigilli nostri impressione insigniri iussimus. Testes vero qui adfuerunt subternotati sunt, Embricho Vvirtzeburgensis episcopus, Burckardus Argentinensis episcopus, Ortliebus Basilienſis episcopus, Berchtoldus Murbacensis Abbas, Vuibaldus Stabulensis Abbas, Fridelo Augensis Abbas, Vualtherus Selsensis abbas, Fridericus Dux Sueuorum, Cunradus Dux, Hermannus Marchio, Rudolfus de Honberg, Volmarus de Froburg, Vthelricus Comes de Gamertingen, Euerhardus Comes de Kirchberg, Berchtoldus de Callendin, Lu-

dovvicus de Oetingen, Theodoricus Comes de Mombiligart. Othelricus Comes de Egensheim, Sifridus Comes de Bonnenburg in Saxonia, Adolfus Comes de Montibus in Vveſtfalia, Simon Comes de Saraburga, Sigelbertus Comes, Heinricus de Rinouua, Marquardus de Gruenbach, Conradus de Suuart Zemberg, Bertolfus Comes de Nuemburch, Sigebodo de Houuevvilre, Marquardus de Rodenburch, Berchtoldus de Tannecka, Heinricus de Rhinfelden, Conradus de Krenchingen, Heinricus de Cuſſenberg, Burkardus de Hercina, Hugo de Tuffen, & ceteri quam plures.

Signum Domini Cunradi Romanorum ſecundi regis invictiſſimi.

Ego Arnoldus Cancellarius, vice Heinrici Moguntini archiepiſcopi & archicancellarij recognoui.

Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XLIIII. *Indictione* V. VIII. *Idus Iulij, Regnante Cunrado Romanorum rege ſecundo. Anno verò regni eius* VI. *Data Argentinæ. In Chriſto feliciter. Amen.*

At iſta enimuero longè Suitij ægerrime tulerunt. Nam ijs non ipſi modo, ſed etiam maiores eorũ injuriarum, & violentiæ, & repetundarum arceſſebantur. Neq; enim cauſſam videre volebant, quare antiquis, quos ferebant, finibus diſcedere deberent, quos tanto tempore bonâ, vti credebant, fide poſſediſſent. Igitur poſthabitis regũ, & Imperatorum edictis, conuentum inter ſe, mox cum ſuis confederatis, vicinis communitatibus fecerunt, conſenſuque veteres retinere fines conſtituerunt, eoſdemque vi, & armis contra attentantes tueri; Imperatorum, & Regum porrò poteſtatẽ, & mandata, eâdem libertate contemnere, & aſperṇari, quâ, cùm nullius ipſi dominio ſubiecti eſſent, (ſic namq; de ſe jactabant) anteà, & ſponte eadem recepiſſent. Eodem anno Cæleſtino II. pontificatus menſe ſexto deſiderato, ſuffectus Lucius II. Quo etiam, anno ſequenti, pontificatus menſe vndecimo, exſtincto, ſummã in terris dignitatẽ injit Eugenius III.

A. D. N. CIↃ. C. XLV.

D. Ber-

D. Bernardi discipulus, & quasi filius, vt ex libris Considerationum, quas ad eum scripsit liquet, dignis profectò qui non solùm assiduè à Pontificibus, sed etiam ab episcopis, & omnib⁹ Ecclesiæ antistitibus cõsiderentur. At ipse Eugenius eumdẽ D. Bernardum subitò in Germaniam, & Galliam misit, ibi pro terræ sanctæ, & Christianorũ liberatione cõciones frequentes, & feruẽtes habuit, multos principum, & regum in sententiam perpulit, miraculis scilicet institutum eius, & vitæ integritatem egregiè adprobantibus. Basileæ enim mutæ feminæ loqui, cœcoquè videre dedit, membris capto eorumdem vsum restituit. Cæcum pariter Constantiæ, Augensis abbatis intercessu, luce clarâ impertiuit, alia multa signa, alijs locis ad stuporẽ perpetrauit. Igitur anno millesimo, centesimo, quadragesimo sexto primus Germaniæ regum Cunradus, comitijs Spirensibus, sacræ militiæ nomen dedit, crucisque salutiferum signum humero recepit. Eum pleriq; primores imitati, eo auidius, quia superiorum expeditionum laude caruerant. Rudolfus abbas hoc quoq; anno Suitios, vti regio edicto parerent, satisfacerentq; sæpe frustra admonuit. Vnde eius commotus querellis Cæsar ad eos seueriſsimè scripsit, ad asperiora venturum minatus, nisi decreto suo, & principum acquieuissent. Illi in eadem sententia permansere. Hinc amicos contra, & fœderatos accire, & comparare abbas cæpit, vi vti aliquando obtineret, quod jure nequibat. Suitij, hoc quoq; intellecto, Vranios, & Siluanios rogauerunt, ne deessent, si bellum exoriretur, qui pro tuendis finibus omnia promisere. Sed Rudolfus ad reditum vsq; regis belli consilia deposuit. Is pridie nonas Februarij anni millesimi, centesimi, quadragesimi septimi, cum vtcumq; res Imperij dispositissent, itineri se, & expeditioni tradidit cum Friderico nepote Allemanniæ duce, Guelfone Bauariæ, alijsque principibus. Eum III. Kalend. Iunias secutus Ludouicus rex Galliæ. Sunt qui in Cæsaris exercitu fuisse tradiderunt equitum septuaginta millia, supra peditatum. Gallo, credo, haut pauciores copiæ. Egregio paratu, si cetera perinde succeſſissent. Cunradus enim, proditione Emmanuelis

A. D. N. CIↃ. C. XLVI.

A. D. N. CIↃ. XLVII.

A. D. N CIↃ. C. XLVII.

Const. Imper. magnam cladem accepit mense Nouembri. Neq; meliorem Ludouicus fortunam expertus est. Sequenti anno, coniunctis viribus, adscito etiam Balduino Hierosolimorum rege, Damascum obsederunt, sed per dissensionem, & fraudem obsidionem mox reliquerunt. Cunradus, desperatis rebus, in Germaniam redijt, Augustamque peruenit, incipiente Decembri. Vbi primum redijsse cognouit abbas Rudolfus ad eum se continuò contulit, cum nouis querellis, Iam quoq; Suitensibus Vranios, & Siluanios accessisse; eius majestatis mandata cõtemni; imperium, & principes pro nihilo fieri; sibi vires non esse tantas, vt judicatum armis obtinere possit. Orare suas opes coniungeret, nec in despectu se, & Imperium esse sineret. Cunradus his, alijsque valde incensus, Vranios, Siluaniosque asperrimè increpuit, quod Suitensium caussæ contra mandatum se miscuissent. Cæpto desisterent, si suam & Imperij gratiam vellent, opesq; dissociarent. Scripsit hinc Tigurinis, & Lucernensibus, alijsque vicinis, vti contra Suitenses abbatis caussam, & defensionem susciperent, suo, & Imperij nomine. Nihilo minus ad easdem vrbes legatos misere Svitij, qui ea, quæ acciderant, demonstrarent, simul Heinrici, & Cunradi decreta elevarent, tãquam ab male volentibus extorta, quibus antiquis finibus magnâ suâ, & posterorum ignaviâ pelluntur. Acta hæc anno millesimo, centesimo, nono & quadragesimo. Anno millesimo, centesimo, quinquagesimo, rursum quas contra se opes, & partes sollicitarent Suitij, Rudolfus Cæsari significauit. Qui jam animosior, non solum relationem suscepit, sed Suitenses, & socios eorum, regiâ auctoritate proscripsit, & commeatuum ne copiã facerent propinquis mandauit, haut magno tamen Suitensium momẽto, aut impedimento, quando Tigurinorum, quia recipiendi proscriptos priuilegium habere dicebantur, commercijs vtebantur, præter Lentzburgensium opes, & subsidium, qui in eadem caussa, & decreto erant. Vnde cum nihil se quoq; æqui hac ratione obtinere videret Rudolfus, anno sequenti, ab Hermãno Const. episcopo impetrauit, vt Suitios, & quidquid contra se fœderis esset,

A. D. N. CIↃ. C. L.

A. D. N. CIↃ. C. LI.

commu-

communione piorum excluderet. Quod, vt cetera omnia, in vanum quoq; recidit, quatinus non defuerunt qui auaritiâ, & malitiâ, aut etiam impulsi, coactique sacra administrarunt; & Suitij Cunrado Cæs. deniq;, ob perpetuũ aduersus nostros fauorem, & tuitionem infensi, & irati, eius se, & Imperij obedientiâ penitus subtraxerunt. Sed Cunradus cum coronæ accipiendæ, tum vt Apuliam, compositis Longobardicis rebus, subiugaret, in Italiam se transiturum promisisset, multâ veneni suspicione, derepente exstinctus est, XV. kal. Martij anno millesimo, cẽtesimo, secundo & quinquagesimo, cum prius Imperialia insignia Friderico nepoti Allemanniæ duci eâ conditione, tradidisset, vt Friderico filio, quem puerum relinquebat, vbi adoleuisset ducatum Allemanniæ donaret. Principes regni, cõuentu Francofurti facto, Cunradi consilium, & electionem probauere, Fridericumque, cui cognomen Itali Ahenobarbi fecerunt, regnare iusserũt, pridiè idus Mai. Fridericus Francofurto Maguntiacum, & inde Basileam venit. Eo ad illum accessit Vlricus Comes Lentzburgensis, quo, priuatis adhuc rebus, familiariter vsus fuerat, & in primis dilexerat. Is ea quæ inter Heremitas, & Suitios, seque intercedebant cum pluribus memorasset, tantum apud ipsum gratiâ eualuit, vt proscriptione quidem Suitios, & eorum socios non modò liberarit: Sed Rudolfo quoque abbati ne vltra, nisi rursum cognitâ caussâ, aut se conscio, procederet, præceperit. Neque deinceps eius Imperio, & filij Heinrici, quidquam præterea, limitari hac de contentione, reperio agitatum. Superiora Rheni cùm Fridericus peruidisset, composuissetque, rectà secundo rursum Rheno, mox per Arduennam siluam Aquisgranum discessit, vbi ab Arnoldo Colonienſi archiepiscopo rex Romanorum coronatus est. Ibidem Allemanniæ ducatum Friderico IV. patrueli concessit, qui rexit annos quindecim. Anno millesimo, centesimo tertio & quinquagesimo, circiter idus Martij, celebrauit Fridericus Constantiæ frequentissimum episcoporum, & principum conuentum, pacem cum omnibus regni primoribus comparauit. Querellas Laudensium aduersus

A. D. N. CIↃ. C. LII.

A. D. N. CIↃ. C. LIII.

Mediolanenſes primo audiuit. Menſe ſequenti Iulio, defuncto Eugenio, ſubſtitutus Anaſtaſius IV. noſtri ordinis, amator, & nutricius pauperum vulgo cognominatus. Annum vero ſequentem etiam Fridericus fermè per Comitia diuerſis locis, vti Mersburgj Saxoniæ, Ratisbonæ, Herbipoli, Vormatiæ, Spiræ, Goslariæ abſum ſit, donec, auctumno iam adulto, cum exercitu in Italiam tranſijt, Veronam primo, poſt Roncalias pridie Kal. Septembres peruenit. Eodem anno, Anaſtaſio IV. ſucceſſit Adrianus IV. & ipſe quoque S. P. N. Benedicti ordinis. Ceterum Fridericus ſubiugandæ Italiæ attentus, anno eius ſeculi quinto & quinquageſimo, Tortonam XIII. Kal. Martij obſedit, & pridie Nonas Aprilis deditam diripuit, & incendit. Inde per Flaminiam, & Tuſciam Romam tetendit, vbi illi Adrianus Imperialia contulit, XIV. Kal. Iulij. Conſtitutis hinc vtcumque rebus Italiæ, Septembri exeunte, in Germaniam redijt, & Ratisbonæ conuentum frequentiſsimum agitauit. Sequenti poſt anno Beatricem Reginaldi Burgũdiæ Comitis filiam duxit vxorem. Nuptias Herbipoli celebrauit. Norinbergæ aliquandiu hæſit poſt: iterum Ratisbonæ. Illic conuentu principum ex Marchia Auſtriæ, Ducatum fecit, Heinricum ex Marchione primum ducem creauit. Anno milleſimo, centeſimo, ſeptimo & quinquageſimo cum Veſontione verſaretur conſtituendæ Burgundiæ, cum duobus, qui in comitatu aderant, Cardinalibus nata controuerſia eſſet, & de ea Imperator ad Adrianum ſcribens literis ſuum Pontificis nomini ante poſuiſſet, ſiue id incogitantia, an ſuperbia fuit, & contemtus, multorum, quæ ſecuta ſunt, malorum materiam ſuppeditauit. Literarum vtrimque & pontificis, & Cæſaris alij exemplaria tulerunt, quæ hic inſerere nihil eſt pretij. Sequenti anno, Mediolanenſes, inſito aduerſus Laudenſes odio, Laudem poſtremo captam funditus euerterunt, turres, & mœnia ſubruerunt. Ea clades Friderici iterrurſus in Italiam accelerauit. Magnis igitur, Germaniâ totâ, factis copijs, continuo alpes trajecit. Trezæ caſtellum primò expugnauit, mox Laudem Pompeiam reædificare cœpit. Deniq; VIII. Idus Auguſti

A. D. N. CIↃ. C. LIV.

A. D. N. CIↃ. C. LV.

A. D. N. CIↃ. C. LVI.

A. D. N. CIↃ. C. LVII.

A. D. N. CIↃ. C. LVIII.

Mediola-

Mediolanum obsidione cinxit, suburbana vastauit, summisque opibus quassatam, & ad extrema redactam, deditione in suum dominium redegit, VI. Idus Septembris. Captis obsidibus nobilissimis ciuitatis, Roncalias ad jus dicendum Italicis inde se transtulit, feuda restituit, leges dedit, & ne ciuitas ciuitatem, priuatus priuatum iniussu regis oppugnet, aliaque, summa æquitate, constituit. Anno nono, & quinquagesimo, post millesimum & centesimum repetitum Mediolanense bellum, quia Cæsaris legatos in suam vrbem ad nouos creandos Magistratus Mediolanenses, orto tumultu, iniurijs adfecerant, & pene incautos oppresserant. Adsciti omnes ex Germania, & Italia ad vrbis miseræ excidium extremum Principes, & militiæ duces. Adriano eodem tempore successit Alexander III. doctissimus, & fortissimus. Contra eum quatuor ordine creati ab Imperatore pontifices, schismate in annum vicesimum producto. Primus Victor fuit eius nominis IV. Cardinalis tit. S. Clementis. Anno sexagesimo eius seculi, cùm tota bellis Insubria arderet, Fridericus post longam, & acerbam obsidionem Cremam opidum potitus funditus euertit: Mediolanensium suburbia vastauit. Laudem hinc in hiberna cùm Beatrice, quæ paullò antè cum valido è Germania exercitu, & multis principibus aduenerat, concessit. Alexander interim Anagniæ Victorem, &, qui eum opibus sustentabat, Fridericum, cum omnibus fautoribus, sacris priuauit, & excõmunicatos declarauit, literasq; ad reges, & Principes, & ciuitates dedit, & quibus id rationibus feciſſet exposuit. Anno vero sexagesimo primo, Fridericus omnibus copijs admotis, Mediolanẽses IV. kal. Iunij obsidere curâ vehementiore cæpit. Illi, eruptione factâ, exercitum in fugam expulerunt. Sed mox acrius vrbem circumdedit, & oppugnauit, fameq;; & pertinaciâ obsessorum domitam, & euictam Kalend. Martij anni sequentis, euertit, & sale in perpetuam sterilitatem conspersit, incolas in vicina opida distribuit, & ne Mediolanum repararent, injussu suo, capitali pœnâ sanxit. Inde Papiam discessit, vbi Genuenses per Legatos deditionem suæ ciuita-

A. D. N. CIↃ. C. LIX.

A. D. N. CIↃ. C. LX.

A. D. N. CIↃ. C. LXI.

A. D. N. CIↃ. C. LXII.

tis fecerunt. Præsentes erant Reinoldus archiepiscopus Colonienſis, Heinricus Leodicenſis, Ortliebo Basilienſis, Hermannus Constantienſis, alijque plures episcopi. Principes vero Cunradus palatinus Rheni, Heinricus dux Austriæ, Guielmus marchio Montisferrati, Theodoricus marchio Saxoniæ, Otho palatinus à Vietelspach, Albertus Comes ab Anhalt, Heinricus comes Pfortzheimi, Rudolfus comes Pfullendorffenſis, Vlricus comes Lentzburgenſis, alij. Subactâ penitus Insubriâ, & compositis Italiæ vtcumque rebus, in Germaniam exeunte Octobri redijt. Constantiæ aliquamdiu substitit. Ibidem Hermanni episcopi priuilegium pro Creutzlingæ monasterio confirmauit VIII. kal. Decembris. Testes fuerunt Cunradus Vormatienſis episcopus, Vido Hypolienſis episcopus, Vernerus abbas S. Galli, Velfo dux Spoleti, Fridericus comes palatinus de Tubinge, Hugo comes frater eius, alij plures comites. Eodem anno Alexander pontifex apud Clarummontem Auerniæ, & mox sequenti, Turoni concilium Galliæ omnium pene episcoporum celebrauit, in vtroque Fridericum, & Victorem excommunicauit. Fridericus cum valido exercitu in Italiam redijt, v. Kal. Nouembres. Papiæ hiberna collocauit. Ab eo Cunradus archiepiscopus Maguntinus ad Alexandri pontificis partes transijt, qui ab eo in Cardinalium numerum allectus est.

A. D. N. C IↃ. C. LXIII.

A. D. N. C IↃ. C. LXIV.

Anno sexagesimo quarto, Victore Lucæ mortuo, Cæsariani Guidonem Cremensem episcopum Pontificem, Paschalis nomine dato, elegerunt. Imperator, intellecto inter Velfonem Bauariæ ducem, & Hugonem Tubingæ palatinum bello, cui multi sese episcopi, & principes, & comites miscuerant, diuisis per partes studijs, in Germaniam redijt, & Vlmæ Comitia celebrauit. Sequenti, Virceburgi, vbi ex episcoporum, & antistitum, principumque, qui aderant, sententia Paschalem legitimum pontificem declarauit, statuitque vt, eo mortuo, nemo, nisi ex eius parte, sublegeretur, & si ipsum contingeret prius vitâ egredi, nullus quoque in regno succederet, nisi se eam partem defensurum jurasset. At contra Ioannes Cardinalis, quem Romæ legatum Alexan-

A. D. N. CIↃ. C. LXV.

der con-

der constituerat, mirâ ingenij dexteritate, & amœnitate morum, Populum Romanum ad partes Alexandri traduxit, pontificiam ditionem pleramque recepit, vtque ex Gallia in Vrbem Pontifex reuocaretur impetrauit. Lætissimis animis exceptus est ab vniuersis Alexander. Is eodem pene tempore Bernardum primum Claræ vallis abbatem in Sanctorum numerum retulit. Postquam Fridericus Alexandri successus accepit, metu amittendæ totius Italiæ, archiepiscopum Colonienſem, Anno sexagesimo sexto, in Italiam cum ingentibus copijs maturare iussit; quem mense Nouembri secutus apud Laudem Pompeiam conuentum habuit, querellas ibidem præfectorum suorum, quos in Insubriâ reliquerat, audiuit, quas cum haut tanti fecisset, quantũ iniuriæ acceptæ postulare videbantur, anno sequenti, ingens orta conjuratio, & fœdus omnium pene Insubriæ, Aemiliæ, Taruisij aliarumque Italiæ regionum, & ciuitatum, maxime verò Venetorum. Imperator, decreto in Alexandrum bello, versus vrbem exercitum duxit, Anconam resistere ausam obsidione cinxit, & valide oppugnauit. Posteà, auditâ suorum de Romanis ad montem Porcum clarâ victoriâ, obsidione missâ, ad mœnia accelerauit, & in pratis Neronianis, ineunte Augusto, consedit, Vaticanumque perrumpere frustra primo conatus, injectis dein ignibus, cum basilica D. Petri jam in periculo esset, qui eam tenebant territi deditionem fecerunt. Alexander Gulielmi Siciliæ regis opibus, qui, audito eius periculo, pecuniam, & triremes submiserat, Circeios, deinde Tarracinam, mox Cajetam, postremo Beneventum euasit. Fridericus ab Paschali cum Beatrice coniuge iterum coronam accepit. Ijsdem diebus, repente, veluti in Alexandri optimi pontificis vindictam, nata pestilentia exercitum fœde, & atrociter peruasit, quæ non gregarios modo, & vulgus militum, sed ex ipsa nobilitate præstantissimum quemque corripuit, & interfecit. Tales fuere archiepiscopus Colonienſis schismatis, & omnium malorum sator, & defensor; episcopi Spirenſis, Ratisbonenſis, Pragenſis, Verodunenſis, Leodicenſis, Basilienſis, alij. Principes, &

A. D. N. CIↃ. C. LXVI.

A. D. N. CIↃ. C. LXVII.

Comites

Comites, Fridericus Sueuiæ Imperatoris patruelis, Velfo junior dux Bauariæ, & Spoleti, Heinricus comes Veringæ, Berchtoldus Comes Pfullendorffi, filius vnicus Rudolfi, plurimi præterea. Sueuiæ ducatum commisit Imperator Friderico V.F. qui rexit annos XXIII. Maximis inde laboribus, amissis in itinere omnibus pene copijs, Papiam, mense Septembri peruenit. Hac inopinatâ Cæsarianorum clade, confederati erectiores facti nouo se fœdere, & sacramento Kal. Decẽbris deuinxere. Sed ea res non Ciuitates solùm in diuersa studia impulit, sed in singulis prope vrbibus nouas seditionum procellas excitauit, cùm alij Ecclesiæ, alij Imperij partes pro cuiusq; opibus, & potentia tuendas suscepissent. Mortuo anno superiori Hermãno successit in Episcopatu Constantiensi Otho II. Cuius stirpis reperire nõ potui. Præfuit annis octo.

A.D.N. CIↃ. C. LXVIII.

Anno sexagesimo octauo Fridericus, ne confederatis, quibus resistere non poterat, ludibrio esset, desperatis prope Longobardiæ rebus, in Germaniam redijt. Anno sequenti, Paschali suffectus ab Cæsarianis Calliſtus.

A. D. N. CIↃ. C. LXIX.

Anno septuagesimo Imperator conuentum Norimbergæ frequentem agitauit, ineunte Februario. Heinricum F. Cæsarem designauit, & Aquisgrani coronandum curauit.

A.D.N. CIↃ. C. LXX.

Hoc anno, & sequenti terræ motus maximi extitere, quos secutæ aquarum horrendæ ínvndationes, mense Septembri.

A. D. N. CIↃ. C. LXXI.

Anno septuagesimo secundo exeunte, obijt Rudolfus II. abbas. Non minus præclarè res monasterij administrauit, etsi Rudolfum aduocatum semper aduersarium sustinuit. Fratres Vernerum vitâ, & moribus, ætateque venerabilem præesse post eum iussere. Sed Rudolfus Comes tempus esse ratus, quod ante frustra ambierat, id verò nunc exsequendi, corruptis magna ex parte, & in suam sententiam perductis ministerialibus, fratrem germanum Varinum monachum S. Galli abbatem Heremi instituit: Vernerum, & eius sectatores multis oneratos contumelijs, & injurijs expulit, illorum cellas, & supellectilem diripuit, & vastauit, paucos, qui remanserant, minis, & terroribus, reliquorum præterea calamitate, & exemplo Varino inuitos, & obluctantes sacra-

A.D.N. CIↃ. C. LXXII.

mentum

mentum dicere coegit. Monasterium is occupatum tenuit paucis mensibus, sed ingenti cum noxa. Illud enim per luxum, & inanem ostentationem fædè lacerauit, & corrupit, mores antiquos aboleuit, præclarè instituta rescidit, postremò malè parta probrosius dissipauit, præter titulum nihil antistitis, aut monachi in se habuit. Fridericus Imperator rebus Germaniæ in perpetuum constituendis validè id temporis incumbebat. Ad eum nostri profugi cum sæpius itâssent, denique Sanctione, mense Februario, anni insequentis, agitantem multis precibus, & querellis adduxerunt, vt eorum desideria susciperet. Vocato igitur ad caussæ dictionem Comite, & quæ euenerant intellectis, de principum, qui aderant, consilio (aderant autem Ludouicus episcopus Basilienſis, Otho palatini Burgundiæ filius, Matthæus Lotharingiæ, Berchtoldus Zeringiæ duces, Rudolfus Pfullendorffi, Vernerus, & Fridericus Hombergæ Comites, alij plures nobiles) utrumque & Vernerũ, & Varinũ abdicare iussit, Vernerumq; ex nostris alium Toggenburgensium Comitum familiæ, egregiâ virtute, & eruditione iuuenem abbatem pronunciauit, & ad monastetij administrationem, suo diplomate, & suffragio ornatum dimisit Kalend. Martij. Eo quoque pacto, quæcumque euenerant inter partes aboleuit, & perpetuo silentio sepeliuit. Haut multo post XXVII. Martij sequentis desideratus Frouuinus Monasterij Montis Angelorum abbas secundus, non sine magnâ sanctitatis apud omnes opinione. Successit beatus Berchtoldus ad quem Frouuinus librum in orationẽ dominicam a se compositum paullo ante miserat. Exstat in nostra etiam Bibliotheca, & cum cura adseruatur. Præfuit Berchtoldus annos prope nouendecim. De eo profecto memorant Monasterij scripta documenta, vixisse eum religiosissime, sanctum sancti prædecessoris vestigia sequentem, sacrosanctum missæ sacrificium quotidie fecisse, etiam ipso quo denique obijt die. Reperio etiam eum Friderici I. Imper. in Cilicia mortem multo ante prædixisse, quam eius in Germaniam fama peruenire potuerit. Neque id omiserim:

A. D. N. CIↃ. C. LXXVIII.

Eâdem horâ, quâ corpore erat migraturus, à lectulum suum circumstantibus, sibi aquam in fonte non procul à monasterio haurire iussisse, quæ porrecta miraculose versa est in vinum. Hanc vero mutationem tertio factam esse. Vnde fons ille ex quo aqua ea sumta in hodiernum diem Fons abbatis dicitur. Neque minor eius eruditio fuit. Argumentum est liber quem doctissimè simul, & fortissime scripsit contra abbatem S. Ioannis in Turana valle grauissimum errorem defendentem, qui tamen eius admonitione, & rationibus postea resipuit. Supereſt liber in Bibliotheca monasterij. Hæc de Berchtoldo per occasionem Frovvini nostratis. Neque enim Angelomontanorum gesta, aut abbatum successionem tradere propositum est. nisi vbi eorum locus, & necessitas commonebunt.



VERNERVS II. EX COMITIBVS TOGGENBVRGI ABBAS HEREMI DECIMVS TERTIVS.

VBI præter ſpem, & exſpectationem VERNERVS Imperatoris ſententiâ Abbas declaratus, quia per ætatem hactenus Diaconatus ordinem tantum ſuſceperat, Tigurum Sanctione tetendit, ibique Othonem Conſtantiæ Epiſcopum offendit, qui non modo presbyteratum contulit, ſed in Abbatem, baſilicâ ſanctimonialium, magnâ ſolennitate, & frequentiâ inunxit. In Heremum hinc delatum ingenti omnium fauore, & lætitiâ excepere. Præfuit ſummâ modeſtiâ, & laude annis XIX. Hoc parta modo Monaſterio, & ſubditis pax, & tranquilli-

tas, rursusque in officio omnes, qui turbauerant, fuere, ne-
A. D. N. que, dum Friderico Imper. vitâ fuit, quidquam contra Ru-
CIↃ. C. dolfus Comes ausus. Anno septuagesimo quarto Fridericus
LXXIV. delectus militares maximos habuit, totâ Germaniâ, atque omnia ad grauissimum bellum necessaria comparauit. Inde III. Nonas Septembris per montem Cinisium in Italiã transgressus, terrore, & fugâ omnia occurrentia loca permiscuit, Segusium expugnauit, & diripuit, Astam subegit, Alexandriam paucis antè annis à fœderatis conditam, & ab Alexandro pontif. in ignominiam Imperatoris vocatam, per totam hiemem obstinatis animis, obsedit, prælio cum Mediolanensibus facto inferior, & victus discessit. Eodem tempore Othoni Constantiæ suffectus episcopus Berchtoldus ex baronibus à Busnang, præsedit annis decem. Alexandrini,
A. D. N. anno sequenti, festo die pascatis eruptionem fecerunt, Fri-
CIↃ. C. derici castra, quæ opidi instar, omnibus rebus erant refer-
LXXV. tissima diripuerunt, castellum ab eo constructum vrbi imminens euerterunt, ipsum fugâ ignobili sibi consulere compulerunt. Papiam quam Mediolanenses obsidebant copiarũ reliquiæ traductæ. Heinricus interea Bauariæ, & Saxoniæ dux, relligione tactus, ac pontificiâ, vt præ se ferebat, detestatione absterritus, ab Imperatore discessit, & secum magnam Germanorũ partẽ abduxit. Ita coactus Fridericus, pactis in Iuniũ sequentẽ inducijs, Germaniã per montem S. Bernardi, & Burgundiam redijt, maximis conflictatus laboribus, & periculis, ita vt sæpius seruili habitu incesserit, & proequisone se gesserit. Heinricũ maiestatis caussam cùm dicere sæpius iussisset, neq; compareret, ducatibus, & dominiis priuauit, Bauariã Othoni palatino à Vietelsbach tradidit: Saxoniam Bernardo Comiti ab Anhalt, ac mox sese in Italiam retulit, finitis inducijs, bellum redintegrauit. Mense Maio, an-
A. D. N. ni septuagesimi sexti Mediolanẽsium rura vndiq; pervastauit,
CIↃ. C. tertio kal. Iunias memorabili pugnâ cũ hostibus congressus,
LXXVI. & victus, aliquot dies pro mortuo est habitus. Inde ad pacem cũ Alexandro animũ inclinare cæpit, impellentibus summæ apud eũ auctoritatis viris, qui bellum hoc nõ cum homine,

sed cum

sed cum DEO geri idemtidem admonentes, ac præterita incommoda,& clades ex hoc fluxisse fonte, vt de concordia legatos ad Alexandrum mitteret peruicerũt. Pax anno sequenti IX. Kal. Augusti Venetijs concluſa, Germaniæ, & Italiæ principes in communionem Ecclesiæ restituti, finisq; schismati, & dissensioni datus, decimo octauo, quam tenuerat, anno. Fridericus in Germaniam reuersus Constantiæ maximum conuentũ egit anno septuagesimo octauo, Mediolanẽsibus,& Longobardis leges, quibus vterẽtur, dedit. Alexander eodem anno Conciliũ in Lateranũ omnium pene Occidentis præsulũ indixit, & id, anno sequenti, magnà antistitũ frequẽtià celebrauit, in quo laboranti Ecclesiæ multa, & varia remedia quæsita,& reperta. Hæresis Albigensium in Gallia Petro legato à latere cognoscenda,& comprimenda commissa. Anno octogesimo Alexander decreta Concilij promulgauit, in quibus hæc maximè salutaria, *Ne quis episcopus eligatur, nisi triginta annos natus, & legitimo matrimonio ortus, & moribus, & scientiá commendatus: Neque minores ordines quis suscipiat, nisi viginti quinque annos attigerit: Ne laicus possessiones Ecclesiasticas distribuat; presbyter, aut clericus qui receperit ordine moueatur. Ne monachi mercede recipiantur. Ne quis diuersas dignitates Ecclesiasticas, & plures Ecclesias parochiales, contra sanctorum canonum decreta, suscipiat, &c.* Anno octogesimo primo Imperator frequẽtissima omnium Imperij ordinum comitia Maguntiaci celebrauit. Heinrico Cæsari F. ibidem Constantiam Rogerij quondã Siciliæ regis filiam despondit. Alexandro fortissimo, & maximo põtifice defuncto, creatus Lucius III. Anno octogesimo tertio Fridericus Constantiæ, mense Martio, conuentum transalpinorum maximè principum egit, Italiæque ciuitatibus, rogatu Heinrici F. qui regnum Italiæ summopere cupiebat, ambiebatque, pacem, finitis inducijs, solidam, & integram, multis conditionibus dedit, VII. Kalen. Iulij. Constitutâ hinc Germaniâ septimam in Italiam expeditionẽ susceperit, anno sequẽti. Veronæ colloquiũ cum Lucio pontif. habuit. Eo in colloquio de ijs potissimum re-

A. D. N. CIↃ. C. LXXVII.

A. D. N. CIↃ. C. LXXVIII.

A. D. N. CIↃ. C. LXXXIX.

A. D. N. CIↃ. C. LXXX.

A. D. N. CIↃ. C. LXXXI.

A. D. N. CIC. C. LXXXIII.

A. D. N. CIↃ. C. LXXIV.

mum rebus quæ Ecclesiam, eâ tempestate, premebāt, tractatum, nempe de contumacia Romanorum, qui Lucium expulerāt, bello Saracenico, & Romanæ Ecclesiæ erectione. Romani, vt hostes Ecclesiæ, diro anathemate notati: auxilia Christianis decreta: Lucio ab Imperatore postulanti quæ Ecclesiæ retinebat, restitueret; negatum: Friderico vicissim petenti vt Heinricum F. Imperatorijs insignibus ornaret pariter Lucius abnegauit. Ita animis abalienatis discessum. Veronâ Imperator Mediolanum profectus, magno ciuitatis apparatu acceptus est. Paucis post diebus, eo etiā venit Cæsar Heinricus, quem Vbertus Criuellus archiepiscopus templo S. Ambrosij Italiæ regem coronauit. Post Berchtoldum creauerunt Constantiæ episcopum Hermannum II. de Fridinge. Anno octogesimo quinto in Germaniā rediturus Fridericus Heinricum F. Italiæ præfecit. Is eximiâ pompâ VI. kal. Feb. Mediolani nuptias cum Constātia celebrauit, quam tertium iam annū in coniugio habebat. Sunt qui Constantiam sanctimonialē fuisse ferunt, pontificis auctoritate Heinricum duxisse. Ei igitur natus Fridericus II. Imp. pontificū mastix, præsentium importunarum dispensationū vindictâ. Lucio defuncto factus pontifex Vrbanus III. Anno octogesimo septimo, Vrbano defuncto, successor datus Gregorius VIII. Is quarto sui pontificatus die, cùm cladem Christianorum in Oriente, & excidium accepisset, capta Hierosolyma, Crucem salutiferam in impiorum manus venisse, ad omnes principes, populosque Christianos pro auxilio, & recipiēda terra sancta literas dedit, omnesq; ad sacrā expeditionē, plenam peccatorum remissionē, & vitam æternā pollicitus, obnixim cohortatus est. Fridericus, eâ re, Comitia frequentia Norimbergæ habuit, seque belli sacri ducem professus, literas, quas vocant pacis, edidit, easq; per totū Imperiū promulgauit, in quib⁹ pleraq; de incēdijs, prouocatiōe, & clericorū liberis. Inde totâ Germaniâ maximos dilectus indixit. Gregorij breuis pōtificatus fuit. Substitutus Clemens III. doctus, sanctus, facundus, sui acerbissimus castigator anno octogesimo octauo. Omnes sub idem tempus prope Occidentis principes salutiferū crucis signam

A. D. N. CIↃ. C. LXXXV.

A. D. N. CIↃ. C. LXXXVII.

accepe-

accepere. Sequenti anno, Fridericus cum Friderico F. Sueuiæ duce IX. Kal. Mai, è Germania per Hungariam exercitū versus Orientem ducere cæpit, Constantinopoli natalitios dies egit. In Armeniam anno nonagesimo cùm perveniſſet post tot toleratos labores, III. idus Iunij in amne Cydno interijt, incredibili Christianitatis detrimento, & dolore, nulli Imperatorum secundus, si Othones potius in tuenda, quam Heinricos in oppugnanda Ecclesia sibi æmulandos putasset. Exercitus insolēti aëre, & regione prope internicione cōsumptus, Friderico duce, eximiâ indole animi, frustra paternas vices subeunte. Quo in Ptolemaidis obsidione quoque exstincto, Sueuiæ ducatus administrationē accepit frater Cunradus II. Imperij Cæsar Heinricus. Huic, anno consequenti, primum rebellarunt Colonienses, deinde alij primores Belgij, & Burgundiæ, qui, interfecto mox Leodicensi episcopo, qui se atrocius gerebat, conquieuere, & ingratiam redierunt. Ipse, pacatis Germaniæ vtcumq; rebus, in Italiā transijt, & Romæ à Cælestino III. qui paullo antè Clementi III. succesſerat, Imperij ornamenta, & consecrationem accepit, XVII. kal. Mai. Numquā se aduocatus Rudolfus Abbati Vernero æquum, aut amicum præbuerat, gliscebatq; semel conceptū odium, fraudeq; variâ res monasterij interuertebat, neq; tamen, dum Imperio præfuit Fridericus, quidquā apertè attentauit. Vbi exstinctus est, & natæ, vt fermè plerumq;, ex eius morte per Germaniam turbæ, eâ occasione multo manifestiorem se is Verneri hostem declarauit, nihilq; nō mouit vnde eum dignitatis, & officij tœdium caperet, & postremo obtinuit. Vernerus enim haut vltra peruicaciā, improbitatem, & insidias eius pertulit, rebusq; monasterij hactenus egregiè administratis, obnitentibus licet, & id molestissimè ferentibus fratribus, abdicauit. Aduocatus facile impetrauit vt Vlricus ex Comitibus Raperſvillæ propinquus suus abbas substitueretur, qui Verneri tamen reuerentiâ, & integritate motus (tanta vis virtuti inest etiā apud virtutis hostes) eū priuatā vitam, quam prælegerat, viuere non passus Decanum constituit, Ecclesiæque administrationem commisit.

A. D. N. CIↃ. C. LXXXIX.

A. D. N. CIↃ. C. XC.

A. D. N. CIↃ. C. XCI.



VLDARICVS I EX COMITIBVS RAPERS. VILLAE ABBAS HEREMI DECIMVSQVARTVS.

A. D. N. CIↃ. C. XCII. HEINRICVS Imperator poſt coronationem ad recipiendum vtrumq; Neapolis, & Siciliæ regnũ animum adplicuit, omnia opida præter Neapolin, leui manu accepit, hanc fruſtra tentauit, & in ea re ſecutum biennium inſumſit. Anno milleſimo nonageſimo quarto, præfecerat Luitoldus Baſilienſis epiſcopus Eccleſiæ Oberkilch, qui adminiſtraret, parochum. Id haut tulit Vldaricus Abbas, qui eá vice eius collationem beneficij ſuam adſerebat, quatinus antiquitus inter epiſcopos Baſilienſes, & Abbates Heremi conſtitutum erat, vt alter-

A. D. N. CIↃ. C. XCIII.

A. D. N. CIↃ. C. XCIV.

natim

natim ab vtraque parte lecti præsiderent. Mortuo igitur quem instituisset episcopus, sibi Vdalricus parochi nominationem vindicabat. Agitata diu controuersia. Postremo conuenit, vt quem tum quidem miserat episcopus, obtineret, ceterum, vti prius, ita in posterum per vices successio valeret. Factum huius rei Basileæ instrumentum cuius fuerunt testes *Heinricus in Basilea Ecclesiæ matris præpositus, Hartmannus cellarius, Heinricus camerarius, Hugo de Musterol canonicus, Marquard Cantor, Gerardus can. Conradus Can. Burcardus can. Rudolfus can. Heinricus can. Cuno can. De Heremitensi Ecclesia Heinricus capellanus abbatis, Diethelmus de Nagilinckon, Rudolfus de Vffenouua, Rudolfus de Scubilbach, Cunradus de Veninge, Cunradus de Huncbrun, Vernerus miles Scubilbert, Vernerus Villicus de Sierentz.* Acta sunt hæc publicè Basileæ. Eodem tempore, Constantiæ mortuo Hermanno, in Episcopatu successit Diethelmus ex baronibus VVeissenburgicis abbas Augiæ. Et Heinricus Imper. Siciliæ regnum in potestatem redegit, multos nobiles captiuos in Rhetiam, & Germaniam misit. Hoc ipso anno Leopoldus, & Vernerus nobiles à Langenstein cùm relligionem, & monachismum amplexi essent, monasterij S. Vrbani fundamenta ex suo patrimonio primi posuerunt magno sumtu, ex coctis lateribus plerisque substructis, variæ deinde multæ nobilitatis accessiones factæ. Anno nonagesimo quinto Heinricus Imper. ad aspetiora conuersus aliquot in Sicilia rebelles varijs tormentis excruciauit: obsidibus, quos acceperat, oculos eruit, Siciliæ, & Italiæ regnum in amicos, & fidos diuisit, mox in Germaniam reuersus promissis, & donis, anno sequenti, haut paucos proceres impulit, vt Fridericum Rogierium F. Cæsarem designarent. Conuentu hinc omnium pene vtriusque ordinis principum habito, mense Nouembri, Vormatiæ eos ad repetendam Syriam per occasionem mortis Saladini cohortatus est, ductorem se expeditionis futurum, si ita videretur, protestatus. Cunrado Sueuiæ duci, ijsdem diebus, Durlaci interfecto, successit frater Philippus. Ineunte vere,

A.D.N. CIↃ. C. XCV.

A. D. N. CIↃ. C. XCVI.

A. D. N. CIↃ. C. XCVII.

anni nonageſimi ſeptimi, multi Germaniæ proceres in Syriam trajecere, in quibus fuerunt archiepiſcopus Moguntinus, duces Saxoniæ, Auſtriæ, Brabantiæ, epiſcopi, comites, barones, nobiles innumeri, qui paucula glorioſè geſſerunt, morte Imperatoris inter ſe turbati, & animos demittentes. Ea accidit pridie Kalend. Septembris, anni inſequuti, Philippo fratre Friderici filij, & imperij tutore relicto. Sed quia Fridericus, quem nonnulli principes, vt diximus, Cæſarem deſignarant, patre adhuc viuente, non excedebat tertium decimum annum, & ideò ad imperandum impar erat, Philippus in ſe Imperium transferre tentauit: contra quem Innocentius III. qui paullò antè Cæleſtino ſucceſſerat, Berchtoldum primò Zeringiæ ducem, &, cum is refutaſſet, Othonem Brunſuicenſem eligi curauit. Vnde grauia inter vtrumque principem, & partes ſecuta ſunt bella, Phillippo plerumque validiore. Is primo Othonianos in agro Treuirenſi, anno ſequenti, fugauit, & fudit. In Elſatiam hinc regreſſus anno milleſimo ducenteſimo poſt Chriſti liberatoris noſtri natiuitatem, eamdem vaſtauit, nonnulla opida cæpit, & diruit maximè epiſcopatus Argentinenſis. Vlmæ mox comitia habuit, regaliaque principum vtriuſque Ordinis, & monaſteriorum, quamuis nondum coronatus, ſed ab nonnullis tantum primoribus electus eſſet, confirmauit. Argentinam inde copijs omnibus relatis, poſt longam obſidionem indeditionem recepit, epiſcopum in gratiam, anno milleſimo ducenteſimo primo. Anno ſecundo, Otho Traiecti conuentum Belgij principum celebrauit, varia contra Philippū conſilia iniuit. At ipſe, anno tertio, Thuringiam populatus eſt, Landgrauium ad deditionē compulit. Otho Merſpurgij rurſus conuentum Saxoniæ procerum habuit, ibique coronam ſecundò ablegato pontificio ſuſcepit, qui legitimum pronunciauit: Philippum excommunicatum declarauit. Ex eo nonnulli ad Othonem rediere, in quibus Hermannus Thuringus, & Othocarus Bohemus. Sed frequentes, eodem tempore, & pene quotidianæ defectiones ab vno ad alterum fiebant, nullâ pene, vt per bella ciuilia ſolet, religio-

A. D. N. CIↃ. CC.

A. D. N. CIↃ. CC. I.

A. D. N. CIↃ. CC. II.

A. D. N. CIↃ. CC. III.

nis, ſi-

nis, fidei, sacramenti reuerentiâ, aut curâ: vt fortuna, ita animi stabant, aut labebantur. Philippus anno quarto eius seculi, Thuringiâ repetitâ, omnia radicibus exscidit: Bohemorum auxilia fudit, & fugauit; Landgrauio sibi ad genua accidenti vix tandem pepercit. Colloquio deinde Andernaci cum Adolfo Colonienſi archiepiscopo habito, eum facilè sibi adiunxit, eâdemque operâ Brabantiæ, & Lotharingiæ duces ad partes adduxit, cum ijsque Aquisgranum profectus Imperij coronâ insignitus est. Colonienses, quia Adolfus in excomunicationem ideò inciderat, Brunonem Bonnæ Præpositum archiepiscopum sublegere. Vrbem eadem de causa cum frustra oppugnasset Philippus, anno sequenti, populatâ regione, Nouesium cæpit, & diripuit, mense Octobri. Mox repetitâ, primo vere anni sexti obsidione Colonienſi, Othonem auxilia portantem in fugam, omnibus pene interfectis, repulit, Coloniam deditione recepit. Postremo Othonem eumdem ex Germania in Angliam ejecit. Præfuerat hucusque abbas Vldaricus sed eâ pompâ, licentiâ, ambitione, & luxu, vt nihil minus quam relligiosum, & Ecclesiasticum antistitem præferret. Monasterij bona dissipauit, alia vendidit, pleraq; pro pignoribus obligauit, monachos superbè, parcè, duriter habuit, propinquis, & adulatoribus cetera promisit, merito vt eum flagellum iræ DEI vocarint posteri. Igitur cùm ad summum peruenisset, neque jam vltra tolerari posset, vnanimi fratres sententiâ, officio, & dignitate exuerunt, Berchtoldumque ex baronibus à Vvaldsee præsidere jusserunt. Neque longa postea Vldarico vita fuit. Obijt eodem hoc, quo priuatus, anno. Quo pariter tempore, defuncto Diethelmo episcopo, & abbate, Vernerus ex Baronibus ab Stauffe, Constantiensem episcopatum administrare cæpit.

A. D. N. CIↃ. CC. IV.

A. D. N. CIↃ. CC. VI.

A. D. D. CIↃ. CC. VI.

BERCH-



BERCHTOLDVS I.
EX BARONIBVS AVALD-
SE ABBAS HEREMI
DECIMVS QVINTVS.

PRINCIPES Germaniæ bellorum jam fessi legatos ad pontificem pro pace destinauere, Philippi etiam voluntate, & consilio. Comitia post Northausiæ Saxoniæ agitata, quibus interfuerunt pontificis legati. Illis comitijs in hanc itum sententiam, vti Philippi filia Othoni desponderetur. Otho, quamdiu vita socero suppeteret, regno abstineret, defuncto sine controuersia succederet. Acta hæc, diebus natalitijs, anni eius seculi septimi. Anno proximo, Philippus, compositis ex animi sententia rebus, Sueuiam vnicum patrimonium re-

A. D. N. CIↃ. CC. VII.

A. D. N. CIↃ. CC. VIII.

petiturus

petiturus Bambergæ deuertit, vbi cum secordius agitaret ab Othone palatino à Vietelsbach in regio cubili nefariè cõfossus occubuit. Principes regni cùm Francofurti cõueniissent, tollendis discidijs, facilè in Othonem Brunsuicensem consensere, cúm ab eo facere pontificem haut dubitarent. In Sueuiæ ducatu succeſſit Fridericus VI. eo nomine dux, Philippi nepos, rex Siciliæ. Hoc tempore fundatum ab Luitolfo Barone à Regensberg, Grueningæ domino Monasterium Rutti ordinis Præmonstratensis in agro Tigurino: locupletarunt posteà Comites Toggenburgenses, qui sepulturam illic suam elegerunt, alijque plures nobiles. Innocẽtius pontifex, anno nono, procerum electionem, missis Ostiensi, & S. Crucis Cardinalibus, qui Othonem ad accipiendam Romæ coronam inuitarent, comprobauit. Otho Herbipoli conuentum habuit, peragratisque Rheni partibus, magnum prædatoribus, & latronibus, qui licentiam per bella præterita nacti, latè per Sueuiam præcipuè, & totam adeò Germaniam superiorem grassabantur, terrorem incussit. Edictum enim grauissimum in eos superiori conuentu publicauerat, quo nulli omnino cuiusque conditionis, & ordinis parcendum statuerat. Augustæ Vindelicorum iterum conuentu facto Othonem à Vietelsbach Philippi paricidam proscripsit, & ad expeditionem Italicam per Tridentinas alpes se accinxit. Bononiam vsque progressus omnium Italiæ primorum concilium habuit, validumque exercitum sibi comparauit, & Romam rectà iter instituit. Exceptus ab Innocentio, & omnibus Cardinalibus P. Q. R. vniuerso magnificè, & quarto Nonas Octobris in Basilica S. Petri coronatus est, facto Ecclesiæ solito Imperatoribus iurejurando. Sed cùm fidem datam, insolenti libidine, subito profanasset, Ecclesiæ dignitatem, pro eius erga se meritis non modo non tueretur, sed etiam oppugnaret, opida eius caperet, omnia latrocinijs infestaret, ipso tempore, sacro anathemate ab eodem pontifice percussus & imperio exutus est. Anno decimo postremò mortem obijt Vernerus quondam abbas, eo nomine secundus, nono decimo, quam dignitatẽ sponte suâ

A. D. N. CIↃ. CC. IX.

A. D. N. CIↃ. CC. X.

posuerat.

posuerat. Erat Alberti comitis Toggenburgensis filius, Admodum juuenem ob virtutis opinionem Fridericus Imp. Monasterio, vt diximus, præfecerat, modestè, id & magno publico bono per annos prope viginti habuerat. Nam & prædia,& redditus monasterij,quos marcis ducentis obligatos per Varini luxum,& licentiam acceperat, redemit, & in integrum restituit, sacrarium auro, argentoque,& gemmis, & margaritis,vestibusq;, quibus ad altare Domini vsus,pluribus ornauit, & auxit. Pluuialia quinque serica, casiolam vnam coccinam, alteram dalmaticam fieri curauit. Crucem quoque chori maiorem argenteam, quam varijs beatorum relliquijs impleuit. Brachia sanctorum Mauritij patroni, & Dignæ martyris ab S. Vldarico Augustæ episcopo olim accepta, auro, argento, & gemmis cooperuit. Sarcophaga duo S. MEGINRADI, & D. Mauritij nomini dicata perfecit, quibus in sarcophagis has reperio conditas sanctorum,& aliarum rerum sacras relliquias. In sarcophago quidem D. Mauritij. *De brachio eiusdem Diui, & relliquiis diuersis sociorum eius. De ligno S. Crucis,de Præsepe Domini, de Terra, vbi Dominus stetit, cum calos ascendit, de Sepulcro Domini, de Myrrha Domini, de Sepulcro S. Mariæ Virginis, de veste eiusdem quam ipsa fecit. Ioannis Baptistæ, Petri Apostoli, Pauli Apostoli, Bartholomæi Apostoli, Andreæ Apostoli, Iacobi Apostoli. De Cruce S. Andreæ. Stephani protomartyris, Laurentij martyris. De corpore S. Iusti, & dens eius. SS. Innocentium. Dionysij sanguis, & sociorum eius relliquiæ, Sebastiani martyris, Bonifacij episcopi, & martyris, Cyriaci diaconi, Sixti papæ, Georgij martyris, Gereonis martyris, Marci Euangelistæ, Felicis & Regulæ martyrum, Vrsi mart. Vincentij mart. Alexandri papæ & mart. Valerij mart. Hippolyti mart. Senesii mart. Valentini mart. Genesij mart. Cosmæ, & Damiani martyrũ, Gordiani, & Epimachi mart. Marcelli papæ & mart. Heraclii mart. Fabiani papæ & mart. Lazari, Remacli Episcopi, Policarpi presbyteri, Gregorii pap. Honorati, Geminiani episcopi, Germani episcopi, Brictii episcopi, Calesti, Arnualis, Diffiboldi,*

Fridolini

Fridolini confessoris, Galli confessoris, Othmari abbatis, Benedicti abb. Columbani abbatis. S. *Gemini, Amandi confessoris, Affræ mart. Hilariæ mart. de capillis diuæ Magdalenæ, Agnetis virg. & mart. Agathæ virg. & mart. Felicitatis mart. Fidis virg. & mart. Babylæ virg. & mart. Verenæ virg. Ceciliæ virg. & mart. Othiliæ virg. Petronellæ virg. Eutropiæ mart. Eunomiæ mart. Arinæ virg. de capillis S. Radegundis.* In sarcophago verò S. MEGINRADI. *Corpus S.* MEGINRADI, *de præsepi Domini, de sepulcro Domini, de spongia Domini, de Caluariæ loco, de monte, quem Moyses vidit, ardentem, de vestimentis Domini, de costis S. Mauritij, & de eius vexillo, & de relliquiis commilitonum eius, Ioannis Baptistæ, Petri apostoli, Simonis, Cornelij, & Cypriani, Tiburtij mart. Clementis papæ & mart. Xisti papæ & mart.* Multa quà ad ornatum, quà ad splendorem, pietatisque incitamenta, & sacrorum officiorum administrationem idem Vuernerus instituit, ædificijs quoq; varijs monasterium illustrauit. Leges postremo, suffragante Collegio, quæq; ad victũ, quæq; ad amictũ monachorum sumtuarias tulit, Monasterij magnum oeconomum, totius conuentus optimum parentem se gessit. Legum fragmentum hic adponere precium arbitratus sum, vt quæ tum disciplina habuerit, qui mores fuerint sit manifestum. Illud ita habet.

P*Lacuit, ea quæ tempore administrationis nostræ ad necessitatem, recreationemque fratrum sollicitè ordinauimus, præsenti paginæ imprimere, quatinus à successoribus nostris sub perpetuâ firmitate inconcussa custodiantur. Adoptantes etiam, vt si qui ea temnere, infringere voluerint, aternâ pœnâ puniantur. Statuimus ergò ex communi consensu fratrum & consilio, quatinus ea, quæ præsens pagina declarat, sine omni cunctatione de Vestiario fratribus persoluantur. Singulis itaque annis quinque linteamina dentur fratribus, singula octo vlnarum, quæ ex tali panno fiant, cuius vlna sufficiẽter solidum apprecietur. Hæc autem cum cooperturis totidem semper dabuntur his fratribus, qui eo anno secundum terminum vicis suæ cooperturas accipiunt. Statui-*

mus præterea cuilibet fratrum singulis annis xx. solidos pro lineo panno, atque duas caligas ex optimo pano, quo Claustrales vtuntur, ex altera dimidia vlna constantes, nec non & pilleos omnibus indifferenter in secundo anno secundum quantitatem sufficientes, secundum materiam ex optimis agninis pelliculis. Pellicia quoque singulis annis omnibus fratribus dentur. Tunicæ verò, & cuculle, prout necessitas expostulauerit, ex eleganti materia, decenti formâ, officiosissimè ministrabunt. His decreuimus adijciendum, Vt pueri in secundo anno singuli noua pellicia accipiant. Tunicæ verò & cuculle, & caliga que ipsis conueniant, acquirantur. Decreuimus præterea, vt ter in anno calciamenta accipiant, scilicet in Natiuitate Domini, cum filtris, & soccis. In Pascha cum soccis. In Assumptione sanctæ MARIÆ cum soccis pueri cum fratribus. Manutergia, mensalia, cochlearia, luminaria in mensa, ac ciphos, piper, mel, ac cuncta lectisternia à Vestiario accipiant, tam fratres, quam hospites, exceptis pauperibus. Tria beneficia, vt notum est, fratribus in anno persoluat. Omnia, præter victum, fratribus ammministret. Cetera quæ subsequuntur, & ad victum pertinent, ab Abbate, & Præposito, ac ipsorum sequacibus persoluantur. Ex feodalibus beneficiis, quæ in nostro tempore iuri nostro cesserunt, pro remedio animæ nostræ, & dilectione fratrum præscripta, & subsequentia cum consilio fratrum ordinauimus. Decreuimus in qualibet summa festiuitate laboriosos panes dari fratribus, quod vulgò Breza appellatur. A fratribus etiã impetrauimus, vti in die Palmarum præparent se in Cappis, quod anteà minimè fiebat, quibus eadẽ die vndecim solidos ex feodo cuiusdã militis de Leginanch, dentur in vsum piscium constituimus. Deinde etiam de quodã feodo cuiusdam militis in Sibenechen sito, quod etiam nostro iuri cessit in anniuersario nostro fratribus seruiri in vno copioso ferculo pisciũ, & propinatura boni vini iussimus. Et huius ministerij dispẽsationem Magistro infirmorũ iniunximus. His adiũgimus octauã sancti Mauritij Patroni nostri sub pleno officio celebrari, & ipsâ die quindecim solidos pro ferculo piscium, & propinatura

boni vini de decimatione in Mose, quæ etiam erat feodum militis. Relationem beati MEGINRADI martyris de Augia ad nos sub pleno officio celebrari instituimus, atq; ipsâ die caritatem fratribus in copioso ferculo piscium, & bono vino propinaturam decernimus. Hæc autem ex viginti solidis, quæ etiam ex feodo, & decimis in Ride persoluuntur. Post hæc accidit Vdalricum villicum de Phasinhouen mori, virum diuitem, & opulentum, ex cuius beneficiis, quæ in feodali iure possidebat, charitatem fratribus in qualibet Dominica per totum annum dispensauimus. Ordinauimus autem de villicatione prædicti Vdalrici, quatenus in feria quarta per totum annum pisces indubitanter à fratre, quem communis caterua fratrum elegerit, ministrentur. Qui pisces exhibendi sunt de rusticana præsentatura, quæ vulgò VVisunga dicitur, atq; de duabus piscaturis, quarum prima est Raprechtsuuilare, secunda Friginbach. Si autem prædictarum Dominicarum, aut feriarum aliquam festiuitas occupauerit, in qua Præpositus teneatur seruire, prædictus frater in altera die suppleat. Harum autem refectionum qualibet exhibeatur in piscibus qui quinq; solidis comparentur. Sed quia prædictorum beneficiorum redditus nobis ad quotidianos vsus erãt necessarii, ea quæ dicta sunt ex oblationibus, quæ dicitur gemenda, quia nobis omnibus communis est, fieri iudicauimus, eo scilicet pacto, vt si hæ oblationes in tantum cessauerint, vt supra dicta constitutio inde non valeat exhiberi, ad præfatos redditus reuertatur. Interim Præposito qui in subsequentibus seruire tenebatur, in tantum deposuimus, & ex præfatis oblationibus, dum persoluere potuerint, sicut in prædicta Dominica exhiberi decreuimus. In festo Hilarii, Cathedra Petri, Mathiæ Apostoli, Gregorii papæ, Benedicti abbatis, Marci Euangelistæ, Inuentio sanctæ Crucis. Vdalrici Episcopi, Affræ martyris, Felicis & Regulæ, Matthæi Apostoli, Galli Confessoris, Octauâ sancti Iusti martyris, Vvolfgangi Episcopi, Commemoratio animarum, Othmari Confessoris, Clementis papæ, Cunradi Episcopi, Mariæ Magdalenæ decem solidi, & quartale boni vini tribuatur. Hæc sunt

autem anniuersaria, Tietlant, Imbricus, Vvernherus, Hermann, Heinricus, Seliger, Rudolf, Ger, Vvernherus, Rudolfus, Vvernherus. In festo B. Agathæ, de quadam nouella quàm acquisiuimus, anniuersarium Vdalrici, ac successorum suorum celebrari iussimus. De mensura potus hanc constitutionem ex communi petitione fratrum promulgauimus, quatenus viginti eminæ ex quartali vini Turgensis mensuræ fideliter exhibeantur. Deinde plantatores vineæ facti sumus in Lugatum. Præterea à domino Maffrido de Siggigin quoddam prædium in eadem villa, & alias centũ quinquaginta libris, insuper diuersis beneficiis coemimus, de quo plenum atq; copiosum fratribus seruitiũ in festo B. Iusti martyris ordinauimus. Exteriori autẽ familiæ, velut in Anniuersario Othonis Imperatoris dari volumus. Multa prædia, & alias acquisita in quotidianos vsus seruire relinquimus. Maioratus in Riegol, & in Britton, & in Erlibach, & in Fesinchouen, retinuimus. Res Ecclesiæ quas ducentis marcis expositas inuenimus retinebamus. Ædificia nonnulla hic, & alias erigebamus. Quendam etiam militem nobili prosapiâ genitũ, atque consanguineũ nostrum diuersis laboribus, gaza, beneficiis, præbendis, ac diuersis nostris suasionibus vocauimus, qui vniuersum prædium, quod in Utvvilere habuit, sub proprietatis iure nobis contradidit, & ex eodem in anniuersario suo, velut in anniuersario Ottonis Imperatoris fratribus, atq; familiæ copiosum seruitiũ ordinauimus. Insuper in trãslatione beati Benedicti, decem solidi propiscibus fratribus ministrentur.

Vernero Cõstantiæ episcopo eodẽ pene tempore è medio sublato, successor electus Cunradus II. ex Comitibus, siue Baronibus ab Andechisa. At verò in Germania Othonis Imp. excommunicationem Sigifridus Maguntiacensis archiepiscopus publicauit. Et pleriq; principes, quorum nunnulli jam sacramentum puero promiserant, Fridericum Rogierium Siciliæ regem, & Sueuiæ ducem regnare iusserunt, legatosque in Siciliam, qui in Germaniam deducerent, expediuerunt. Pontifex adprobauit. Otho Friderici Apuliam vastauit, anno vndecimo, & hibernis Capuæ exactis, Germaniæ amittẽdæ metu, anno sequenti, Norimbergam peruenit, ibique con-

A.D.N. CIↃ. CC. XI.

que conuentum habuit mox in Thuringiam duxit. Fridericus interea magnis laboribus, & periculis per Alpes Rheticas denique Constantiam peruenit. Vbi cùm aliquandiu conquieuisset, Otho, Thuringiâ omissâ, quantâ maximè potuit celeritate aduersarium insectatus in Allemanniam convolauit, Vberlingæque è regione consedit, omnes intercipiendi Friderici occasiones captauit, sed auxilio Comitum Habsburgi, Kiburgi, Rapersvillæ, & aliorum Basileam deductus est. Eum Brisiacum vsque Otho persecutus, cum milites dilaberentur, & plerique nobiles deficerent, desperatis rebus, in Saxoniam inglorius recessit, anno duodecimo. Sequenti, Fridericus, Haginoâ, quæ se oppossuerat, expugnatâ, cùm se reliquæ circa vrbes, & castella dedissent, Rheno secundo, ingenti principum comitatu, Aquisgranum tetendit, ibique coronatus est. Etsi verò Berchtoldus abbas magna cum satisfactione hucusque Monasterij clauum tenuisset, eximiâ quâ erat eruditione, & prudentiâ, integritateque, ætate tamen, aut morbo, aut vtroque (breui enim post obijt, anni sequentis Nonis Aprilis) siue alia quæcumque caussa fuit, neque enim de ea re aliud certius adfirmauerim, administrationem, & dignitatem simul deposuit, pridie Kalend. Iunij huius anni, fratribusque legendi alium quemcumque probauissent potestatem fecit. Lectus Conradus ex Comitibus Dunensibus.

A. D. N. CIↃ. CC. XII.

A. D. N. CIↃ. CC. XIII.



CVNRADVS I. EX COMITIBVS DVNENSIBVS ABBAS HEREMI DECIMVSSEXTVS.

A. D. N. CIↃ. CC. XIV.

FRIDERICVS inde Maguntiaci conuentum habuit, & postea Germaniæ constituendæ animum adjecit. Brabantiam, Mediomatrices, Leodicenses in potestatem redegit, Aquisgranumque rediens pontificis auctoritate, coronam secundo accepit, vtque aliquam DEO, & Ecclesiæ gratiam referret, voto se ad expeditionem sacram obligauit, Comitatumque Siciliæ Fundanum Ecclesiæ in perpetuum donauit, anno decimo quarto. Anno proximo, Innocentius quoque pontifex in Laterano Synodum frequentem celebrauit, omnium

A. D. N. CIↃ. CC. XV.

pene or-

pene ordinum conuentione. Multæ in ea conſtitutiones, in quibus de principum, & regum diſcordia, & diſcidijs Romano pontifici committendis, & terræ ſanctæ recuperatione. Miſſæ toto orbe Chriſtiano literæ, & idonei homines qui Crucem promulgarent, ad eamque capeſſendam, peccatorum remiſſione propoſitâ, accederent. Decretæ quoque ſingulis menſibus generales omnium ordinum ſupplicationes, viris, & mulieribus ſeorſim diſparatis, Truncus quoque in ſingulis Eccleſijs in quem pecuniæ ſubſidiariæ inderentur. Innocentius dein tollendæ inter Genuenſes, & Piſanos diutinæ contentionis Brunduſium profectus diem ſupremũ obijt, anno decimo ſexto, cuius vita ita probata fuit, vt poſt mortẽ, nihil eorum quæ aut laudauit, aut in vitio habuit, immutatũ ſit. Succeſſit Honorius III. Sub idem tempus in Alſatia, & etiam Turgouia hæreſis noua, & pudenda emerſit, adſerentium carnium, & aliorum ciborũ eſum quocumque die, & tempore, tum verò omnem Veneris vſum nullo piaculo contracto licitum, & ſecundum naturam eſſe. Sed coniectis in ignem præcipuis auctoribus breui extincta eſt. Anno decimo de finibus inter Heremitas, & Suitenſes ſupra ducentos annos controuerſiam ſæpius compoſitam, mox reſuſcitatam, & aſperius exercitam, non abſque vtriuſque partis odio ſingulari, & damno, rurſus Comes Raperſvillenſis Rudolfus, Heinrici, cui ex varijs peregrinationibus Vandelbare cognomentum, Heremitarum tum aduocati, & paullo poſt Vettingenſis monaſterij conditoris, frater in hanc ſententiam determinauit.

A. D. N. CIↃ CC. XVI.

A. D. N. CIↃ CC. XVII.

COmplacuit itaque nobis vt a media ſtatione, quæ dicitur Altſyla, vſque ad amnem qui dicitur Dosbach directè, & aſcenſu eiusdem amnis vſque ad eius fontem: & ex parte montis qui dicitur Ouueberg omne latus montis, eiusque cunctam duritiem, de monte de quo Dosbach emanat, ſimiliter & ſecus communem paſcuam quæ in fundo ſita eſt ad ſuperiorem partem. Totum, vt diximus, latus cum ſua duritia Monaſterio, & eius incolis liberâ, ac perpetuâ maneat poſſeſſione.

Et à media parte ſtationis nominatæ, id eſt, Altſyla, ſecus decurſum fluuii Altſyla vſque contra Vurtzen; & inde vltra mediam ſtationem, quæ dicitur Blatten, trans Horgrasen vſque Hoſpitale: Inde vltra Gebrechenberg vſque ad amnem ex inferiori parte medii Albthal proximum; Inde directè vltra montem Schiueruel omnis vicinitas Monaſterii propriè Monaſterio ſubiaceat. Et ab illo lapide vbi Stilleuuag effluit in vtraque parte montis directè, & inde ad omnia ſuperiora hominibus de Suuites liberè, & in perpetuum vtenda permaneant. De prædicta rupe apud Stilleuuag per Mitteſice, & per Geharenſtock vſque in mediam Blatten è contra Vurtzen in Syla totius vtriusque populi habeatur paſcua. Et ex propiori litore fluuii, qui dicitur Minſter reſpicienti ad monaſterium de Stilleuuag vsque Heitigen, niſi quod prius monaſterio in præſenti pagina determinatum eſt, totum ſimiliter ad communem vtrorumque paſcuam deinceps habeatur, vt in omni communi paſcua, nec illis, nec iſtis liceat aliquam proprietatem per tempora exquirere, ſeu vendicare. Teſtes vero hiis interfuere compoſitionibus ego Rudolfus Comes, Cunradus Abbas, Heinricus advocatus, Berchtoldus de Schnabelburg, Arnoldus de Vuarte, Rudolfus de Vuediſvvile, Heinricus, & Ulricus de Bonſtetten, Rudolfus Villicus de obern Vvintherthurn, Vuernherus de Schubelnbach, Rudolfus, & Ulricus de Vvolrouue. Et de Suitz Cunradus Hunno, Vlricus Keſſeler, Vvernherus Vveibel, Heinricus de Ibach cum multis aliis. Vt autem hæc pagina per ſecula authentica, veritateque ſubnixa à nullo dubitari permittatur, ſigilli mei impreſſione eam conſtitui inſigniri. Et ſi aliquis, quod non optamus, eius transgreſſor vmquam extiterit, niſi inſtanti ſatisfaciat, præſenti dignâ vltione, & æternâ puniatur maledictione. Actum III. *Idus Iunij in loco Heremitarum. Anno dominicæ Incarnationis* M. CC. XVII. *Indictione* V. *Regnante Friderico Romanorum Rege ſecundo, anno regni eius qninto: Pontificatus primo anno Honorij papæ. Scriptum per manus Vlrici peccatoris, Anno quinto regiminis Cunradi Abbatis. Feliciter, Amen.*

Anno

Anno decimo octauo, Berchtoldus v. dux Zeringæ, qui Imperialem jurisdictionem vtroque in Comitatu Tigurino, & Turgouiensi tenuerat, fortiterque Burgundiam rexerat, obijt IV. Nonas Martias vltimus suæ stirpis. Cæsar Fridericus & dictos Comitatus, & Tigurum imperio vindicauit, Monasterium inibi, & Ecclesiam, siue Præposituram in suam protectionem suscepit, XVIII. Kal. Aprilis cum Brisiaci in Alsatia ageret. Anno nono decimo, compositis vtcumque regni negotijs, Decembri iam ingrediente, se Cæsar ad expeditionem Italicam accinxit, Romamque, anno sequenti, pervenit, mense Nouembri. Vbi, iam ante ab Innocentio confirmatus, in Vaticano ab Hugulino Cardinali Ostiensi episcopo Imperator II. coronatus est X. Kal. Decembris, Honorij pontif. auctoritate, & iussu. Multas eodem tempore Ecclesiæ possessiones contulit, & nouo se voto adstrinxit ad sacram expeditionem. Cum in Germaniam inde, conficiendis maioribus copijs, anno primo & vicesimo, meditaretur, in Tuscia, & Longobardia res Imperij constitueret, quædam ab Bononiensibus parum Maiestate suâ digna pertulisset, Matthæus quoq;, & Thomas nobiles Comites rebellassent, & supplicij metu ad Honorium pontif. perfugissent, vehementer exarsit, commutatisque repente moribus, posthabitaque iuris, & sacramenti reuerentiâ, sæuire in pontificios cæpit, bona Ecclesiastica occupauit, episcopos, & antistites, qui placerent, alios instituit, alios ejecit, & in Italorum ignominiam, & contumeliam Imperialia ornamenta in Germaniam cum Heinrico filio transmisit. Ob eas res frequenter cum Honorius pontif. nequidquam admonuisset, quidque promisisset, quidque Imperatorem deceret frustra ingeminasset, communione piorum priuauit. Ipse persequendis hostibus attentus, condicto Virceburgi principum concilio, ab ijs Heinricum filium vt Cæsarem designarent, qui per suam in Italia absentiam Germaniæ præsideret, impetrauit. Eum duodecimo ætatis anno Engelbertus Coloniēsis archiepiscopus Aquisgrani coronauit, educandum, & instituendum Ludouicus dux Bauariæ suscepit, anno vicesimo secūdo.

A. D. N. CIↃ. CC. XVIII.

A. D. N. CIↃ. CC. XIX.

A. D. N. CIↃ. CC. XX.

A. D. N. CIↃ. CC. XXI.

A. D. N. CIↃ. CC. XXII.

Biennio

A.D.N. CIↃ. CC.XXIII. Biennio interiecto, Ioannes Hierosolymorum rex auxilia exciturus Romam venit, & ab Honorio magnificè acceptus Fridericum eidē reconciliauit, cum omnia restituturum occupata, crucemque resumturum pollicitus esset. Sed vt firmioribus inniteretur opibus ipsi Friderico vnicam filiam Iolen in matrimonium dedit, dotisque nomine Hierosolymorum regnum, cujus titulo postea omnes Siciliæ reges vsi sunt.

A.D.N. CIↃ. CC.XXIV. Anno vicesimo quinto, Cæsar Heinricus comitia frequentia Francofurti circiter Idus Mai celebrauit. Ibidē patris ex Italia legati paullo post eum in Germaniā rediturum, & pro Syriæ recuperatione alium conuentū acturum nunciarunt. Conradus Cardinalis Portuensis episcopus crebras per Germaniam, eadem super recuperatione, orationes, & congregationes habuit.

A.D.N. CIↃ. CC. XXV. Qui proximè secutus est annus graui, & irreparabili clade Heremitas adfecit. Basilicâ, extra ædem DEIPARÆ Matris, quam suâ manifestâ præsentiâ, ex tanto igne, tutam præstitit, & inoffensam, monasterioque, & omnibus ædificijs per sæuum, & insolitum incendium euersis, & in cineres cum vniuersa sacra, profanaque supellectile redactis III. Nonas Mai. Eoque infortunio desiderata multa pontificum, & Imperatorum, & regum priuilegia, & diplomata, præcipuè Friderici I. Ahenobarbi, & sequentium Cæsarum.

A.D.N. CIↃ. CC. XXVI. Cunradus abbas insigni in aduersis magnanimitate, & in amissis reparandis prudentiâ, subito ad nouam fabricam animum aduertit, suisque partim, tum amicorum, & fautorum opibus, breui in pristinum splendorē basilicam, & cætera restituit. Primo quidem Sacellum supra ædem D.D. Ioannis Baptistæ, & Euangelistæ condidit, illudque, hoc eodem anno, in honorem DEIPARÆ Matris, D. Michaëlis, & omnium cælestium virtutum Cunradus Constant. episcopus consecrauit. In illud relliquias collocauit S. Andreæ Apostoli, S. Mauritij, MEGINRADI, Iusti, Georgij, Vrsi martyrum: Episcoporum Ambrosij, Nicolai, Zenonis, Benedicti abbatis. Afræ, Agathæ, & Margaritæ virginum, & martyrum.

A.D.N. CIↃ. CC. XXVII. Anno vicesimo septimo, condere cæpit Heinricus Comes Raperswillensis Heremi advocatus cum Anna

Homber-

Hombergensi coniuge monasterium Cistertiensis ordinis Vettingæ ad Lindemagum, empto solo ex Hartmanno Dilingæ Comite. Id monasterium vocatum ab eo Maris stella, ex memoria variarum in Orientem sacris bellis, quibus interfuit, expeditionum. Eodem anno obijt Honorius cùm paullò antè D. D. Francisci, & Dominici instituta, & regulas adprobauisset. Successit Gregorius IX. verus Ecclesiæ Christi pastor, & parens, etsi multis eum modis criminatur Cunradus abbas Vrsbergensis, nisi eius exemplaria peruersè Nouatores corruperunt. Multa ab eo constituta. Fridericum verò primo quoque tempore se ad totiens promissam sacrã militiam accingeret, admonuit, qui cum primo adsensus esset, &, ineunte vere, Brundusium, quo Cruce signati conuenirent, nominasset, postea tergiuersaretur, denique ægritudinem, contra omnium notitiam, maximo principum, & crucigerorum, qui aderant, damno, & strage simularet, eumdem excommunicauit, absolutionis beneficiũ tamen, quamprimum soluisset, pollicitus. Igitur tandem multis amicorum, & Heinrici quoque filij precibus victus Fridericus, in Syriam, anno sequenti, transmisit, &, mense Augusto, Ptolemaidem appulit. Soldano AEgyptio de pace nuncios misit. Riualdus interea, quem Siciliæ præfecerat, terras Ecclesiæ inuasit, vrbes, & castella occupauit. Contra eum Ioannem regem Hierosolymorum, cui Hexarchatum Italiæ donauerat, aliosque misit Gregorius, & bellum gerere iussit. Quæ vbi ad Fridericum relata sunt, cum Soldano pacem, & inducias in decennium percussit, anno vicesimo nono, ab eo Hierosolyma, & adiunctum agrum, Ioppen, & nõnulla alia castella recepit, seque regem Hierosolymorum, ferijs paschalibus, coronari curauit. Hinc in Apuliam accelerauit, accitisque nouis ex Germania auxilijs, sua non solùm recepit, sed pleraque Ecclesiæ subiugauit. Magnum tamen Militiæ Theutonicorum Magistrum, & Messanæ episcopum, aliosque præcipuæ dignitatis viros ad Gregorium pro reconciliatione dimisit, qui, accedente multorum aliorum principum virorum interuentu, vtrumque, & pontificem,

A. D. N. CIↃ. CC. XXVIII.

A. D. N. CIↃ. CC. XXIX.

& Impe-

A.D.N. CIↃ.CC. XXX.

& Imperatorem reconciliarunt, reparatis, quæ hic Ecclesiæ intulerat, damnis, anno tricesimo eiusdem seculi. Inde in Germaniam redijt, & contra Heinricum Bauariæ ducē bellum habuit. Sub idem tempus dedicauit Conradus Constant. episcopus nouam ab Cunrado abbate structam basilicam. Habeo auctores qui alterum sub hoc eodem abbate exortum incendium tradiderunt, non tamen ita funestum. Vtriusque ipsum damna, magnâ curâ, & impensâ reparasse.

A. D. N. CIↃ.CC. XXXI.

Anno sequenti, cum Annam vxorem, & quam ex ea susceperat matri cognominem filiam Heinricus comes Raperswillensis amisisset, mœrore, & tædio in monasterium Vettingæ, quod, vt diximus, condiderat, se abdidit, regulamque professus, vitam illic priuatam, & piam egit, neque abbatis munus vmquam, licet maximopere, qui aderant fratres, id precarentur, suscipere voluit. Heremitarum aduocatio, quam hactenus gesserat, ab eo ad Rudolfum fratrem translata. Fridericus, mense Nouembri, in Italiam redijt. Rauennæ hiberna habuit. Anno tricesimo secundo, VIII. Idus Septembris obijt Conradus II. Constant. episcopus. Post eum electus Heinricus de pinu dapifer de Valdburg. Anno tricesimo tertio Cunradus abbas valetudine adfectâ, simul quia prope oculorum vsum per ætatem amiserat, dignitatem resignauit, & anno sequenti, III. Idus Mal. Gangolfi martyris apud Heremitas cultu, & veneratione sollenni, exstinctus est, sepultusque ante altare D. Catharinæ virginis, & martyris, quod condiderat. Claram sui memoriam reliquit, restitutis, ingenti labore, & sumtu, duobus ex incendijs, basilicâ, & monasterio. Malè verò hactenus id quibusdam è nostratibus obseruatum qui Comitem Kiburgensem, & Dunensem vocârunt, & pro Dunensium insignibus, Kiburgensium insignia adposuerunt, cum certum sit primum Kiburgenses Burgdorffum, & reliqua in Auenticis, post Berchtoldum V. & vltimum Zeringiæ ducem, hereditario iure per matrimonium accepisse, Dunensem verò Comitatum multò pòst, exstinctâ Comitum stirpe, ad

A. D. N. CIↃ.CC. XXXII.

A. D. N. CIↃ.CC. XXXIII.

eos Im-

eos Imperiali beneficio peruenisse. Habuit abbas Cunradus fratres plures quorum, eo adhuc tempore, Heinricus episcopus erat Basilienſis. Rudolfus verò archiepiscopum Salisburgenſem agebat. Creatus in eius locũ abbas Anshelmus ex Baronibus à Schuande Glaronenſis regionis. Eodem tempore, interfectus vico Ruano Berchtoldus ex Comitibus S. Montis Episcopus Curienſis. Petitus, qui in Episcopatu Curienſi ſuccederet, ex Heremo Vldaricus ex Comitibus Kiburgi, Vlrici Turgouiæ inferioris, & Lentzburgi, Badæque Comitis filius, Hartmanni, & Verneri Comitum frater. Præfuit episcopatui cum laude annos quattuor.



ANSHELMVS EX BARONIBVS A SCHVANDE ABBAS HEREMI DECIMVS SEPTIMVS.

HAC tempestate Heinricus Cæsar per Fridericipatris in Italia moras Germaniæ res gerebat, juuentâ egregiâ, sed præcipiti, & ambitiosâ. Vnde Mediolanensium vanis promissis, anno tricesimo quarto, facilè aures præbuit, qui coronam, quàm hactenus patri negarant, regimen simul Italiæ pontificis quoque auctoritate pollicebantur, si aduersus patrem, in fœdus vniuersæ pene Italiæ daret nomen. Prætendebant ad illa multis patrem contra Ecclesiam iniurijs omnium in se vertisse odia. Et si ipse neget societatem, breui vtrumque

A. D. N. C. IↃ. CC. XXXIV.

regno,

regno, & Imperio, pontificio hinc decreto, & inde reliquorum iustâ rebellione exuendum. Fædus clam patratum. Quod tamen vbi Friderico nunciatũ continuo in Germaniã, magno comitatu, Rheticis iugis, & primò Constãtiam anno sequenti, mox Basileam, & Colmariam peruenit. Erat Haginoæ Heinricus non absq; metu. Nam patrem, tamquã eorũ quæ gesserat conscium, suspectabat, & licet ab initio multi operam suam promisissent, vbi opus fuit, fermè dilabebantur; qui supererant, gratiam patris deditione arbitrariâ vti quæreret suadebant. Igitur ad Patrem misit qui se in eius potestate futurum promitterent. Fridericus invisum, & inauditum in Calabriam misit, & Consentiæ includendum curauit, vbi paullò pòst obijt. Haut multò pòst in Italiam ipse redijt, quæ mox, vt excesserat, rebellionem inierat, nonnulla opida expugnauit, alia cæpit, & exscidit. Bellum interea, fædere inito, Heinricus Constantiensis Episcopus, Hartmannus Kiburgi, & Diethelmus Toggẽburgi Comites Cunrado abbati S. Galli intulere. Ipse opibus Friderici Imp. qui nonnullis vicinis vrbibus Imperij abbati, suo nomine, adessent imperauerat, nõ solùm episcopum, & socios repressit, sed quas voluit conditiones pacis imposuit. Anno tricesimo sexto, Fridericus multis in Italia, variâ fortunâ, gestis, contra Fridericum Austriæ ducem arma vertit, eumque magis exercuit, quam debellauit. Sequenti anno, primo Ratisbonæ, post Spiræ comitia habuit, vtrobique Cunradum filium, quem Cæsarem designarat, principes adprobarent petiuit, & impetrauit, Aquisgraniq; coronandum curauit pene puerum. Triceſimus octauus annus solis inusitatã defectionem habuit, tenebræ nocturnis per diem pares, non sine præsagio turbarum, & miseriarum, quæ consecutæ sunt. Fridericus enim, constitutis ex animi sententia Germaniæ rebus, in Italiam redijt omnem belli impetum in confederatas ciuitates conuersurus. Pontifex continuo prothonotarium Apostolicum ad eum misit, orans, vt si pacem Ecclesiæ, si suam ipsius benevolentiã, quam multis officijs satis, nec multò antè perspectam habere deberet, tanti faceret, quanti

A. D. N. CIↃ. CC. XXXV.

A. D. N. CIↃ. CC. XXXVI.

A. D. N. CIↃ. CC. XXXVII.

A. D. N. CIↃ. CC. XXXVIII.

Christianum principem facere oporteret, constituta cũ Longobardis ab Friderico auo pacta, & fœdera, quæ neque Henricus pater imminuisset, aut commutasset, & ipse sancta tecta haberet. Missi quoque, eadem de re tres Cardinales, qui omnes frustra fuerunt. *Non enim*, inquit Blondus, *tam Lonbardos quam ipsum pontificem deprimere, & in nihilum dare versipelli ingenio cogitabat.* Itaque primò, præsentibus adhuc Cardinalibus, in Brixianos duxit, eorumque vrbem euertit, dein in Mediolanenses, quos cum socijs eorum, ingenti prælio, superauit. Romæ quoque corruptos promissis aliquot nobilitatis contra Gregorium pontif. concitauit. Igitur cum omnia pontifex tentauisset, postremo multo atrocius ferocientem piorum cœtu exclusit, anno sequenti. Neque minus fœdis interea scriptis sese Pontifex, & Imperator, toto Christiano orbe, dispersis lacerare cœperunt. Et Gregorius quidem facilè sibi obiecta falsa esse ostendit. Tum vero Fridericum ingratum, sacrilegum libertatis Ecclesiæ oppressorem, Siciliæ tyrannum coarguit. Ipsum in odium piorum Saracenos Christiani nominis perduelles fouere, & circum se habere, terræ sanctæ recuperationem impedire, Crucis promulgationem irridere, alia patrare. Non deerant tamen qui quædam in Friderico negarent, alia excusarent, quin summæ nihilominus & superbiæ, & impietatis fuerit nemo bonus, & pius in dubium vertit. Exortæ, eodẽ tempore, Gibellinorũ, & Guelphorum pestes, nominibus ab Cunradi III. regno, & Germania repetitis, de quibus plena scriptorum monumenta. Sed Fridericus furore, & spe, anno quadragesimo, longè, lateque sœuire, ferro, flammâ, vastitate vndique grassari omnibusque cruciatibus enecare, quoscunque aduersariorum in potestate habuit, cœpit. Gregorius pontif. tantis calamitatibus oppressus, omnique humano exutus auxilio ad Deum se conuertit, factaque ex Laterano in basilicam Apostolorum supplicatione, orationem commiseratione, & lacrimis plenã habuit, omnesq; ad Crucem, contra scelestissimum DEI, & Ecclesiæ tyrannũ animauit. Et diuino factũ Numine, vt à quibus toties ipse dissenserat, imminente

A. D. N. CIↃ. CC. XXXIX.

A. D. N. CIↃ. CC. XL.

Vrbe ferociſſimo hoſte, corruptis ab eo præcipuæ nobilitatis pleroſque Romanos tamen in ſuam defenſionem armauit, & ſalutari monimento inſigniuit. Neque tamen Fridericus defuit, muros, & portas omnibus conatibus inuaſit. Repulſus tamen à Crucigeris furens, & fremens omnia extrema in captos exercuit, ſubvrbana ferro, flammaque perdidit. Caſſinenſe quoque nobiliſsimum monaſterium diripuit, monachos profligauit, aurea, & argentea vaſa, & ſacram ſupellectilem in nummos redegit. In omnibus his præcipuâ, ſcilicet Saracenorum, Chriſti hoſtium operâ vſus. In Sicilia haut leuiori inſaniâ contra Eccleſiaſticum ordinem debacchatus eſt. Dum in Sicilia moram facit, procul à metu, paullò quietior Gregorius pro reformatione Eccleſiæ concilium in Lateranum indixit, ſimulq; contra Fridericum, toto orbe Chriſtiano, crucem promulgari curauit, & qui ei adhærebunt, excommunicauit. At vero legati, Cardinales, & epiſcopi, antiſtitesque alij, qui ad Concilium itabant, obſeſſis itineribus, plerique à Cæſarianis intercepti, non pauci interfecti. Neque diu fuit cùm ex Sicilia in Italiam Fridericus trajecit: Fauentiam acriter, menſe Decembri obſedit, in Germaniam pro ſupplemento miſit, auxilium quoque à Tigurinis, & tribus communitatibus Vrania, Siluania, Suitia petiuit. Promiſere militem hæ tres, & eius ſe propugnaturas partes ſi diploma daret, quo diplomate, teſtaretur liberos eos homines eſſe, liberèque, & ſponte Imperatoris dominium agnoſcere, ſe eadem eos in libertate defenſurum, nec abalienationem ab Imperio vmquam permiſſurum. Conceſſit omnia Imperator edicto, eadem in obſidione Fauentiæ, anno eodem & menſe. Sed eodem tempore, pleriſque in ciuitatibus, & vrbibus ortæ inter Eccleſiaſticos, & laicos diſſenſiones, & turbæ; illis pontifici, his Imperatori adhærentibus. Tigurini poſtremo, quidquid pontificiæ partis erat vrbe ejecere, anno quadrageſimo primo, pridie Idus Ianuarij; manſerunque ſine ſacris, & cultu diuino annos vndecim. Fridericus eadem de cauſſa Tigurinis priuilegia multa dedit, regalia, quæ ſola monaſteria

A.D. N. CIↃ.CC. XLI.

possidebant, in opidanos transtulit. Quâ tempestate, cùm Gregorius propter Ecclesiæ, & Italiæ libertatem diu pugnasset, super alia multa, suaue illud, & præcellens Hermanni Contracti ex comitibus Veringe Augiæ monachi ad DEIPARAM MATREM canticum SALVE REGINA MATER MISERICORDIÆ certis officiorum horis decantare in Ecclesia instituisset, mœrore, & tædio exhaustus est. Electus successor Cælestinus IV. non vltra octauum, & decimum diem præfuit. Vacauit hinc pontificia sedes menses nouemdecim, aut viginti vnum; vt alij prodiderunt, donec scilicet Cardinales, quorum magnam partem Melphitano carcere Imperator retinebat, liberarentur. Anno quadragesimo secundo, postremò Fridericus Balduini Constantinopolitani Imper. & Remundi Tholosæ Comitis, aliorumque principum virorum auctoritate, & precibus Cardinales, & ceteros antistites custodiâ exsoluit. Ipsi Sinibaldum Fliscum Lauaniæ Comitem Genuensem, quo Fridericus amico, & familiari vsus erat, tamquam eâ specie pacis, & concordiæ arbitrum, pontificem nominauere, annuente etiam, & adprobante Imperatore, quamquam haut ambiguus futuri, composito responso, de eius electione iudicium eius requirentibus intulerit, cum pontifice hoste acerrimo, se amicum, & benevolentem Cardinalem permutauisse. Sinibaldus Innocentium quartum se vocauit. Circa hæc tempora, & annis sequentibus, Germanicâ linguâ latinis literis publica, priuataque instrumenta scribi cæpta, quamquam jam tempore Caroli M. de referenda in litteras quoquo modo eadem lingua esset tentatum. Germani quoque in sacra ablutione sanctorum, & Latinorum nominibus suos initiare coeperunt, cum patrijs, & barbaris hactenus essent vsi. Anno quadragesimo quarto, Antonius ciuis Rapersvillensis sua prædia omnia quæ vico Hegenouue possidebat permissu, & consensu Rudolfi Comitis aduocati Monasterio nostro donauit, & eadem rursum ab Anshelmo in beneficium accepit. Huius rei in Heremo factum instrumentum cuius testes fuerunt, *Burcardus de Bonstette decanus Heremitarum*,

A.D.N. CIↃ.CC. XLII.

A.D.N. CIↃ.CC. XLIII.

A.D.N. CIↃ.CC. XLIV.

Vlricus

Vlricus de Haſela, Petrus de Vinhinburg, Vernerus plebanus de Oberkilche, Heinricus de Nuole, & P. de Buchs plebani, Heinricus de Uerdegke, de Enievillermilites, &c. Ind. 11. Anno quadrageſimo quinto, Innocentius pontif. operâ maximè Balduini Imper. ſerio cum Friderico de pace agere cæpit, & Caſtella opidum, quo arbitri conuenirent, dictum. Cum verò inſidias ſibi, & verba tantum dari certo certius perſpiceret, auxilio Genuenſium, & Sabaudiæ Comitis, cui neptem deſponderat, in Galliam aufugit, Lugdunumq; concilium conuocauit. Eo in Concilio, cum Fridericum fruſtra ſæpius citauiſſet, omnium, qui aderant, conſenſu Eccleſiæ hoſtem pronunciauit, honore, & dignitate Imperij, & Siciliæ regno exuit, publicâ ſententiâ, editâ XVIII. Kal. Septemb. Miſit hinc ad principes in Germaniam vt regem alium nominarent. Anno ſequenti, nonnulli procerum Virceburgi conuenerunt, & Sigefridi Moguntini archiepiſcopi ſuaſu, & auctoritate Heinricum Haſsiæ, & Thuringiæ Landgrauium regnare iuſſerunt. Is, collecto quamprimum exercitu, contra Cunradum Cæſ. qui per patris abſentiam Germaniæ præerat, duxit, proelioque prope Francofurtum ſuperauit, & Germaniâ expulit, Nonis Auguſti. Arma hinc aduerſus Friderici ſectatores circumtulit. Sueuiam anno ſeptimo & quadrageſimo, vtrique maximè fidam, tamquam hereditariam, vaſtauit, Rietlingam fruſtra oppugnauit. Vlmam mox obſidione vallauit, qua in obſidione ſagittâ petitus, cum ad vulneris dolores dyſenteria acceſſiſſet, ſiue inditum inter medicamenta venenum fuit, paucis diebus exceſsit. Reſcripſit ſubitò Innocentius vt alius in eius locum ſubſtitueretur. Principio anni ſequentis, multis tandem eius litteris, & hortatibus, pauci principum Noueſij Gulielmum Hollandiæ Comitem Cæſarem dixerunt. Is Belgarum maximè opibus, & Cunradi Colonienſis archiepiſcopi fauore exercitum Francofurtum, antiquâ conſuetudine, deduxit, vbi aliquantiſper cum ſubſtitiſſet Aquisgranum regreſſus coronam regni Germanici ab eodem Cunrado accepit. Hoc eodem anno, defuncto XII. kalend. Septemb. Heinrico Con-

A. D. N. CIↃ. CC. XLV.

A. D. N. CIↃ. CC. XLVI.

A. D. N. CIↃ. CC. XLVII.

A. D. N. CIↃ. CC. XLIIX.

stantiæ factus episcopus eius propinquus Eberhardus dapifer à Valdburg, præsedit an. XXVI. Per Imperij turbas, & dissensiones multa vndique fœda facinora patrata, rapinæ, iniuriæ, incendia, cædes, funera. Aduersus Heremitas præcipuè Vernerus ab Horenberg, nullaque alij fuere. Quos ea de caussa cum Anselmus apud Constantiensem episcopum accusauisset, neque quidquam remitterent, aut restituerent, vt piorum cætu, excommunicationis latâ sententiâ, excluderet, impetrauit. Quam sententiam, quo validior esset, ab Innocentio pontif. confirmari curauit. Pontificiæ bullæ editio facta Lugduni III. Nonas Martij, pontificatus anno sexto, Christi liberatoris post millesimum, ducentesimum, quadragesimo nono. Quo tempore graue natum in Turgouia inter episcopum Constant, & Abbatem S. Galli dissidium. Quæsita vtrimque in bellum auxilia, & illi, opes ex trãsrhenanis maiores: abbas ducibus antistabat, adscitis Comitibus Rudolfo Habsburgensi, Rudolfo Rapersvillẽsi, Hartmanno seniore Kiburgensi, Glaronensibus quoque, & Suitijs. Prælij loco, dieque constituto, cum vtrimque vires supereſſe ad victoriam viderentur, & omnes eo tenderẽt, jamque in eo essent, re inopinatâ, Rapersvillensis prudentia pacem, & amicitiam inter antistites redintegrauit. Fridericus interea relicto, qui Longobardiam regeret, Entio filio notho, multis frustra tentatis contra pontificios, & retro fluentibus omnibus, in Apuliam ægritudine correptus se recepit. Entius cum iussu patris Friderici ferret auxilium Mutinensibus cum Bononiẽsibus apud D. Ambrosij pontem congressus in hostium potestatem venit, nullaque re, vt dimittatur, impetrat, cum pater minis, dein precibus, & precio deprecatoribus vteretur, cum tantum auri pro redimendo filio polliceretur, quãtum ad Bononiæ moenia circulo aureo cingenda suffieeret. Sic captiuus XXII. annos, menses IX. dies XVI. tenetur, aliturque regio more publicâ Bononiensium impensâ. Sic defunctus magnificentissime, ac pientissime funeratus est, & tumulatus, præterea & simulacrum in perpetuum & hosti, & captiuo monumentum S. P. Q. Bononiensis

A. D. N. CIↃ. CC. XLIX.

nienſis poſuit. Hæc quidem nos ferme ex eius epitaphio, quod cum cura aliquando legimus, imò exſcripſimus, in defenſionem quidē optimæ, & humaniſsimæ ſtudiorum etiam noſtrorum matris: quando alij fermè plerique longe aliter de hac captiuitate tradiderunt, ſimul vt aliquam benevolentiſsimæ Ciuitati grati, & beneuoli animi ſignum, & teſtimonium exhibeamus. Qui ſecutus eſt annus quinquageſimus clarus fuit Friderici morte. Fato defunctus eſt xiii. Decembris, valetudine, aut Manfredus nothus, injectis inter quieſcendum puluillis, exanimauit in Florentino caſtello Apuliæ, haut procul Luceriâ ſito, ætatis quarto & quinquageſimo. Vbi nuncium eius mortis accepit Cunradus Cæſ. qui in Germania cōtra paternos hoſtes bellum gerebat, continuò in Italiam, retinendis Siciliæ, & Neapolis regnis, maturauit. Poſtea qui ſucceſſerūt annos fermè ſcriptores meliores ad Rudolfum vſque Habsburgenſem in interregno poſuere, quamuis non defuerint, qui ſe reges nuncuparunt Cunradus, Heinricus, Richardus, Alfonſus. Eorum ſequi judicium inclinat animus, eo magis quia nemo eorum communi conſenſu principum electus, aut totius Germaniæ potitus eſt regni. Sequenti anno, quo maior honos, & veneratio accederet ad ædem DEIPARÆ Matris in Heremo ſitæ Innocentius pontifex viſitantibus pietatis cauſsâ feſtiuis Chriſti liberatoris noſtri, & Virgineæ Matris, itemque in diebus Dedicationis peccatorum relaxationem promiſit, bullâ ſingulari, Pontificatus ſui Anno octauo. Cunrado interim in Italia morante, multæ paſsim ex eius abſentia, quaſi nemine regente, & vulgatâ per libidinem agendi licentiâ, exortæ cōtentiones, & turbæ. Ob ea Tigurini, Suitenſes, & Vranij fœdus in tres ſequentes annos tuendis ſuis opibus iurauere, Tigurini xvii. Kal. Septemb. Nec multo pòſt, ingrediente Nouembri, redijt in Germaniam Cunradus, Heinricique Bauariæ ducis cognati fauore, & opibus magnum exercitum comparauit, hiberna Ratisbonæ habuit. Vbi eius aduentum, & decertandi animum percepit Gulielmus, magnis itineribus Ratisbonam verſus ſub initium anni quinquage-

A. D. M CIↃ. CC. L.

A. D. N. CIↃ. C C, LI.

ſimi ſe-

A. D. N. CIↃ. CC. LII. simi secundi tetendit. At ille cognito plerosque principum à se abalienatos rursus in Italiam aufugit. Anshelmus hoc tempore certâ frumenti quot annis mensurâ decumas Monasterij Milani Antonio ciui Rapersvillensi concessit, ipse contra dedit marcas argenri quadraginta in id pactum, vtsi promisis fidem destituisset, pecuniâ illâ caderet: sin easdem decumas repetere vellet abbas, argenti restitutione Antonius, interim commodum suum ex ijs quæreret. Eius reifactum instrumentum octauo ante Purificationem DEIPARÆ. Testibus *Rudolfo comite Rapersvillensi aduocato cuius permissu, & consilio id factum, Rudolfo parocho de Vstri, aliis.* Erat tum Heremi Custos Burchardus ex Baronibus à Vulflinge. Anni sequentis XI. Kalend. Iunias diem Neapoli extremum obijt Cunradus languore animi, alij eiusdem Manfredi dolum existimauere. Reliquit ex Elisabetha Bauara filium vnicum Cunradinum Siciliæ, & Neapolis regem. Innocentius pontif. mortuo vtroque Friderico, & Cunrado, in Italiam redijt, breuique patrimonium Ecclesiæ, nemine resistente, recuperauit. Neque multò pòst Neapoli defecit anno quinquagesimo quarto. Successit Alexander pontifex IV. pater pauperum. Hoc anno, consecratum fuit templum, & monasterium sanctimonialium, apud Montem Angelorum quod sub Heinrico abbate quarto Heinricus presbyter, & Parochus Buochsi suis opibus ante annos ferme tringinta condere cæperat. Sequenti mox die, id est, Idibus Iunij, quod, his sanè turbidis, & infestis pietati, atque relligioni temporibus, memorabile visum, sacro velo ibidem indutæ supra quadraginta virgines. Anno sequenti, Alexander Manfredum paullò antè in gratiam ab Innotio receptum, ne quid contra auctoritatem Ecclesiæ adtentaret, commonuit. Ipse non solum non paruit, sed continuo etiam copias coegit, Saracenos maximè contra eum duxit, legatum Apostolicum superauit, multosque regni Neapolitani primores ad deditionem compulit. Per præterita bella, & discidia cum Cæsarianas partes sequuntur, & defendunt Rudolfus, & Hesso barones ab Vsenberg terræ Brisgouiæ

A. D. N. CIↃ. CC. LIII. Anni

A. D. N. CIↃ. CC. LIV.

A. D. N. CIↃ. CC. LV.

quædam

quædam monasterio nostro intulerant præcipuè in eadem Brisgouia, in qua, eâ tempestate, amplas possessiones habebamus, vnde vt Anshelmo aliquatenus satisfacerēt feodum quoddam duorum millium piscium, quod ab eo, cum alijs pluribus feodis, & beneficijs, possidebant, Rudolfus in ipsius Anshelmi; Hesso in Alberti de Bieterthan ab ipso eadem de caussa destinati manu resignauere, cum omni, quo hucusque vti, frui potuerant iure. Cuius rei instrumento præter sua curarunt sigilla adiungi episcopi Basilienſis, Conradi de Fridberg, & Rudolfi Rapersvillæ Comitis, in præsentia testium Vlrici nobilis de Eystat, Petri de Stoeffen, Valteri Dapiferi, militum, anno quinquagesimo sexto. Gulielmus, eodem tempore, tamquam Imperij securus, comitia Coloniæ ante diem v III. Kalend. Iulij habuit, & inter alia in proximam Quadragesimam expeditionem Italicam pro coronatione indixit. Audito deinde Frisiorum motu, in eos arma conuertit, dumque egregius animi agmen præcedit, locaque per paludes periculosa tentat, casu equi conflictatus, aut ab Frisijs, qui in arundineto exploratores consederāt, pro gregario interfectus v. Kalend. Ianuar. seq. Ex eius morte, & turbarum metu, sexaginta secundum limitem Rheni vrbes, & opida, multique nobiles, & proceres regni fœdus contra quamcumque vim, & præcipuè latrocinātium impetum, & rapinas concluserunt, in quibus Basilea, & Tigurum. Anno quinquagesimo septimo Imperij primores post Gulielmi cædem per discessionem duo Cæsares nominauerant, alij Richardum Cornubiæ comitem regis Angliæ fratrem, alij Alfonsum x. Castellæ regem cognomento Sapiētem, Astronomicis à se conditis tabulis celebrem. Anglus ab Colonienſi archiepiscopo coronatus Basileam vsque ascendit, neque multo post, deficiente sumtu, & qui creauerant ad sua quique receptis, in Britanniam redijt. Ad Alfonsum qui electionem eius denunciarent missi Eberhardus Constant. episcopus, & Berchtoldus S. Galli abbas. Is eorum, & cæterorum principum de se opinionem magnâ alacritate amplexus, ne inire Imperium posset varia post cum Mauris bella

A. D. N. CIↃ. CC. LVI.

A. D. N. CIↃ. CC. LVII.

præpedi-

præpediere. Hac dissensione, & Schismate regni, cùm inter plures imperantes, nemo qui regeret adesset, cuncta pro cuiusq; libidine procederent, tres Communitates, Vrania, Suitia, Siluania Rudolfum Comitem Habspurgi & Landgrauium Alsatiæ suis rebus defendendis præfecere, magna ea tempestate virtute, & belli laude principem. Biennio post, Rudolfus Baro à Vedisvilla, cùm liberos nō haberet, de amicorum consilio, quas possidebat Milani Heremitarum beneficio Vinearum decumas, Anshelmo cùm earum vice tres & sexaginta argenti marcas accepisset, restituit, omnique suo, & posterum iure sponte cessit. Ait enim. *Sciant igitur tam præsentes, quàm posteri, quod ego Rudolfus de Vedisuuile vini in Meylan quas à Monasterio Heremitarum in feodum habui, & possedi amicorum meorum consilio in manus domini Anshelmi Abbatis Heremitarum libere, & voluntarie resignaui, & cessi omni iuri, quod mihi in eisdem decimis competebat, vel competere videbatur, maxime cum tunc temporis filios non haberem pro qua etiam resignatione, & cessione summa sexaginta trium marcarum argenti mihi à dicto domino Abbate, & suo monasterio est refusa. Renunciaui itaque pro me, & meis hæredibus seu quibuslibet successoribus omni actioni, impetitioni & repetitioni contra Monasterium heremitarum super præfatis decimis quo minus pacifice, & quiete dicta Ecclesia Heremitarum supradictas decimas per meam venditionem ad ipsam reuersas, deinceps valeat, & debeat possidere. Et vt hæc aput posteros, & præsentes firma permaneant tradidi hoc instrumētum sæpe dicto domino Abbati, & suo monasterio cum sigillo domini Rudolfi Comitis de Rapersvvil, & etiam mei sigilli munimine roboratum. Acta sunt hæc apud Phesimon iuxta lacum Thuricinum Anno domini Millesimo, ducentesimo quinquagesimo nono Indictione II. III. Idus Februar. in præsentia testium qui subscripti sunt. Supra nominatus dominus Anshelmus Abbas Heremitarum, Rudolfus Comes de Rapersvvil, Rudolfus Scholasticus Heremitarum, Arnoldus capellanus de Rapersvvile, Conradus plebanus de Buchs H. vicecapellanus in*

A. D. N. CIↃ. CC. LVIII.

A. D. N. CIↃ. CC. LIX.

nus in Tuggen, Eberhardus vicecapellan⁹ in Uffenoue, Vuernherus de Oberkilch, Io. plebanus de Grabes, Ro. de Matzingen, Rom. de Ruchenſtein, Albertus de Vrikon, B. Villicus de Kaltenbrunnen, Vlricus de Vuolrauue, R. & H. fratres de Turri, H. de Ebenoche, P. de Rambach milites, H. Scultetus de Raperſvvile, Richuinus de Vuolraui, Nicolaus de Kaltenbrun, C. de Humbrechtikon, H. dictus Sidelle, C. de Borſinkon, R. dictus Ebol, Vlricus miniſter de Vuediſuuile, & aliquam plures.

Erant vero hi teſtes, excepto Rudolfo Comite advocato, Anshelmi, & Monaſterij noſtri ferme omnes miniſteriales & fiduciarij, obnoxijque, nobiliſſimis familijs oriundi. Ab prædicto vero Rudolfo Barone Vædiſvillano crediderim Vædiſvillam eius dominium peruenisſe ad Ordinem S. Ioannis Hieroſolymitani.

Eodem anno, ſupradictus Rudolfus Comes Raperſvillæ aduocatus noſter monaſteriū ſanctimonialium Ciſtertienſis ordinis Vurmsbach, quod paullo ante ex caſtro ſupra Raperſvillam ad lacum Tigurinū eiusdē nominis, eō diderat, voluntate, & conſenſu vxoris Mechtildis, & filij Vincentij, dotauit IV. Idus Octobris. Idem Bollingam antiquum quondā tempore S. MEGINRADI monaſterium exruinis, & ruderibus inſtaurauit, ſanctimonialibusque Præmonſtratenſis ordinis tradidit, V. Idus Decembris. Bollinga multis poſt annis coli deſijt. Cauſſas ignoro, niſi fuerint bella, & temporum miſeriæ. Quæ eius fuerant Vurmsbacenſi adiuncta. Mediâ æſtate anni ſexageſimi obijt tenerâ adhuc ætate Vincētius Rudolfi Comitis F. & Mechtildis vnicus, incredibili parentū dolore. Nam præter Eliſabetham, quā Ludouico Hombergæ Comiti deſponderāt, prolem aliā non habebāt, & vltimus ſuæ ſtirpis erat, ætate jam ingraueſcēte, Rudolfus. Exceſſit quoq; auctūno proximo pontifex Alexander, cū Bollingenſem inſtaurationē ab Rudolfo factam VI. Idus Iunij confirmaſſet. Sublectus Vrbanus IV. qui haut multo poſt dotationē Vurmsbacenſem etiam ratā habuit, primo ſui pontificatus anno. Sed Comes Rudolfus cum præter Eliſabetham, vt diximus, prolem non

A. D. N. CIↃ. CC. LX.

haberet aliam, multa verò, vltra Heremi aduocationē, masculina monasterij beneficia obtineret, cum Anshelmo egit, anno sexagesimo primo, vtque Elisabetha post suum obitum non modo in aduocatione succedere, sed eisdem beneficijs frui posset impetrauit. Eius rei exstat instrumentū, cuius quia Comitis ingenuâ sinceritate, & Anshelmi generosâ liberalitate plenum pauca subieci. *Nouerint igitur tam posteri, quā præsentes quod ego Rudolfus Comes de Rapersvvil recognosco, & profiteor, quod vniuersas aduocatias, quas super possessionibus Monasterii Heremitarum extra montem, qui vocatur Etzlin, sitis, habeo, vel à me in feodo habentur, à dicto monasterio feodaliter possideo, sicut id a meis progenitoribus, & compatriotis ad meā, & omnium prouincialium noscitur peruenisse, quas etiam aduocatias cum aliis meis feodis à dicto Monasterio habitis de generosa domini Anshelmi præfati Monasterii Abbatis benignitate filiæ meæ Elizabet per manus eiusdem Abbatis obtinui concedi, & assignari, vt post meum obitum tam aduocatiæ prædictæ, quam etiā aliæ meæ feodæ ad eam libere titulo feodi deuoluantur. Omnia etiam meæ feodæ, quæ a sæpe dicto Monasterio Heremitarum, præter aduocatias habeo, & possideo de gratia supradicti domini Abbatis vxori meæ Mechtildi titulo, qui vulgariter Lipdinge dicitur, concessa, & assignata sunt, quo vsque ipsa vixerit nihilominus possidenda. De naulo autem in Vrinckon, & vino in Pfeffickon dilucide protestor, quod illa duo feoda sic possideo, & tali modo teneo, vt, me decedente, siue filios, vel filias reliquero, ipsi nihil iuris habeant in his feodis, sed ad Monasterium Heremitarum redeant apud ipsum sine contradictione qualibet permansura. Et vt hæc firma permaneant, placuit præsentem literā sigilli mei munimine cōmuniri. Acta sunt hæc in castro Rapersvvil, Anno Domini* M. CC. LXI. *quarto Idus Ianuarij in præsentia testium qui subscripti sunt, Rudolfus nobilis vir de Vvedisvvil, Magister R. Scholasticus Heremitarum, Ar. plebanus de Rapersvvil, Vuernherus plebanus de Oberkilchen, Ioh. plebanus de Grabs, Io. miles de Ruchenstein, Ioan: miles dictus Rumor, & C. filius suus, Berchtoldus Villicus de*

Kaltbrun-

Kaltbrũne & Ni filius ſuus milites, R. & H. milites fratres de Turre, Burcardus frater ipſorum, H. miles de Ebnorte, Ar. & Vualt. filij ſui, Heinricus miles de Ouue. B. de Boßinckon, & alii quam plures.

Paucis poſt diebus idem Comes Rudolfus abſumtus eſt: XVIII. Kal. Febr. ſepelierunt, relictâ coniuge Mechtilde grauidâ. Eius morte nunciatâ, tamquam Raperſuillenſium Comitum poſtremi, quia tota Rapersvilla vetus, & pars Nouæ, (cetera ad noſtros pertinebãt) pluraq́; vtraq́; laci Tigurini ripâ, quæ tenuerat Rudolfus, Monaſterij S. Galli beneficia erãt, cõtinuo dimiſit Berchtoldus abbas qui vtroq; in opido, vicinaq́; regione, quidquid ſui iuris aderat, ſuo, & monaſterij ſui nomine vindicarent, manuq́; adſererent. Ciues, & incolæ, vicaniq́ue, quatinus vterum Comitis defuncti vxor ferebat, incompertumq́; erat marem, an feminã enixura foret, tamquam re incertâ, S. Gallenſes refutauere. Ille militem, qui cogeret, expediuit, ductore Valdframo, Volfharti filio Comite Veringẽſi. Sed Mechtildis haut eius conſilij ignara ſubito VValterum Vatij baronẽ ex fratre nepotem Rhetorum tunc potentiſsimum, quo in ſtatu verſaretur, certiorem reddidit, & ſibi extremo in tempore ne deeſſet deprecata eſt. Suitenſium quoq;, & Glaronenſium auxilia ſollicitauit. Coniunctis igitur cum ijs copijs, in S. Gallenſes, qui Marchiam peruaſtabant, impetũ Valterus fecit, breuiq; vltra Lindemagũ, & lacũ repulit, pauci, quatenus omnes ſe ad primũ cõgreſſum in fugã præcipitarunt, interfecti ferro, multos flumẽ, lacusq́; hauſerunt. Peperit paullo poſt Mechtildis puerũ, quẽ ex patris nomine Rudolfum vocauit. Is bellum, & controuerſiam aboleuit. Anno ſexageſimo ſecundo Cunradinus præter Sueuiæ ducatũ, Tigurum quoq; ſibi vindicabat. Eius rei Tigurini cũ Richardum, qui ſe regem ferebat, certiorem feciſſent tum forte Haginoæ agitantem, reſcriptum dedit, quo reſcripto oſtendit Tigurum non ad ducatum Sueuiæ, ſed ad Imperium ab antiquitate pertinere. Et quia eos tamquam rebelles idem Cunradinus proſcripſerat, eadem proſcriptione exemit, Kal. Decembr. regni ſexto. Sequenti anno, Cunradinus

A. D. N. CIↃ.C C. LXII.

A. D. N. CIↃ. CC. LXIII.

postremo Sueuiæ ducatum pene totū recuperauit nemine resistente, cū rebus Richardi parum firmis summa Imperij, qui potiretur, nullus esset. Eodem tempore contra Manfredum tyrānidem in Italia habentem exciuit Vrbanus pontif. Carolum Andegauensem Prouinciæ Comitē Ludouici, qui inter

A. D. N. CIↃ. CC. LXIV.

Diuos colitur, regis Galliæ fratrem. Is anno tricesimo quarto triginta triremibus Massilia versus Romam soluit. Cometes insigni magnitudine ab Oriente ad medium cæli adscendens cum per menses tres effulsisset eadem, qua Vrbanus, nocte extinctus est, mense Octobri. Creatus Pontifex

A. D. N. CIↃ. CC. LXV.

Clemens IV. optimus vtique & eruditissimus, egregius bonorum Ecclesiæ dispensator. Carolum Andegauensem anno quinto, & sexagesimo, coronauit cum vxore Romæ regem Siciliæ, & Neapolis, eumque contra Manfredum animauit, Cunradinum eadē opera exclusit, quasi pater, auusque vtroque regno, per multas quas Ecclesiæ intulerant clades, iure excidissent, Carolus anni sequenti VI. Kal. Martij

A. D. N. CIↃ. CC. LXVI.

cum Manfredo signa contulit, vicitque eum, & interfecit. Deditio hinc omniū facta, & ipse ab Clemente Vicarius Imperij & senator Romæ, gestis ex sententia rebus, declaratus. Anno eodem exeunte, mortalitatem exuit Anshelmus Abbas, antistes sui temporis præcellentissimus, pontificiæ dignitatis, & sui monasterij libertatis defensor acerrimus. Feiconē arcem contra Raperswillēnsium aduocatorum insolentiam, & superbiam exstruxit, tamquam frenum, simul per Suitensia discidia, & bella refugium, eaque fabricā vltra mille quadringentas argenti libras expositi. Palatium ad hoc Tiguri regium condidit. Primus abbatum ab Innocentio IV. pontificalem annulum, & chirothecam, aliaque ornamenta accepit, magnanimus, doctus, disciplinæ monasticæ obseruantissimus. De die obitus non conuenit. Alia monumenta pridie kal. Ianuarij, alij III. Kal. eiusem mensis desideratum, adnotatum seruant. Habuit fratrem Rudolfum qui Castrum auitum Schuande apud Glaronenses insidebat clarum quoq; ea tempestate militiæ virum. Post Anshelmum creatus abbas Vldaricus II. ex baronibus à Vinide, qui custodis tum officium obibat.

VDAL-



VLDARICVS II. EX BARONIBVS A VINIDE

ABBAS HEREMI. XVIII. ET PRINCEPS IMPERII PRIMVS.

HIC Vldaricus est, qui nouo dignitatis titulo, & ipse illustrissimus inter Principes Imperij primus è nostris locum, sedemque obtinuit. Sed quo tempore ipse exornatus fuerit, vbi eo annorum series deducet, memorabimus. Igitur, vti incepimus, quæ eo vsque gesta, & rerum ordinem persequamur. Elegerant Tigurini quoque rerum suarum præfectum Rudolfum Comitem Habsburgi, eoque ductore baronem à Regensperg vicinum paucis annis ad extrema redegerant, debellarant-

que, ſuperant Comites Toggenburgi qui cum barone opes coniunxerant, & ditionem Tigurinam ſæpius vaſtauerant. Illis quoque domandis animum Habsburgienſis adjecit, & eorum arcem Vtznabergam munitiſſimam haut procul opido Vtznaco, vnde non modo in Tigurinos, ſed vicinis quoque & noſtris poſſeſſionibus ac ſubditis damna grauiſsima fiebant, obſeſſam tenuit pene hiemem totam. Poſtremo præſidiarijs deſerentibus XI. kalend. Martias anni Sexageſimi ſeptimi, ſexto, quam copijs circumſederat menſe, occupauit, & incendit, regionemque propinquam, & adiuncta ædificia ſuis præſidijs eius tyrannide liberauit. Menſe ſeptembri ſequenti Cunradinus ex Sueuia, adſerto in ſocietatem Friderico duce Auſtriæ, res contra Andegauenſem repetitum cum exercitu valido in Italiam tetendit, Veronæ hiberna habuit. Proximo vere, Papiam, & hinc Piſas, poſtremo in Apuliam penetrauit, prælioque cum Carolo congreſſus, victus & captus eſt, breuique Neapoli cum eodem Friderico XIV. Kal. Nouembres capitis damnatus. In vtroque nobiliſsimæ Sueuiæ, & Auſtriæ ducum familiæ exſtinctæ. Decembri ſequenti obijt quoque Clemens IV. vacauitque ſedes annos duos, menſes nouem. Annus ſexageſimus nonus, bellis vndique frementibus, turbidiſsimus fuit Sueuia poſt Cunradini cædem in prædam cuilibet verſa, & Rudolfo Comite Habsburgenſe grauiſsimum bellum cum epiſcopo Baſilienſi gerente, & tracta in eius auxiliū tota pene Heluetia. Anno ſeptuageſimo Ludouicus nobilis à Liebeg vendidit Vlrico abbati præfecturam (advocatiam vocat) vici Eredingæ quam Heremitarum beneficium ab Comitibus Rapersvillanis acceperat, multis conditionibus, quibus inter ceteras pollicebatur ſe intra ſexennium effecturū eam vti conditionem ratam Comes habeat: & niſi impetrauerit pecuniam ſe redditurum: ſi in hac quoque mora ſit, Arouiæ ſe donec exſoluatur cum fideiuſſoribus Cunone milite de Liebeg, & Arnoldo filio milite, & Hildeboldo milite de Heidegge obſidem manſurum. Signatum inſtrumentum ſigillo nobilis viri Marchquardi de Volhuſe nec non ſuo, &

A.D.N. CIↃ.CC. LXVII.

A.D.N. CIↃ.CC. LXVIII.

A.D.N. CIↃ.CC. LXIX.

A.D.N. CIↃ.CC. LXX.

Cunonis

Cunonis militis de Liebegge, & Hildeboldi militis de Heidegge Kalend Octobris. Anno Septuagesimo primo tandē post longam vacationem lectus pontifex Theobaldus archidiaconus Leodiensis, qui tunc Ptolomaide cum Oduardo Angliæ rege Ludouicum Galliæ regem exspectabat, vt coniunctis cum Abagaro rege copijs, aliquid contra Saracenos nobile exsequerentur. Nuncio electoris accepto, subito Odoardus naues dedit, quibus in Italiam rediret. Viterbium cùm peruenisset, vbi eum Cardinales creauerant, consecratus, & Gregorius x. dictus præfuit cū laude pene quinquennium, vir in omni vita clarus, singulari rebus gerendis prudentia, & animi firmitudine, humanitate, clementia, largitate in pauperes, & adflictos præstabili. Prima illi cura componēdæ Italiæ, quæ per duarū nobilissimarum ciuitatū, Genuæ, & Venetiarum discidia, & cōtentiones turbabat: Mox Germaniæ, quæ ex schismate, & interregno corruptissima erat; rebusque Orientis instaurandis, quæ post Oedoardi regis reditum, & Ludouici mortem erant perditissimæ. His, alijsq; de caussis Concilium Lugdunum indixit, & anno sequenti magna frequentia celebrauit. Inde seueriſsimo decreto Germaniæ principes admonuit, Cæsarem vti designarent, protectoremque Ecclesiæ, antiqua ex consuetudine nominarent: quod si porro negligerent sese ex alia natione adsumturum, & Imperij decus, & dignitatem translaturum. Igitur anno Septuagesimo tertio ætate iam adulta Francoforti plerique conuenere, tertioque Kalend. Octobris, post varias contentiones contra maximè nitētibus Alfonsi Hispani legatis, Rudolfum de quo diximus, Comitem Habsburgi, & Alsatiæ Landgrauium, qui tum adhuc in obsidione Basilienſi erat, regem Romanorum legerunt. Is subitò cum ijs, quas habebat copijs Frācofurtum, & inde comitātibus Principibus, Aquis granum profectus ab archiepiscopo Coloniensi coronatus est, mox Lausannam ad Gregorium pontificem, vt inter se constituerant, accelerauit. Exacto cum pontifice, qui eo Lugduno venerat, Lausannæ colloquio, anni sequentis initio Basileam, & inde Tigurum se contulit. Illic

A. D. N. CIↃ. CC. LXXI.

A. D. N. CIↃ. CC. LXXII.

A. D. N. CIↃ. C C. LXXIII.

A. D. N. CIↃ. CC. LXXIV.

consideratis quanto honore, amore, veneratione, liberalitate, munificentiâ, antecedentes Imperatores, & Cæsares, nostrum monasterium complexi essent, quantâ relligione, & frequentiâ ob manifestam per tot miracula, & vota DEIPARÆ Matris præsentiã, toto Imperio locus coleretur: quanta postremo monachorum inibi agentium nobilitas, & ortus claritudo, præsidumque sanctitudo, & totius Collegij integritas, & auctoritas esset, Vdalricum Abbatem in Principum Imperij numerum VII. kalend. Februarij primum adlegit, vtque, tamquam Principem, subditi, & monasterio annexi colerent, & obedientiâ agnoscerent, hoc eximio Diplomate sanxit, & imperauit.

RVDOLFVS DEI *gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Vniuersis sacri Imperii fidelibus ad quos præsens scriptum peruenerit gratiam suam, & omne bonum. Stipari cateruâ multiplici inclitorum Principum sacri exornat Imperii Principatum. In multitudine etenim splendescentis cohortis refulget Princeps Principum titulis gloriæ coruscantis. Cum itaque venenabile monasterium Heremitarum Ordinis sancti Benedicti Constantiensis Diocesis per deuotionem puritatis, & sinceritatem fidei præsidentium tantæ gratiæ, tantique honoris à Diuis Imperatoribus, & Regibus nostris prædecessoribus promeruerit incremẽtum, vt quicumque prædicti Cœnobii debeat Abbas existere, idem Imperiali sceptro à Romanorum Rege de administratione temporalium inuestitus Principum consortio debeat refulgere; Nos speculo circumspectionis Regiæ speculantes honorificentiam venerabilis Abbatis Vlrici memorato Monasterio Abbatiæ titulo præsidentis eundem collegio nostrorum Principum aggregantes, Sceptro Regio Principatus apicibus fecimus insignitum. Mandantes vniuersis prædictæ Abbatiæ ministerialibus, militibus, subditis, & subiectis quatenus eidem, tamquam suo Principi, in omnibus ad administrationem temporalium pertinentibus deuote, ac fideliter pareant, & intendant. Datum Thuregi* VII. *Kalend. Febr. Anno Domini* M. CC. LXXIIII. *Indictione secundâ, Regni nostri anno primo.*

Quæ sc-

Quæ secuta est æstate frequentem Norinbergæ procerum regni conuentum Rudolfus habuit. Abfuerunt soli Othagarus rex Bohemiæ, & Heinricus dux Bauariæ. Contra eos Principum omnium arbitrio tamquam rebelles, & publicæ pacis perturbatores decreta omnium arma. Sed alijs negotijs distulit aliquamdiu Rudolfus. Mense Augusto eiusdem anni mortẽ obijt Eberhardus episcopus Constant. Successit Rudolfus ex Comitibus Habsburgi Lauffembergæ Dominus, Basileæ præpositus, Rudolfi regis patruelis. Anno Septuagesimo quinto exstitit qui se Fridericum II. Imperatorem ferret, multosque per dolum seduceret. Accessere vrbes integræ quæ contra Rudolfum fraudulenter opes pollicerentur. At verò rex deprehensum flammis exanimauit, sectatoresque eius, & fautores grauiter multauit. Hinc Basileæ, aut, vt alij tradunt, Maguntiaci mortua vxore Gertruda, secundas cum Anna Hohenbergensi nuptias celebrauit. Eodem tempore Rudolfus de Culma nobilis, & opulentus varia diuersis locis prædia, & possessiones monasterio nostro obligatas redemit, easque ab Vldarico abbate pro beneficio accepit, ea conditione, vt si illi, & vxori Richensæ liberi essent, succederent: sin minus Richensæ genitores, quibus pariter exstinctis, omnia ad monasterium revoluerentur. Acta hæc IX. Kal. Nouemb. Die sequenti extremum diem impleuit Gregorius pontifex multis in Ecclesia, & Imperio præclarè gestis. Post eius obitum XII. Kalend. Februarij anni Septuagesimi sexti creatus pontifex Innocentius V. Is Vldarico abbati bullam misit, qua bulla conuentui potestatem facit Missæ tempore Interdicti celebrandæ, clausis tamen januis, neque pulsis campanis, & nominatim exclusis interdictis, & excommunicatis, dũmodo Conuentus ipse caussam Interdicto non præbuerit. Sed vbi quoque Innocenius IX. Kalend. Iulias esse desijt, pontificem legere V. Idus eiusdem mensis Adrianum V. Qui tricesimum in ea dignitate diem non absoluit. Et factus hinc summus Sacerdos XV. kalend. Octobris Ioannes XXI. dictus XXII. Rudolfus verò res Imperij turbulentas serio con-

A. D. N. CIↃ. CC. LXXV.

A. D. N. CIↃ. CC. LXXVI.

stituere

stituere adorsus, primo Marchiones Badenses, & alios Rheni proceres subegit, direpta per interregnum, aut alienata veris, & antiquis possessoribus reddidit; Ciuitatibus iura sua, aut amissa, vel per vim adempta restituit, omnia fortissimi, & prudentissimi Imperatoris munia impleuit. Inde, quietis Alsatiæ, Sueuiæ, & Franconiæ rebus, omnem belli molem contra Othagarum conuertit, Viennam Austriæ per quinque hebdomadas validè oppugnauit, in cuius defensionem cum ingenti exercitu veniisset Othagarus, depace agi cæptum, & in hanc formulam per arbitros transactum, vt Othagarus Bohemiâ, & Morauiâ contentus esset, Austriam, Stiriam, cetera, quæ post mortem Friderici Ducis occuparat, Rudolfo, & imperio restitueret: Ita pax concluſa est. Othagarus Bohemiam, & Morauiam Imperij beneficia solenni more professus est. In gratiam pariter cum Hungariæ rege redijt Othagarus Rudolfi operâ, & auctoritate. Exeunte Majo anni septuagesimi septimi pontificatum morte finijt Ioannes, octauo dignitatis mense. Eum breui secutus abbas Vldaricus. Tertio Idus Augusti Heremitarum principatum cum vita posuit. Præclarus antistes, & primus, vt vidimus, qui suis meritis, & Heremitarum celebritate, & reuerentiâ inter Imperij principes adscitus. Sunt qui Nouocomi in Insubria obijsse tradunt cum pietatis ergo Romam proficiscereturSuccessit Petrus ex baronibus à Schuande Glaronensis, eâ tempestate, Monasterij Custos. Ioanni quoque in summo pontificatu successor declaratus sexto post mense Nicolaus III. cognomento ex morum integritate Compositus.

A. D. N. CIↃ.CC. LXXVII.



PETRVS



PETRVS I. EX BARONIBVS A SCHVANDE ABBAS HEREMI DECIMVS ET NONVS PRINCEPS IMPERII SECVNDVS.

RVDOLFO Cæsare in superiore Germania occupato, maximè in conciliandis Ciuitatum, & Vrbium ciuibus, & magistratibus cum ordine Ecclesiastico, inter quos ab temporibus Friderici II. grauis discordia incesserat, nec dum conquierat, nuncius de Othagari Bohemi rebellione allatus grauiter accidit. Igitur maximum exercitum ex Sueuia, Harcinia, Elsatia, Brisiacis, Sequanis, Argouia, & Turgouia, totaque pene Heluetia, Tigurinis, & Bernensibus exceptis, confecit, & subitò in

Austriam

Austriam rapuit, invocatoq; Christi nomine, quem Othagarus haut magni faciebat, quos secum habebat barbari etiam irridebant, campo Nidesburgi cum hoste concurrit, ingentique prælio victum interfecit v i. kalend Septembris, feriâ v i. anni septuagesimi octaui. Eodem prælio non modo Austriam secundò recepit, sed Bohemiam quoque, & quidquid Othagari fuerat in potestatem redegit, quam tamen Rudolfus optimus regum Venceslao Othagari filio restituit, & simul in amicitiam, & pacem Guttham filiam matrimonio despondit. Ipsum quia admodum adolescens erat, Othoni marchioni Brandenburgensi interim educandum commendauit, qui ijs virtutibus imbuit, vt post mortem Diuorum numerũ auxisse certa apud Bohemos maneat fama, & eiusdem cultus memoria. Asturiam, & Styriam, & ceteras prouincias filio Alberto regendas interim dedit. Anno sequenti terræ motus Heluetiam præcipuè, & Sueuiam grauiter concussit, multa ædificia dejecit, maxima damna fecit. Auno octogesimo, cum fortè abbas Petrus festo die D. Osuualdi opidi patroni Tugium ad illam, quæ quot annis fieri solet, magnâ accolarum frequentiâ, supplicationem, religionis caussâ venisset, eaque peractâ in DEIPARÆ Matris antiqui opidi sacello cum multis alijs pietati intenderet, inter sæuissima tonitrua de cælo tacta ædes sulfure, fumo, & vapore non solum ipsum, sed plures alios exanimauit, Nonis Augusti. Singulari virtute fuit. Custodis munus antèa cum laude exercuerat, principatus experimentum vitæ breuitas non indulsit, magnâ spe, & desiderio sui exstinctus est. Erat Rudolfi Baronis à Schuande filius, Anshelmi quondam abbatis nepos. Habebat tum fratrem Heinricum Schuandæ Baronem militiæ cingulo insignem. Postquam de eius morte compertum fuit, legere fratres successorem Heinricum ex Baronibus à Guttinge. Præsedit annos x v iii. menses v ii. Paucis pòst diebus, Idibus scilicet eiusdem mensis, excesit quoque pontifex Nicolaus.

A. D. N. CIↃ. CC. LXXVIII.

A. D. N. CIↃ. CC. LXXIX.

A. D. N. CIↃ. CC. LXXX.

HEIN-



HEINRICVS II. EX BARONIBVS AGVTTINGE ABBAS HEREMI. XX. IMPERII PRINCEPS TERTIVS.

CIRCITER Idus Ianuarij electus pontifex *Martinus* IV. coronam triplicem accepit X. Kal. Apriles, insigni adeò sanctitate, vt multi claudi, cæci, muti, infirmi ad eius sepulchrum convaluerint. Eodem anno octogesimo primo, conuentum Rudolfus celeberrimum Francofurti habuit, in quo contra prædones, & grassatores, qui superiorum temporum licentiâ, per Germaniam multi passim sæuiebant, multa decreuit. Eorum post latibula, & arces plerasque euertit. Ad superiora *A. D. N. C1ↃↃ. CC. LXXXI.*

Rheni regressus Haginoam, & Colmariam, aliasque vrbes Imperiales, quæ præterito Othagarico bello auxilia non submiserant, regiasque oblationes dari solitas negitarant, multauit, & ad officium coegit. Bernam, quæ in eadem culpa, obsedit, & petere pacem compulit. Tigurinis, qui de eisdem accusabantur, ob antiquæ præfecturæ memoriam delicti gratiam fecit. Inde ad Comitia, quæ Augustam indixerat, profectus, natalitijs diebus anni octogesimi secundi, consensu principum regni, & interuentu, filios Albertum, & Rudolfum Habspurgi, & Kiburgi Comites, & Alsatiæ Landtgrauios Imperij principes, & Austriæ, Stiriæ, Carniolæ, &c. Duces salutauit. Alberto Elisabetham Meginradi comitis Tirolensis filiam, quem postea Carinthiæ Ducem creauit, collocauit, ab Alberto vero Austriæ ducum, & Archiducum origo. Aestate sequenti, vrbes Imperiales circumvectus Constantiæ, Tiguri, Schafhausiæ, Basileæ, Argentinæ, alijsque ciuitatibus concordiam inter nobilitatem, & ciues conciliauit. Anno sequenti, bellum contra Comitem Montisbellicardi Reginaldum gessit, & ad deditionem coegit. Arma hinc contra Comites Sabaudiæ vertit, qui pleraque Auentici agri opida occuparant, nonnulla eorum recepit. Hoc eodem anno Monasterium nostrum Martinus Pontifex bullâ honorauit. Anno octogesimo quarto, esse postremò desijt Rudolfus Comes Raperswillensis, Rudolfi F. aduocatus noster, vltimus masculi sexus eius nobilissimi stemmatis, cum varijs morbis conflictatus vicesimum tertium ætatis attigisset annum. Hereditatem adijt Elisabetha soror Ludouici Hombergæ Comitis vxor, qui eius nomine, & ex pacto, quod pater Rudolfus cum Anshelmo fecerat, Heremi aduocationem suscepit.

A.D.N. CIↃ.CC. LXXXII.

A.D.N. CIↃ.CC. LXXXIII.

A.D.N. CIↃ.CC. LXXXIV.

Martinus Cum anno sequẽti octauo kal. April. obijsset, successorem habuit idibus eiusdem mensis Honorium I v. Eodẽ anno, suscepit Luitoldus baro à Regensperg ab Heinrico abbate præfecturam, siue aduocationẽ vicorum Telliconis, & Pappẽsolis. Anno octogesimo sexto, Rudolfus Cæs. episcopũ Basilienſem ad Honoriũ pontificem legatũ destinauit. Eã le-

A.D.N. CIↃ.CC. LXXXV.

A.D.N. CIↃ.CC. LXXXVI.

gatione,

gatione, postquam Carolus rex Neapolis vicariatu Imperij, quem Rudolfo invito hactenus vsurpauerat, pontificis auctoritate abdicauisset, Romaniolam, Bononiam, & Exarchatum Rauennatem Ecclesiæ Romanæ donauit. Etruriæ nonnullas ciuitates, acceptâ pecuniâ, suis legibus reliquit, & prætensæ libertati, iuribus Imperij reseruatis. Sed gratus pontifex Heinricum episcopum Moguntiacẽsi Ecclesiæ, sequenti anno, præfecit. Conradus nobilis ab Humprechtico Heinrici abbatis dapifer, varia prædia, & possessiones, quas sub Vldarico 11. abbate Monasterio donarat, sitas Hurdæ, Volrouiæ Feficone, Vadæ, Huobæ, montibus Etzelij, Sonnenbergæ, Schnabelbergæ, alijsque in locis, rursus hoc anno confirmauit, varijs conditionibus, quas in hunc cõstituit modum. *Vt post mortem meam*, inquit, *debonis in Hurden in anniuersario patris mei vnus modius tritici, & in die anniversarij mei vnus modius tritici annis singulis fratrib⁹ in prædicto monasterio* DEO *famulantibus erogetur, & vnus modius tritici eodẽ die in vsus pauperum expendatur. Item de pratis in Sunnenberg in anniversario matris meæ* v. *solidi denarij, & in anniuersario Iudentæ vxoris meæ* v. *solidi denarii, ac de prato sub monte EZZelin in anniuersario Rudolfi fratris mei quatuor solidi denarii prædictis fratribus annis singulis largiantur. Pratum autem sub mõte Schnabelberg ad vsus cedat sacerdotis in Capella sanctæ* MARIÆ *celebrantis. De possessionibus vero in Vuelrouue, & in Erlon, & in dem obern Erlinbach prædictum monasterium in quinq; luminaribus ex oleo factis adornaui, ita videlicet, vt duo per diem luceant, vnum ante Capellam sanctæ* MARIÆ, *alterum vero ante altare publicum: Reliqua tria de nocte ad altaria sancti Benedicti, & S. Crucis, & ad sepulcrum beati Gregorii accendantur, & de residuis possessionibus præscriptis necessitati, & indigentiæ prætacti monasterii succurratur. Vt autem omnia præmissa perpetuâ stabilitate fulcita permaneãt ipsam donationem, & traditionem præsentibus innouo, & ratifico: Inhibens omnibus meis hæredibus sub pœna successionis legitimæ ne contra prædictam donationem, traditionem, ordinationem per se, vel per alios*

veniant verbo, vel facto. Acrenuncio prome, meisque successoribus omni iuri, exceptioni, defensioni, ac generaliter omnibus per quæ præmissa possint vitiari, vel aliqualiter retractari, In cuius renouationis testimonium, & robur præsentem chartam venerandis Dominis meis Heinrico DEI *gratiâ Abbati, & Conuentui Heremitarum prælibatis sigillo honorandæ dominæ Elisabethæ* DEI *gratiâ abbatissæ Thuricensis trado patenter communitam. Acta sunt apud Monasterium Heremitarum Anno Domini* M. CC. LXXXVI. *Kalend. Septembris, Indictione* XIIII.

Ex quo instrumento nemo non intelligit, eo tum quoque tempore, Gregorium Abbatem tertium magna in veneratione, & cultu fuisse, tamquam beatorum ex numero, cuius intercessionem, & merita sæpe suis in necessitatibus mortales experirentur. Anno Octogesimo septimo Rudolfus Cæsar Eberhardum Comitem Vvirtenbergensem bello attriuit, Stuolgardiæque obsessum, Maguntini archiepiscopi intercessione, in gratiam recepit. Deditionem quoque cæteri coniurati Comites fecerunt Helfensteinius, Nellenburgensis, Zolleranus, Toggenburgensis, alij. Eodem anno, circiter Kal. Mal. defunctus vitâ, & pontificatu Honorius IV. vacauit sedes ex eius obitu menses decem, tandem circiter Id. Martias anni consequentis lectus pontifex Nicolaus IV. Is apud Reate frequentissimam Italiæ præcipuè Episcoporum & Antistitum eodem anno habuit Synodum. Ex ea Synodo duodecim Episcopi quadraginta dierum Indulgentias quisque eorum impertiuerunt, certis diebus festis, sacellum sanctorum Gangolphi, & Laurentij in campo Bruel dicto visitantibus, litteris in hanc rem Abbati nostro transmissis. Pro quarum testimonio exemplum infra scriptum est.

A. D. N. CIↃ. CC. LXXXVII.

A. D. N. CIↃ. CC. XII C.

Vniuersis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis ad quos præsentes litteræ peruenerint, Nos DEI *gratiâ Theottiscus Adrianopol. Iohannicius Mocacens. Jacobus Castellanus, Leonardus Penuens. Gregorius Fragusinus, Mancus Ameliens. Vual-*

debrunus

debrunus Auellonens. Perronus Larmens. Petrus Stafensis, Guillelmus Aretinus, Guido Tribunienſis, & Ioannes Oſculanus epiſcopi ſalutem, & ſincerã in Domino caritatem. Vitæ perhennis gloria, quâ mira benignitas conditoris omnium bonorum coronat aciem ciuium ſuperonrum à redemptis precio ſanguinis fuſi de precioſo corpore redemptoris meritorum debet acquiri virtute. Inter quæ illud prægrande dinoſcitur, quod vbiq; Maieſtas Altiſſimi, ſed præcipue in ſanctorũ Eccleſiis, collaudetur. Eapropter nos Chriſti fideles quaſi per præmia ſalubriter invitare volentes ad merita de omnipotentis DEI *miſericordia, beatiſſimæ ſemper virginis* MARIÆ, *necnõ beatorum Petri, & Paulli Apoſtolorum, atq; omniũ ſanctorũ meritis, & precibus confidentes, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis qui ad Capellam ſanctorum Gangolfi, & Laurentij martyrum apud locum Heremitarũ Abbatis, & Conuentus ordinis ſancti Benedicti Conſtantienſis dioceſis in feſtis infraſcriptis, videlicet, Natiuitatis Domini, Reſurrectionis, Adſcenſionis, Pẽtecoſtes, in omnibus etiam feſtis glorioſæ virginis* MARIÆ, *Inuentionis, & Exaltationis ſanctæ Crucis, ſancti Michaelis, Natiuitatis, & decollationis ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Paulli, ſanctorũ martyrum Mauritij, Felicis, & Regulæ, ſancti Nicoali confeſſoris, ſanctæ Catharinæ virginis, atq; in feſtiuitatibus patronorum, & per octauas omnium, & ſingularum feſtiuitatum prædictarum pie viſitantes gratiâ deuotionis acceſſerint, & ibidem verba diuina cum bona deuotione audierint, aut qui ad fabricam, vel ad ſuſtentationem ornamentorum, ſeu luminariũ prædictæ Capellæ manus adiutrices porrexerint, ſeu in extremis laborantes quicquam facultatum ſuarum legauerint, quilibet noſtrum ſigillatim Quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis, dummodo loci dioceſanus hanc noſtrã indulgentiam ratam habuerit, miſericorditer in domino relaxamus. In cuius rei teſtimonium præſens ſcriptum ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandum. Datum Reate in curia Romana, Anno Domini* M. CC. LXXXVIII. *Pontificatus Domini Nicolai papæ quarti Anno primo.*

Et quamuis Episcopi Constantiensis, tamquam hac in parte, vt supra habetur, ordinarij confirmatio non appareat, consumpta haut dubiè tot præteritis incendijs tamen eam pro accepta, & certa nos merito habemus, neque dubitamus quin eamdem ædem qui statis, & nominatis festiuitatibus visitarint, caussâ pietatis, futuri sint participes earum quas prædicti pollicentur, indulgentiarum.

A. D. N. CIↃ.CC. LXXXIX. ANNO octogesimo nono Rudolfus dux Austriæ patris imperio, re inopinatâ, in Bernēses invasit, insidiasq; haut procul vrbe posuit. Illi, aduentu hostis cognito, portis sese nullo ordine, aut jussu effuderunt, in fraudemque delapsi magnam cladem accepere, plurimis cæsis, aut in profluentem Arulam profligatis, donec, erumpente ex vrbe omni multitudine, cedere dux coactus est. Pugna pugnata 1 v. Kalend. Mai, & in ea desideratus ex Austriacis præcipui nominis Ludouicus Comes Hombergæ, maritus Elisabethæ Rapersvillensis, aduocatus noster. Illa post eius mortem sibi, & liberis tutorem sumsit, & rerum suarum præfectum primo Vlricum baronem à Ruseck, mox Hugonem Comitem Vuerdenbengēsem, qui Advocationem Heremi eâdem operâ exercuere. Nupsit posteà secundò Rudolfo Comiti Habsburgensi Lauffenbergæ domino, quo matrimonio Aduocatio eadem ad Habsburgenses translata. Anno nonagesimo Soldanus Babilonius Ptolemaidem post longam obsidionem expugnauit, eaque ratione Christianorum in Oriente Imperium tanto sanguine partum, toties reparatum funditus euertit. Decimo septimo Kal. Augusti anni sequentis, obijt Cæsar Rudolfus, princeps ingenti animo, qui vt antecedentes Germaniæ reges, & Imperatores virtute plerosque attigit, multos superauit; ita posteris multa virtutum omnium exempla reliquit. Dignus quem Austriaci tot clarissimi posteà Imperatores, reges, & principes auctorem, & conditorem habeant. Rudolfi mortem secuta passim bella, & turbæ. Vnde pleræque ciuitates fœderibus opes coniunxerunt, & contra vim se munierunt, aut in potentiorem concesserunt. Elisabetha Rapersvillensis societatem, & amicitiam in tres sequentes

A. D. N. CIↃ.CC. XC. A. D. N. CIↃ. CC. XCI.

annos

annos inijt, cum Tigurinis, auxilia vtrimque, operam, consilia polliciti. x. Kalend. Septemb. petitione Heinrici abbatis confirmauit Nicolaus pontifex omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus suis Romanis pontificibus siue per priuilegia, siue indulgentias monasterio concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum à regibus, & alijs Christi fidelibus indultas, bullâ datâ apud Vrbem veterem, pontificatus anno tertio.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum DEI *dilectis filiis Abbati, & Conuentui Monasterij Heremitarum ordinis S. Benedicti Constantiensis Diocesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus fauorem benignum impertiri. Ea propter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus siue per priuilegia, seu indulgentias vobis, vel monasterio vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, & aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, sicut eas iuste, & pacifice obtinetis, vobis, & per vos eidem Monasterio, auctoritate Apostolicâ, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis* DEI, *& beatorum Petri, & Paulli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Vrbem veterem* x. *Kal. Septemb. Pontificatus nostri Anno tertio.*

Heinricus Schade de Randegge senior decumas Aeschantze quas beneficio ab monasterio habuerat, Heinrico abbati restituit, & ab eo partem prædij Vuildenhausæ accepit XVII. Kalend. Octobr. Principes regni deniqúe Francofurti Adolfum Nassouiæ Comitem regem pronunciarunt XVIII. Kalend. Februarij anni nonagesimi secundi, quamuis non de essent inter eos qui in Albertum Austriacum inclinarent, & etiam præferrent. Vnde inter vtrumque bella, quæ non *A. D. N. CIↃ.C C. XCII.*

nisi alterius morte finita. Et Tigurini quidem monitu Adolfi, ductore Eglino comite Toggenburgio, Vitodurum obsessuri obuium habuere Hugonem Comitem Vuerdenbergensem Austriacum in Turgouia præfectum, qui ab ijs fusus, & fugatus. Cum deinde obsidionem per victoriæ licentiam secordius, & solutius habent, auxiliaque Rudolfi Constant. episcopi opperiuntur, eruptione factâ, ab Vitoduranis stragem maximam acceperũt, pridie Idus Aprilis, amisso vexillo, & omnibus Tigurinis pene interfectis, aut captis. Pax facta inter ducem & Tigurinos, mense Octobri. Pridie Nonas eiusdem Aprilis mortem obijt Nicolaus IV. Vacauitque sedes annos duos, menses tres, dies vndecim. Tertio nonas etiam Aprilis anni proximè sequentis desideratus quoq; Rudolfus episcopus Constant. ex Comitibus Habsburgi, exitâ ætate. Suffectus Heinricus à Clingenberg Rudolfi regis quondam Cancellarius, & tum Episcopus Frisingensis. Albertus dux auxilijs Hugonis Verdenbergensis comitis, Tigurinorumque, Vylam Turgouiæ obsedit, & deditione accepit, quã cum Alberto baroni ab Valdse, & Vlrico à Clingenberg custodiendam tradidisset, paucis post diebus, fortè, an dolo conflagrauit tota. Incolæ omnes, duobus exceptis, Schuartzenbach in opidum ab Rudolfo rege conditum migrarunt. Vastata, eodem tempore, per bella tota pene Turgouia, acceptaque damna haut mediocria in possessionibus ab nostro monasterio. Adolfus, ijsdem diebus, conuentum Eslingæ habuit, pacemque generalem stabilire tentauit. Tertio kalend. Augusti anni nonagesimi quarti lectus tandem Cælestinus V. pontifex, qui mox deceptus ab Benedicto Cardinali Cajetano abdicauit XVII. Kal. Ianuarij insequentis, v. pontificatus mense. Successor vigiliâ dominicæ Natiuitatis, idem Benedictus nominatus, qui Bonifacius VIII. Anno nonagesimo quinto varia quoque per Turgouiam, & Alsatiam bella inter partium fautores fuerunt. Et eodem tempore multi se jam ab Adolfo subtrahebant, & ad Albertum transibant, eo maximè prætextu, quod pecuniam ab Angliæ rege acceptam in priuatum vsum conuerterat,

A.D.N. CIↃ. CC. XCIII.

A.D.N. CIↃ. CC. XCIV.

A.D.N. CIↃ. CC. XCV.

A. D. N. CIↃ. CC. XCVI.

cùm in

cùm in principes Imperij diuidere deberet. Ipſe anno nonageſimo ſeptimo bellum in Argentinenſem epiſcopum geſsit Auſtriacis partibus fidum,& eo armis petitũ,Rubeacum obſedit, & magnis molibus oppugnauit. Interea pleriquc primores,regni Philippi Galliæ regis, vt nulli tradiderunt, pecuniâ impulſi, quia Aeduardo Anglo contra ipſum Adolfus auxilia promiſerat, Maguntiaci conuentum fecere, accitumque Albertum regem contra Naſſouium pronunciarunt, Vigilia D. Ioannis Baptiſtæ anni nonageſimi octaui. Adolfus ea de re edoctus in Auſtriacum copias omnes conuertit, congreſſusque campis Vvormatienſibus,& interfectus VI. Nonas Iulias,Imperium Alberto reliquit, qui recta inde Francofurtum profectus, vnanimi electorum, principumque conſenſu confirmari voluit, & obtinuit VI. Kal. Auguſti. Aquisgrani paucis poſt diebus coronatus, cum, aduerſo Rheno,in Alſatiam rediſſet, Argentinæ res Imperij diſpoſuit, prouincijs præfectos dedit, regalia, & beneficia principum, & nobilium confirmauit. Octauo Idus Nouembris eiusdem anni vitam,& principatum depoſuit ſimul abbas Heinricus. Erat Heinrici baronis à Guttinge vico, & arce octauo circiter ſupra Conſtantiam ad Acronium millari, & Eliſabethæ comitiſſæ Nellenburgenſis filius, ſtirpe, vti vitâ, admodum nobili. Creatus abbas omnibus ſuffragijs Ioannes ex Baronibus à Schuande.

A. D. N. CIↃ.CC. XCVII.

A. D. N. CIↃ.CC. XCVIII.

IOAN-



IOANNES I. EX BARONIBVS A SCHVANDE ABBAS HEREMI XXI.

PRINCEPS IMPERII QVARTVS.

VBI primum Monasterij administrationem iniit IOANNES continuò se Feficonem ad subditorum sacramentum accipiendum, resque constituendas contulit. Ibidem quod sæpius alias tentatum, numquam ad finem perductum, permutationem prædiorum, quæ Heremitæ cum jure patronatus Lielæ, Martiscellæ, & Endenburgi possidebant, cum voluntate, & adsensu suorum concluſit, eaque omnia Petro Beinvillæ abbati tradidit, & ab illo vicissim quidquid Beinvillani Lugsvillæ,

Gosbrech.

Gosbrechtingæ, Vrsvillæ proprietatis, & juris habeant, accepit, vtroque Monasterio in eas conditiones ineunte, quòd possessiones illæ Beinvillanis, hæ Heremitis viciniores, & proinde opportuniores essent. Missus huius mutationis caussa ad Ioannem Feficonem abPetro Monasterij Beinvillani procurator Nicolaus de Malters Canonicus S. Petri Basilienſis. Factum instrumentum in eodem castro, & sigillis vtriusq; episcopi Basilienſis, & Constantienſis, x 1. Kalend. Martij anni nonagesimi noni consignatum. Audito hinc Albertum Cæsarem Constantiam venisse ad eum Ioannes accessit, & paterni de Principatu priuilegij confirmationem obtinuit. Eius hæc forma.

Albertus DEI *gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Vniuersis sacri Romani Imperij fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam, & omne bonum. Ad vniuersitatis vestræ notitiã cupimus peruenire tenore præsentiũ publice profitẽdo, Quod nos venerabili Ioanni genere de Schuanden Abbati Monasterij Heremitarum Principi nostro dilecto Regalia feoda Principatus, quem obtinet per sceptrum Regium, adhibitis aliis solennitatibus debitis, & consuetis liberaliter, & libenter concessimus, & ipsum præsentialiter inuestiuimus de eisdem: Propter quod vniuersis ministerialibus, vasallis, & hominibus prædicti Abbatis damus præsentibus firmiter in mandatis, quatenus ipsi, tamquam suo domino, & nostro Principi intendant humiliter, & pareant in omnibus reuerenter. In cuius rei testimonium præsens scriptum exinde conscribi, & Maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri. Datum apud Constantiam Kalend. Aprilis, Indictione* XII. *Anno Domini Millesimo ducentesimo, nonagesimo nono. Regni vero nostri anno primo.*

Erant Alberto opes validæ, & potentia ingens, quas nobilitatis maximè, & Monasteriorum clientelis firmare, & stabilire moliebatur. Igitur Ioanni, eodem tempore, auctor fuit Aduocationem suiMonasterij Leopoldo filio, quem Germaniæ superiori præfecerat, conferendi. Accepit con-

ditionem

ditionem Ioannes haut inuitus. Nam & Eliſabethæ Raperſvillenſis, ob grande æs alienum, facultates admodum tenues erant (quamuis ea paullo ante, vt eas reſtitueret, Rudolfum Comitem Habsburgi, Lauffenbergæ Dominum ſibi matrimonio adiunxerat) & honorificentius id ſibi, & monaſterio vtilius judicauit, deuinctâ hac quoque ratione Cæſaris voluntate, & totâ Auſtriacâ Domo, habitusque eſt Ioannes, & qui eum ad hæc vſque tempora conſecuti ſunt noſtri monaſterij Antiſtites Auſtriacorum Principum meritò addictiſſimi, & obſeruantiſsimi. Conſtantiâ Albertus Vitodurum ſe contulit, vbi frequentibus de Tigurinorum iniurijs opidanorum querellæ perpulerunt, bellum vti aduerſus eam vrbem ſuſciperet, & circiter Idus Aprilis obſidione cingeret. Tigurini, vt famâ, & quorumdam ſcriptis proditum eſt, cum virorum, & iuuentutis inopiâ laborarent, maximè poſt cladem Vitodurenſem, feminas, & nubiles virgines obarmarunt, dilectumque in vrbe magnificum habuerunt, ſpectãte cum admiratione multitudinem ex monte vrbi imminente Alberto. Ea cauſsa pacis ineundæ, præcipuè cùm Tigurini per legatos omnia promiſiſſent, & alio Cæſarem regni negotia vocarent. Auctumno adulto, abbas Ioannes maioratũ Eſchentzæ, qui morte equitis Berchtoldi vacuus erat, commiſit, & eius curationem Iacobo equiti, tum Frauuenfeldi præfecto, dato in id multis conditionibus priuilegio, eodem in caſtro Feficone, proximâ feriâ v. poſt Michaëlis Indict. III. Ipſe Iacobus viciſsim ſuam, & infirmius teſtimonium Cunradi Schafhauſiæ abbatis fidem Ioanni obligauit Idibus Octobris. Anno milleſimo, trecenteſimo Iubileum, ſiue annum luſtralem centeſimo quoque anno celebrandum primus Bonifacius inſtituit, illumque magnâ celebritate, & toto orbe ad Vrbem concurſu primum hoc anno tranſegit. Cæſar verò Tiguri, primo vere, magnum exercitum conſcripſit, indeque, Rheno ſecundo, contra Maguntiacenſem Præſulem, mox in Batauos, eo debellato, duxit. Anno trecenteſimo primo cometa terribili fulgore totum menſem emicuit. Anno ſecundo Bonifacius

A. D. N. CIↃ. CCC.

A. D. N. CIↃ. CCC.

A. D. N. CIↃ. CCCI.

Pontifex,

Pontifex, siue quia Rex beneficia Ecclesiastica, quibus vellet, conferret,& abrogaret,siue quia Galliæ regnum Ecclesiæ beneficium, vti ipse esse adserebat, agnoscere nollet, aut deniq; sacram expeditionem,quam pōtifex maximè vrgebat,detractabat,legatum pontificium etiam in custodiam conjecerat, vniuersæ Galliæ sacris interdixit, regnum Alberto Cæsari tradidit. Eodem tempore, quia Elisabethâ Rapersvillensi nati ex Rudolfo Habsburgiensi Ioannes & Rudolfus,quo omnis contentio abesset, Comitatum inter eos mater,& Vernerum, quem ex Ludouico Hombergensi præter alios filiū habebat,diuisit, & Vernero Rapersuilla vetus, Marchia, & Vallis Vegi sinistrâ lacus obuenere: Habsburgienses Rapersuillā nouam,& cetera dextræ ripæ tenuere. Omnes Ioāni abbati de illis, quæ vtraq; ripâ ab suo monasterio beneficia, eâdem partitione,consecuti erant,obsequij, & fidei sacramentū dixere: Comes Vernerus quoque fœdus cum Suitijs in annos decem fecit. Anno tertio post trecentesimum Iacobus Baro, & eques à Kienberg fidelitatem,& obsequium Ioanni abbati promisit Kienbergæ arcis, & eius in quo sita est montis nomine, eamque se, & maiores ab Heremitis in beneficium, & annuam cerei libralis ad DEIPARÆ Matris sacellum pensionem possidere adfirmauit IV. Nonas Iulij, Indict. I. Sexto Idus Octobris sequentis defunctus Bonifacius, VIII. Lectus in eius locum VIII. Kal. Nouemb. Benedictus X. dictus XI. Eodem tempore, orta inter Austriacos Castrenses, & Verneri comitis in Marchia subditos contentio in bellum erupit, transitoque Lindemago, Castrorum regionem Comes populauit ferro, flammisque. Eâ expeditione haut mediocria facta in Heremitarum bonis damna, vti & Monasterio Schœnisij, licet vterq; & abbas, & Antistita partem eius contentionis nullam haberent. Factum ijsdem diebus fœdus memorabile inter Austriacos præfectos, comites Habsburgi, Kiburgi, Nidouij,Arbergæ, vrbesque Bernam, Basileam, Argentinam, Friburgum, alias, contra latrones, & grassatores, qui itinera omnia obsederant, & infesta habebant, prædasque vndiquaque agebant. Anno quarto

A. D. N. CIↃ. CCC. III.

A. D. N. CIↃ. CCC. IV.

Cæsar Albertus tribus Cõmunitatibus præfectos duos suo, & Imperij nomine dedit, Geslero equiti Suitiam, & Vraniam regere; Beringerũ à Landenberg Siluaniæ præsidere iussit, easque præfecturas modestè, & æquiter habere, neq; vltra earũ priuilegia transgredi, quæ omnia ipsi paullò post mandata per superbiam, & fœdam libidinẽ post habuere. Benedictus octauo pontificat⁹ mẽse impleto, veneno exstinctus est, Nonis Iunij. Successit v. Idus eiusdẽ Iunij anni consequentis Clemens v. fauore maximè, & factione regis Galliæ electus, &

A. D. N. CIↃ. CCC. V.

Lugduni, quo Concilium indixerat, coronatus, præsentibus Galliæ, Angliæ, & Arragoniæ regibus, cum Burdigallæ archiepiscopum egisset, & promisisset omnia se Bonifacij decreta, adeoq; eius memoriam exstirpaturũ, Decumas Ecclesiæ regi ad proximum quinquẽnium remissurum, Cardinales, quos nominasset, facturum, omnes Columnas statui pristino repositurũ, Apostolicam sedem in Galliam transtaturum. Igitur,

A. D. N. CIↃ. CCC. VI.

vt promissis initiũ faceret, Clemẽs pontif. anno sexto eius seculi sedem Apostolicã Auenionem trãstulit, incredibili Christianitatis detrimẽto, vbi per annos septuaginta constitit. Italiæ, & Romæ tres Cardinales prefecit. Hoc eodẽ anno excessit Heinricus II. episcopus Constantiẽsis, pridie Idus Septembris. Successit Gerardus, quem malè pleriq; Gebhardũ nominant, Auenionẽsis Gallus, Clementis auctoritate, & factione. Catharina & Anna Cõradi nobilis ab Britte equestris ordinis filiæ vendiderunt Ioanni abbati libris argenti quinq; & septuaginta omnia Britte sua prædia, & iura, seq; argentũ accepisse ab Abbate literis hoc anno datis testatæ sunt, addito ad eas reipublicæ Tigurinæ sigillo vbi hæc venditio facta. Anno

A. D. N. CIↃ. CC C. VII.

septimo, Templarij variè accusati, vbiq; locorũ multis modis excarnificati exiguntur, bona eorum, quæ perampla, in vsus publicos, alia pleraq; in priuos rediguntur, vti plures adnotârunt iniũstè, & calumnijs, & auaritiâ regis Galliæ eorum opibus inhiantis. Ineunte anno sequẽti, Præfectos Cæsaris, & ministros Imperiales, eorumq; amicos, & sectatores è tribus Cõmunitatibus Vrania, Suitia, Siluania alios cæsos, alios ejectos, quia tyrannice, & libidinosè regere dicebantur, arcesque

ceſque nobilitatis euerſas, & decennale inter eas fædus pactum quibusdam ſcriptoribus notatum reperio. Vbi vero ea quæ euenerant Albertus Cæſar cognouit, in præfectorum ſuorum cæde, & exactione, nō modo ſuas iniurias, ſed Imperij quoq; maieſtatē violatam, ijs factis, & contemtā vlturus, cōuentum, primo vere, Aquis vicinæ nobilitatis fecit, & inter alia plura, & majora de perſequendis illis conſilia inijt, Lucernenſibus, Tuginis, Glaronenſibus, & cæteris vicinis Auſtriacæ Domui ſubditis commeatuū ne copiam cōmunitatibus facerent inhibuit, omnes ad arma cohortatus eſt. Ipſe inde Rhinfeldam ad Reginam Eliſabetham profecturus, cum Traiectū Vindoniſſenſem cum Duce Ioanne ex Rudolfo fratre nepote, & Baronibus Rudolfo Vartenſi, Valthero Eſchibacenſi, & Vlrico à Palma, nōnullisq; alijs coniuratis tranſmiſiſſet, & inter ſata, quæ inter Traiectū & Arulæ pontē erant, cū equite à Caſtello colloqueretur, ab eodē Ioanne nepote, qui ſibi ab patruo hæreditatem paternā contra fas, & annos detineri querebatur, ſiue alij Cæſaris hoſtes inſtigauerāt, & nominatis Baronibus interfectus eſt kal. Mai, eo in loco, vbi deinde chori altare Kœnigsfeldi, ſiue Campi Regis ex eo facinore nominati, nobilis quondam, dum fides, & relligio antiqua ijs locis valuit, virūm, & ſanctimonialiū ordinis D. Franciſci monaſterij, quod regina, & liberi in mariti, & patris memoriā regio ſumtu poſtea conſtruxerunt. Paricidij auctores, patratâ cæde, alij alio diffluxere. Dux Ioannes tectis, & nocturnis itineribus, ad Ioannem abbatem flens, & mœrens ſe recepit. Ipſe adoleſcentem amplexus paucisque doloris, & trepidationis cauſis cognitis, oratione cum facinoris magnitudinem in curatore, in patruo, in Cæſare ante oculos poſuiſſet, & ad tantæ noxiæ dignam pœnitentiam animaſſet, poſtremo perpulit, vt relligionem ſe initurum, quam arbitraretur, promitteret. Id cum ſuæ arbitrationis eſſe abbas negaſſet, paucis clam menſibus detentum, & inſtituto confirmatum, ad Clemētem pontif. deſtinauit, qui cum is quoq; iudicium refutauiſſet, & Romani Cæſaris eſſe de Cæſaris cæde iudicare pronunciaſſet, in Italiam Ioannes tetendit, Piſiſque Heinrici

VII. Cæs. qui Alberto succesit, voluntate,& consensu, Heremitarum D. Augustini monasterium ingressus,vitã ibi piè, & multâ delictorum contritione,finiuit.Eueniebat sæpius vt per aëris intemperiem, ventorum turbines, aquarum inundationes, aliaque impedimenta necessaria Feficonenses, Frienbacenses,Humbrechticones, alijque ex propinquis vicis Ecclesiam suã parochialem Vfnaugiæ adire, festis diebus, & statis nequirent, diuinisque officijs, & sacramentis haut raro destituerentur. Igitur Gerardus episcopus Richardo Constantiensis Ecclesiæ Thesaurario,& Tigurinæ archidiacono,qui de ijs necessitatibus retulerat, auctoritatem dedit inspiciendi loca,& inter se comparandi,omniumq; ex commodo,& bono,parochialem nouã Ecclesiam cõstituendi,diuisis Ecclesiæ Vfnaugiæ, Ioannis Abbatis ex arbitrio, redditibus.Is, consideratis omnibus, Frienbach parochialem ædem esse voluit. Anno nono eiusdem seculi,Heinricus Cæsar Rhenana ex vrbe,vbi VII. Kal. Decembris præteriti electus fuerat, Aquisgranum profectus coronam accepit, festo die trium Regum, negotiaq; regni prudẽter, & egregiè componere incepit. At regina Elisabetha Leopoldo filio, qui Aquis tum erat,& matris imperium exspectabat,additis nõnullis nobilitatis,qui adolescenti adessent, primoribus, paternæ necis vltionem cõmendauit. Acriter omnes, & pertinaciter incubuere, plures coniuratorum arces funditus euerterunt, Vart, Mulberg,Eschibach,Palmã,Schnabelburgum, Faaruangen, Altburam. Valtherus ab Eschibach per varia latibula in agrum Vvirtenbergensem elapsus pecoris curam vltra annos triginta publicè habuit, moriturus quis esset denique aperuit. Vlricus à Palma Basileæ in latebris extabuit. Rudolfus Vartensis ex fuga retractus rotæ cruciatibus,eodem quo Cæsar ceciderat loco, exanimatus est. Ita varia varijs locis sumta de cõiuratis, & eorũ adfinibus supplicia.Anno decimo ineunte, misit legatos abbas Ioannes Auenionẽ ad Clementẽ pontificẽ,qui ostenderẽt monasteriũ suum locis desertis,infecundisq; constitutum, adeoq; in heremo, & solitudine. Et quamtumuis regũ,& Imperatorum,principumq; fundatorũ

A. D. N. CIↃ. CCC.IX.

A. D. N. CIↃ. CCCX.

possessio-

possessiones, & prædia haut contemnenda possideat, regionibus tamen ea remotis, pleraque in Alsatia, Brisgouia, Rhetia sita, vnde reditus, & prouentus, nisi magno sumtu, & periculo per bella, & grassantium latrocinia ad monasterium transportari non possint. Quâ inopiâ rerum fiat, vt aduenis & relligionis, votiq; caussâ Heremũ visitantibus benignitatẽ, & hospitalitatem præstare nequeant, aliaq; officia, & munera exsequi. Rogare igitur vt, tamquam communis pater, pontifex aliqua ratione subueniat. Id facilè & promtum ex parte futurum, si duarum Ecclesiarũ Milani, & Sarmensdorff, quarum jus patronatus ad Monasterium pertineat, decimas, & reditus suis necessitatibus conferat, easque adeò ambas monasterio vniat. Clemens, auditâ legatione, benignè, & paternè postulatis annuit, bullamq; IV. Kal. Nonas Aprilis edidit, quâ vnionem prædictarum Ecclesiarum, morte defunctis, qui tũ regebant, confirmat, & *mensæ*, vt ipse vocat, *generosæ abbatis monasterij*, earum reditus, certis alijs conditionibus, concedit, & attribuit. Simul iniungit episcopo Sedunẽsi, & abbatibus Montis Angelorum, & S. Blasij vt abbatem, & Monasterium Heremitarum in plenariam earum Ecclesiarum possessionem, & fruitionem inducant, bullâ aliâ datâ eodem loco, die, anno. Eodem tempore Italicam profectionẽ Cæsar Heinricus inijt, relicto in Germania superiori præfecto Imperiali Rudolfo Habsburgi, & Rapersvillæ Nouæ Comite. Vigilia S. Iacobi Bernam progressus, & inde Amedeo Sabaudiæ Comite deducente, III. kal. Nouemb. Taurinum peruenit, & inde Astam. Illic beneficiorũ, quæ ab Comite acceperat, gratus ipsum inter Imperij Comites adlegit. Mox Mediolanũ ingressus exeunte Decemb. Matthæum Vicecomitem pristinę dignitati, quâ eum exuerant Turriani, & vrbi restituit, compositoq; aliquantum Ciuitatis statu, festo trium regum anni sequentis ingredientis, coronam Italici regni accepit. Multi cum eo principes viri aderant, Balduinus archiepiscopus Treuirensis, Theodibaldus Leodicensis, Gerardus Constantiensis, Gerardus Basiliẽsis episcopi. Leopoldus dux Austriæ, Vernerus Comes Hõbergæ, & Rapersvillæ veteris, Valdramus

Lucēburgi Cæsaris frater, Guido Flandriæ Comites. Eodem anno, Tigurinis maximè instantib⁹, post multas cōtentiones & aspera bella, quæ præcipuè ab Anshelmi principatu vltra quadragesimum annum exercuerant, renouatâ, & toties repetitâ de finibus controuersiâ, Ioannes abbas suo, & totius Collegij, monasterialiumque omnium nomine: itemq; Cunradus ab Iberg Suitensium officialis suo, & suæ communitatis ergo, in compromissum venere de omnibus quæ hactenus, & ab dicti Anshelmi tempestate acciderant litibus, (vlteriorum suum quisque ius retinebat) & contentionibus. Arbitros abbas sumsit Iacobum de vuarte, Rudolfum Mulnerum juniorem equites Tigurinos: Suitenses Cunradum ab Iberg prædictum officialem, & Vernerum Thuringum exofficialem. Illis de iure, aut ex æquo, bonoque disceptandi, iudicandique, præstito in Vtrumlibet jurejurando, potestas facta. Quod si dissideant, & in partes æqualibus suffragijs abeant, qui sententiam ferat, tamquam arbiter supremus, Rudolfum Mulnerū seniorem equestris dignitatis virum nominauere. Omnes porro se sacramento arbitri obstrinxerunt officium cum fide impleturos ad VIII. vsque Kalend. Iulias. Si tamen de aliquo nondum liqueat additi dies pauci sententiæ prorogandæ. Compromissa in easdem conditiones ducentarum marcarum argenti Tigurini ponderis pecunia. Eius pecuniæ, & ceterorum, quæ inter se partes constituerant, fideiussores dedit Ioannes Suitensibus Ioannem de *G*larona, Ioannem de Schoeniuerd, Rudolfum, & Heinricum fratres de Lunchufft, Lutoldum Bruhunerum omnes equestris dignitatis, Ioannem Pilgrim seniorem, Rudolfum Krieg seniorem, Burchardum Schuflin, Vernerum Biberlin, & Iacobum Brunner: Suitenses abbati Ioannem Vuolfleissen seniorem, Nicolaum, & Heinricū Kriege, Cunradum de Tubelstein, Iacobum Schuende, Ioannem Bilgrim iuniorem, Heinricum de Clote, Petrum de Halop, & Heinricum Canonicorum Camerarium ciues Tigurinos, eâ conditione, vt si quæ pars arbitratione nō staret, aut promissis fraudem faceret, sponsores pars altera admoneat sese

in diuer-

in diuersorium publicum, antiquâ Tigurinæ vrbis consuetudine, recipiant, ibique obsidium tandiu faciant, donec numeraria compromissi summa ab ea, quæ peccauit, parte exsoluatur. Fideiussores omnia hæc exsecuturos absque dolo malo, iure jurando adfirmauere, hoc excepto, si quis eorum obsidium inire nolit, aut non possit, alium in vicem suam substituere possit: Indicendi postremo dieique, & loci, quo ad caussæ disceptationem, aut ad iudicium accipiendum conueniant supremo arbitro facultas relicta. His super rebus, alijsque quam pluribus Tiguri monasterio Dominicanorum factum Instrumentum abbatis, & Monasterij, Cunradi quoque ab Iberg officialis, tum Rudolfi Mulneri arbitri supremi, itemque prætoris, & reipublicæ Tigurinæ, aliorumque eius vrbis senatorum sigillis munitum, XVI. Kal. Aprilis, Dominicâ post Gregorij papæ, Indictione IX. Obsidij, de quo diximus supra, vulgata ratio est. Si debitor, & obæratus promissam solutionem dolo malo, aut aliâ quauis caussâ, creditori ad diem non repræsentauerit, tunc creditor ministrum publicum equo si velit, aut pedibus, in publicum eius, vbi debitor agitat, aut vtrimque conuenit, loci diuersorium mittit, vbi eo vsque sumtus illi obæratus, & debitor facere compellitur, donec summam, ob quam eo se recepit, persoluerit. Legem hanc in Heluetia exortam ab Berchtoldo III. duce Zeringiæ, & Burgundiæ rectore, Tigurique advocato Imperiali, opinio est, eamque nunc etiam magno ære alieno obstrictorum damno, & ruinâ exercent. Ceterùm breui hæc ex compromisso concepta pacis inter partes, & amicitiæ spes aborta est. Haut multis enim postea diebus, VIII. scilicet idus Aprilis ad Heremum quidam Suitensium primis è familijs relligionis caussâ adiere. Ibi exorta cũ quibusdam e nostris verborum velitatio in verbera, vulneraque progressa est. Et Suitenses quidem aspersi sanguine, iraque, & vltione incensi, & auidi, popularium, & totius Communitatis conuentum subito exciuerunt. Decretique omnium sententiâ ad Ioannem abbatem legati, qui compromissi fidem violatam, neque Communitatem eo amplius tene-

ri arbitrari denunciarent; minasque, & cætera iratorum adjungerent. At verò Ioannes, alijque pleriq; eius contenti. onis expertes contra tendere, & obniti; neque ob paucorũ vtrimque discordiam, & pugnam, vniuersorum publicè concepta decreta censere aboleri: si quid à suis contra fas, & fidem admissum sit, pænas expetiturum. Alia addere quæ leniendis illis, aut pactis retinendis essent. Quæ omnia apud Suitenses sine effectu fuere. Postremo ad arbirũm sententiam ex eodem compromisso abbas prouocauit. Eius petitione, & sollicitatu Rudolfus Mulnerus arbiter summus diem Tiguri ad Idus Maias posuit. Abnuerunt quoque conuentum Suitenses, senatuique Tigurino, & Rudolfo, ceterisque arbitris literas dederunt, quibus literis ea, quæ euenerant, simulque causas, ob quas compromissum exstinctum, neque se ideò indictum diem frequentaturos, aut iudicium accepturos significabant. Instare Ioannes, & iudicium exposcere, quandoquidem nihil suo, aut publico totius Monasterij consilio contra Suitenses perpetratum sit, neque vnius, aut alterius culpa rectè in omnes trahatur, dieque, & loco constituto frequens ipse adesse, multamque compromissi persequi. Agitata multis diebus, cum etiam denique suos Suitenses misissent inter arbitros vtriusque partis controuersia. Cum sententiæ pronunciationem ex compromisso Rudolfo Mulnero postremò permisissent, in hunc modum is finium litem, nullâ de ceteris habitâ ratione, paucis determinauit. Quandoquidem Suitensium arbitri non inficientur, ab sese abbatem, & Monasterium eius de bonorũ possessionibus, quæ ad Rubinam, Boigam, Snalingam, Seinianum montem, & alia vicina loca sita sunt, esse dejectum, jis possessionibus decedant, & in illas abbatem, & conuentum restituant, sicut suâ sententiâ in illas jam ipse, tamquã supremus arbiter huius contentionis, restituit eos, pacatèq; & liberè ijs vti fruisinant, verbisque, & factis iniurioſis tantisper abstineant, donec easdem ipsi possessiones Suitenses vindicent, & euincant. Si incendijs, perfractionibus, prædis, aut quauis aliâvi abbati, Conuentui damnum ob eadem Suitenses

fecerint, attulerint, si flagitarit abbas, ijdem Suitenses ex quatuor arbitrorum, aut partis majoris, suouè, si ita euenerit, judicio satisfaciãt. Quod si iuris aliquid aduersus easdem possessiones habere se Suitẽses existiment, respondere de jure ad illorum postulata abbas teneatur. Actum Tigurini monasterio Dominicanorum sabbato ante diem festum D. Ioannis Baptistæ. Huic sententiæ, & arbitrio cum non modo Suitenses non parerent, sed nouas quoque minas, & dicta contumelioſa ingeminarent, fideiussores ex compromisso, & arbitrio in obsidium transire abbas commonuit, duraruntque in eo totam sequentem æstatem, donec postremo ad Cæsarem Heinricum Suitenses adpellauere. Interea leues per partes pugnæ, & excursiones, armentaque ex montibus vicinis, & pecora vtrimque abigebantur. Cæsar sub hæc, hibernis Mediolani exactis, Laudem, & inde Cremonam concessit. Tertio decimo Kalend. Iunias copias Brixiam, quæ rebellabat, traduxit, eamque quinto post mense per deditionem recepit. Exeunte auctumno, Genuam profectus hiemem ibi transegit, & Margaritam reginam morte amisit. Anno sequenti quamprimum tempus mitescere, nauigationisque patiens esse mare cœpit, constituto per Insubriam generali Capitaneo Vernhero Hombergæ, & veteris Rapersvillæ Comite, classem circiter idus Februarij inscendit, Pisasque aduectus est. Vbi mensibus duobus absumtis, terrestri itinere Viterbium, mox Romam III. Idus Mai. vigiliâ pentecostes peruenit. Româ ad Clementem pontif. pro coronatione nuncios Auenionem destinauit. Misit ille legatum qui magnâ pompâ, & celebritate Kalend. Augusti in Laterano Imperatorem coronauit, cum Vaticanum Vrsini, & vrbem Leoninam, alijque rebelles obtinerent. Ingraueſcebat indies contra Suitenses bellum, maximè posteaquam Austriaci Principes, tamquam aduocati Monasterij, arma sua addidere, commeatibusque Tugio, & Lucernâ præcipuè nõ Suitenses modo, sed Vranios quoque, & Siluanios, tamquam confederatos, priuauerunt. Frequentes igitur captiuitates, vulnera etiam, & cædes fie-

A. D. N. CIↃ. CCCXII.

des fiebant, incendijs quoque,& vastitate grassabantur, nihilque tutum in finibus aderat, sæpius & longius per populationes excurrebant, vtrimque magno, sed præcipuo confederatorum incommodo, qui armatâ manu, quæcumque ad victum, & cultum sunt, Tiguro petere cogebantur. Tigurini interea fideiussores, qui ex arbitratu, & abbatis monitu per longum obsidium maximos sumtus fecerãt, nec ab Suitensibus quidquam impetrare poterant, absente, quem adpellauerant, Imperatore, non minus aduersus eos accendebantur, quodque jure, & amore obtinere nequibant, armis recipere moliebantur, in bellumque erupturi erant. Sed Eberhardus Baro à Burgle, quẽ, exauctorato Rudolfo Habsburgio, Imperator præfectum prouincialem in superiori Germania instituerat, suam auctoritatem interposuit, Compromissique multâ Suitenses quidem liberauit, sed pro impensis factis denariorum nongentis libris condemnauit, in eosque suæ Communitatis, Vraniorumque, & Siluaniorum præcipuâ auctoritate viros, ijsdem quibus supra conditionibus, fidejussores Tigurinis Suitenses dederunt. Censuit idem Burglensis Baro, quantum ad Castrum Feficonis, si id Tigurini occupent, & obtineant, inde ne per incendia, populationes, cædes, durante hoc inter partes bello, Suitensibus damna inferantur: si alius teneat, qui ex eo Suitensibus noxiæ sit, eam noxiam Suitenses si vlcisçantur, saluâ id liceat pace. Vineas quoque, & possessiones Heremitarum, vtraque lacus ripâ, quas Tigurini ciues, tamquam præfecti, & majoris, aut quouis alio jure, titulo, aut beneficio possident: si aliquâ clade, aut exitio Suitenses adficiant: & Tigurini paria retulerint, non propterea amicitiæ, & huic reconciliationi vim factam arbitrari. Postremo si qui ciues Tigurini abbatis, & Monasterij partes tuendas susceperint, bellumq; Suitensibus facere voluerint, id eis facere licere, modò vrbe excedant, neque in eam, durante hoc eodem bello, regrediantur. Quæcumque vero aduersum illos commiserint Suitenses, id quoque impunè ab reliqua ciuitate fore. Addit idem Baro hoc quidquid est, quod de pœnæ pecuniariæ,

quam

quam petat abbas, remissione, impensarumque solutione constituit, id nullo se iure, aut arbitrio decreuisse, sed veteris benivolentiæ, & amicitiæ necessitudine, quæ inter Suitenses, & Tigurinos ab antiquo intercessit. Acta hæc Idæ vico Tugiensium VIII. Kal. Mai. anni decimi tertij. Iam prope Italiam subegerat Imper. Heinricus, magnamque sui famam excitarat, solus Robertus Apuliæ, & Siciliæ Rex Imperia detractabat, armaque tenebat. Igitur ad Clementem pontificem nuncios misit, qui bello se persequuturum rebellem, bonâ eius veniâ nunciarent, versisque ex Etruria in Apuliam copijs, Bonconuentum Senensis agri opidum circiter Idus Augusti peruenit. Ibi dum per DEIPARÆ Matris in cælos adsumtionis celebritatem moratur, dysenteriâ VII. Kal. Septembris exstinctus est, ingenti totius exercitus luctu, & incredibili reipubl. Christianæ incommodo. Corpus Pisas translatum & æde principali conditum. Successit hinc mensium tredecim interregnum. Nullo rege, & Austriæ Principibus in diuersa occupatis, cognitaque simul Ioannis abbatis absentiâ, de opprimendo denique per insidias monasterio, abducendisque in vincula monachis consilium Suitenses cæpere. Erant tum apud Heremum insigni nobilitate, & morũ integritate præstabiles Cunradus de Vuneburg, alias Bunburg, Cantor, Vlricus de Iegisdorff Præpositus Varæ, Otho de Schuande Decanus, Rudolfus de Vunenberg, Burcardus de Vuflinge custos, siue Thesaurarius, Ioannes de Hasenburg cellarius, omnes sacerdotes: Heinricus de Vunenberg diaconus, Ioannes de Regensberg, Cunradus de Goesgau, Thuringus de Atthinguse, qui dein abbas Disertini, Vlricus à Camburg subdiaconi, Hermannus de Bonstette, qui abbas S. Galli factus, nouitius, omnes ex liberûm Baronum sanguine, & clarissimis, nobilissimisque familijs coniuncti, & adfines. Conuenerunt Suitenses V III. Idus Ianuarij, trium magorum sollennitate percelebri, anni insequentis, diuersisque dictis sententijs, non defuerunt, qui, DEIPARÆ Matris reuerentiâ, ac vetustâ relligione, & claritate loci consilium improbarent. Ceterum pars altera vicit,

A. D. N. CIↃ. CCCXIII.

A. D. N. CIↃ.CCC. XIV.

noxque,

noxque, quæ succeſſit, facinori deſtinata, inſeſſaque ſubito omnia quæ ad Heremum pertinebant itinera, ne eo fama, quæ parabantur, deferret. Conuocatâ ad arma omni Communitate, tribus diuerſis partibus, intercipiendis omnibus effugijs, die jam in occaſum inclinãte, expeditionem equis, pedibusque ſuſcepere. Eorum aduentu percepto, de campanili, more ſolito, qui aderant, vigiles, ſignum clarum edidere. Sed præſidiarij, intellectâ multitudine hoſtium, in montes ſe receperunt, nec quidquã contra auſi ſunt. Suitenſes monaſterium omnibus copijs circumſedere. Monachi ingenti trepidatione, re inſolitâ, & inopinatâ, terroreque, & fugâ pene exanimes alius alio ſe quiſque abſtruſere, nullâ aliâ fiduciâ, aut ſpe, quam ſacris poſtremò ædibus, & aris manus temperaturos. Primi in hoſtium manus inciderunt Ioannes de Regensberg, & parochus Ettiſvillæ. Sed hunc vbi Suitenſium ductor cognouit ſubitò liberauit, Ioannem in cuſtodiam tradidit. Conjecerant ſe in eamdem ſpeluncam, Conradus de Bunburgo & Rudolfus de Vunenberga, hoſtesque per temporis, locique obſcuritatem hactenus fefellerant; ſed vbi ad exortum lunæ paullo manifeſtiora omnia eſſe cæpere, Vunenbergenſis veritus ne deprehenderentur, nouas quærendas latebras ſuaſit, quas cum ætate, & valetudine grauis Conradus fugâ aſſequi deſperâſſet, nec ſe proinde mouere vellet, ipſe, annis melioribus, & corpore firmiore, præcipiti curſu, in eam, quam incoluerat, domum poſtico euaſit, quam vbi introrupit, in confertum armatorum globum, qui ædes jam tenebant, incidit, primò eſſe Monaſteriales præſidiarios ratus, dum, quo ſe vertat, ambigit, trepidationis, & metus manifeſtum, facto impetu armati circumvenere, ligatumque ad ceterorum fratrum diſquiſitionem perpulerunt. Duxit eos, tali neceſſitate, ad dormitoria illis includi arbitratus, quatenus obſerata tenebantur. Sed vbi ex ſtrepitu adeſſe quæſitores, & ingreſſum moliri, qui intus erant, perſenſerunt, curriculo in turrim campanilis ſeſe omnes proripuere. Erant autem qui eo aufugerunt Burcardus de Vulflinge, Ioannes de Haſenburgo,

Heinricus

Heinricus de Vunēberg Iunior, Cunradus de Goesgau, Thuringus de Attinghuſe, Rudolfus Scholarū magiſter, & Eberhardus ab Eſchentza æditimus. Parte Monaſterij poſteriore erat Principalis aula, & antiſtitis ſedes, eamque per eius abſentiam vicarius curabat, qui conuentui ſimul neceſſaria, magnâ æquitate, ſuppeditabat, & ius reliquis Heremi incolis, ſingulari integritatis laude, dicebat, vtriq; ordini ſummo in amore, & honore erat. Is vbi ex campanæ ſonitu tumultū ſenſit, exemplo arma corripuit, & in atrium, quid rerum gereretur cogniturus, deſcendit. Aderat fortè cum illo frater eius germanus, qui equo inſcenſo viam antecepit, portisque reſeratis in turmam, qui obſidebant, denſiſſimam illapſus, captusq; mox cum ſe Rudolfi Comitis Habsburgi miniſtrū dixiſſet, dimiſſus fratre Vicarium deſtituit contra tantam multitudinem ſolum, & omni auxilio vacuum. Ipſe ingenti animo ingruentium impetū propellere auſus, tecto ad proximā ſtatuam latere, & tergo, gladium rotare, cædemq;, & vulnera moliri cæpit, donec, multitudine prorumpēte, & vndiq; infeſtâ, inſiſtentiumque irâ, & minis, qui tantorum impreſsionem vnius virtute ſuſtineri ægerrimè tolerabant, ſagittaque trajecturos, niſi deditionem maturaret, jactitabant, defenſionem relinquere coactus, & ad reliquos captiuos, deditis armis, abductus eſt. Perruptæ hinc inde fores, & portæ, valuæque, prædaq; toto monaſterio acta, capta, & in cōmune comportata ſacra, profanaq; ſuppellex, nèque aliter quam expugnata in vrbe ſæuitum, conjecta quoq; in ignem reperta ſcripta, inſtrumentorum veterum, & monumentorū apographa abolita, & incenſa. Tenebant adhuc turrim, quos ſupra memoraui. Igitur ad eos, qui deditionē expoſcerent, manum juuenum ductor Suitēſis dimiſit. Illi, intrepido animo, in ſcalas inſcenderūt, & in eorum conſpectum peruenere. Ibi verò tum omnes, tamquā preſenti exitio, pauore, & anxietate adfligi, ac conſternari, nōnulli, tamquam rebus poſtremis, ſacram exomologeſin facere, pauci animos ſumere, & defenſionē meditari, ante omnes Eberhardi æditimi ſecurim quatiens primū quēq;, qui acceſſum auderet, obtrūcaturū, ſcalisq;

præcipitaturum, aut gradus dissoluturum, ne vltra progredi possent, adseuerabat, feciſſetq; , nisi ardētem repreſſiſſet Burcard⁹ Custos, qui haut humanis in armis incolumitatē suam cōtineri, sed diuino pendere ab auxilio ostēdens, Numinisq; amplectendā voluntatē mori, seu viuere iubeat, quādo DEVS ipse vtrūq; amore nostri, & fauore subire non expauiſſet, illi laudem, & gratiā prosperis iuxta, & aduersis deberi, sortesque hominum eius vnius esse in manu, illum potius implorarēt, animosq;, & corda ad eum vnicum conuerterent, neq; aliud quidquam eo propitio extimescerēt. Conuersus hinc ad juuenes, quid quæreret, quid sibi vellent, rogitauit. Neq; enim se admissi facinoris, aut aduersus eos damni alicuius facti conscios, aut manifestos scire, quod merito tantis à se malis, & calamitatibus repetere possint, aut debeant. Respondit vnus, ductoris missu venisse, qui captiuos deducerent, vitæ exitium abfore, ceterū reliqua omnia ventura in prædam. Descensum hinc ab omnibus est. Rimabantur interim juuenes omnia, vnde argentum, aut precioſi quid elicerent, casuq; in portā abstrusiorē respexere, perruperuntq;. Sed Custos Christi exempli haut immemor, qui etiā pro interfectoribus æterno patri supplex fuiſſet, cōtinuò admonuit, nihil ibi occulti, aut secreti haberi, portā esse quæ ad laquearia templi duceret, illa clauis leuiter attineri, minimoq; pondere solui, ne pertentarent initū, nisi in certissimū exitium vellent. Dictis habita fides, ductiq; sunt omnes ad Rudolfi Vnenbergensis domū, vbi etiam Regensbergēsis sub custodia adsidebat. Ioānes parochus, multā & eruditione, & vitæ sinceritate ad primū strepitum se se DEIPARÆ Matris Sacello inclusērat, ibiq; aram Reginæ cælorū amplexus haut absq; lacrimis, opem ab ea, & præsidium, quod eodē in loco adflicti, & miseri, imbecilliq; experiuntur, & illo èremotissimis quibusq; regionibus petitū confluerent, enixius implorabat. Eum ex feneſtra qui dā prospexit, animaduertitq; gementem, cumq;, pecuniam, monache, pecuniā, ingeminasset, solidos quindecim, neq; enim plures habebat, ab eo accepit. Tali pacto salutē redemisse se Ioānes rat⁹ multo magis cupiditatē accēdit. Ceteri enim

argenti

argenti libidine, & tali invitamento, idem precium verbis, minisq; , nisi transuerberari per feneſtram lanceâ vellet, expetiere. Quo precio cum deſtitueretur in angulum Sacelli ſe conjecit. At illi, globo facto, arreptaque in arietem proximâ pinu, poſtes moliri, perfringereque, niſi obſtitiſſet parochus Attisvillæ, clauesq; Sacelli ſe allaturum promiſiſſet. Ita & Ioannes æde ſacrà extractus, & reliquis captiuis eſt immixtus. Latitabat adhuc in fouea, in quam ſe ab principio conjecerat, Cantor Bunburgenſis, ſed is poſtremo frigore anni, & moræ tædio victus, ſponte inde progreſſus ad eas, in quib⁹ tenebantur collegæ, ædes acceſſit, cumq; armatis, qui cuſtodiā faciebant, dixiſſet, *ſi monachos in prædam, & captiuitatē habituri huc aduenistis, & me quoq; accipite, ætate adfectâ, & valetudine haut magni momenti, tamquā auctariū*: per irriſum, & ludibriū & aſſidere ipſum iuſſerunt ſatellites. Interea ab dextro vallis latere noua armatorum manus aduenit, qui vbi locum in quo captiui continebātur, cognouerunt, fremere, ipſumq; circumdare, partemq; prædę poſtulare, aut exitium omnibus minari, repulſique ferro ab interioribus, non abſque vtriusque partis ſtrage, cruenta prope aderat contentio, niſi ductoris interueniſſet auctoritas, & diſcedere, multâ jam die, cum ſpolijs, captiuisque imperauiſſet. Iuſſi in monaſterio remanere Conradus cantor, & Ioannes de Haſenburgo, ille ſenium, hic ex aduerſa valetudine laboris, & viæ intolerantes. Reliqui triplici agmine verſus Suitiam acti: In primo fuere pecora, & armenta: altero ſerui, & monaſterij familia cum ſupellectile; tertio monachi, ceterique ſacri ordinis. Fuerunt in his præcipui nominis, & dignitatis Otho de Schuande, Burcardus de Vulflinge, Rudolfus de Vunenberg, Vlricus de Iegisdorff, Heinricus de Vunenberg, Ioannes de Regensberg, Conradus de Goesgau, Thuringus de Attinghuſe, Vlricus de Cramburg, Hermānus de Bōſtette omnes, vt diximus, ex nobiliſſimorum Baronū familijs procreati, Ioannes parochus, Rudolfus Ludi literarij rector, & Eberhardus æditimus. Exortus tum verò ingens totâ Heremo feminarum, ætatisque tenerioris, aut ſenioris planctus, & eiulatus, maritos, paren-

tes, propinquos, remque domesticam deplorantium, haut absque immenso vallium, montiumq; ,& siluarum sonantium gemitu,& fragore. Ceterum vbi ad locũ cui ex addita turri vocabulum, mœnibusq; vtrorumque Suitensium,& Heremitarum fines disparabat peruentũ, veluti ex lassitudine conquieuere, partimque pactis, aut rursus præsenti pecuniâ seruui monasterij, cum pecoris parte, ex vinculis domum remissi. Ecclesiastici Vernero cuidam, cui ex campo nomen, custodiendi cum cæteris traditi. Solus Cunradus de Goesgau, dũ ista transiguntur, fugâ in proximos montes,& inde in Monasterium elapsus hostium manus euasit. Verneri in custodia ab feria secunda ad sextam vsq; permansere, tum verò Suitiam vicum gentis capitalẽ deducti sunt. Ibi eos numerato sidei,& curę Petri Locholfi publicus officialis, ammanũ vocat, commisit. Petrus subito domi suæ carcerẽ molitus, eo captiuos omnes inclusit, custodeq; addito permuniuit. Heremitarum captiuitate,& loci tot miraculis clari, & celebrati vastitate, per viciniam evulgatâ, varijs plerique motibus pro cuiusque pietate, aut rursus audacia, atque impudentia, æquitate, aut temeritate adficiebantur. Primi Attinguſani barones,& eorum rogatu Cõmunitas Vraniorum, pro Thuringo Attinguſano interceſſerunt, liberatusq; est is decimo, quam Suitiam aduenerat, die. Is reliquorum captiuorum deinceps statum Abbati, & quorum maximè intererat eorũ propinquis, & consanguineis manifestauit. Senis post septimanis duo ex captiuis, magno reliquorum omnium metu, in alium locũ translati, & arctius habiti. Sed postremo Suitenses, siue ab Heremitarum propinquis, & ad finibus, necessarijsq; vindictam metuerent, aut sumtibus in captos grauarẽtur, legendi, mittendiq; potestatem fecerũt, qui de omnium redemtione agerent. Missus omnium consensu,& consilio Rudolfus Vunenbergensis. Is, decimo quinto post die Suitiam regressus, literas ab Rudolfo Habsburgi, & Rapersvillæ nouæ, Friderico; Toggenburgi Comitibus attulit, quibus literis, dicti Comites, Suitenses rogabant suis bene meritis, precibusque, propinquorum suorũ liberationem donarent, cõcederentq;.

Factorum

Factorum quoque, & captiuitatis impunitatem pollicebantur. Has quoque Luitolfus Baro à Regensberga pro filio eodem tempore misit.

Honorandis, & prudentibus viris Vvernhero Stauffachero Ammano Suitiæ, & incolis omnibus eius regionis Luitolfus à Regensperg Baro Constantiensis diocesis salutem, & omne bonum. Dominos Conuentus Monasterij Eremi filium meum, & duos à Vunnenberg meos propinquos, itemque vnum à Vulflingen, & quot quot captiuos habetis, vt liberos dimittatis pro meorum amicorum, & meis in vos officiis, etiam, atque etiam rogo. His præsentibus pollicitus nullum vobis, nec in corpore, bonis, aut alias pro hac captiuitate nec à me, nec à Comite Vlrico Pfiretensi (eius sororem habebat Adelheidem captiui matrem) *& aliis meis amicis euenturum, imo beneficiis contra compensaturos, si nostris precibus custodiâ exsolui possint. Id vero meo honori eo prius vos id dare decet, quod me primum in filio invasistis. Quod si mearum literarum testimonio notum facere potuero meis vos eum precibus tribuisse, meos propinquos, & affines eo amicos proniores, & benevolentiores habebitis. In cuius rei memoriam, & testimonium præsentes meâ manu scripsi, & subscripsi publicè. Datum Balbe Anno Domini* M. CCC. XIIII. *Vigiliâ S. Gregorij.*

Illis, alijsque literis in conuentu totius Communitatis perlectis, fideque vtrimque datâ, & acceptâ, omnes dimissi, vndecimâ postquam Suitiæ tenebantur hebdomade. Sabbatho dominicæ Palmarum, magnâ Monasterialium omnium lætitiâ, ad eum, vbi Ioannes abbas erat, locum Feficonem peruenere, qui magnifico epulo hospites, & tamdiu desideratos excepit. Captiuitatem hanc suam, & reliquorum, sacræque Heremi vastitudinem, duobus libris, versu haut contemnendo, vt tum poëtarum captus erat, scripsit Rudolfus iuuentutis doctor locupletius, ex quibus hæc pauca in summam collegimus, tradidimusque; nullius ad injuriam, aut infamiam, sed gestorum memoriæ, simul vt quid bella, & discidia audeant, patrentque magis innotescat, &

quæ rursus ex pace,& amicitia oriantur bona,& emolumenta: quando haut minus fortes, & cordatos protectores jam Heremitæ Suitenses experiantur, quàm tunc habuerunt hostes, & persecutores. Compositâ, vt diximus, in partem cum Suitensibus controuersiâ,domi noua incessit,sigilli nomine, abbatem inter, & conuentum, negantibus plerisque fratrum jus, aut fas esse propriam ad communem sigilli conuentus curam, & custodiam,abbatem habere clauem. Res ad arbitrum honorarium translata. Is fuit Albertus ex nobilibus ab Vrico tum parochus Raperswillæ, qui, causâ cognitâ, non solùm secundum abbatem iudicauit, sed multis rationibus ostendit omnibus in monasterijs valere vsum, & consuetudinem, vt abbas etiam clauem vnam obtineat, communi sigillo tuendo. Eodem penè tempore obijt Clemens pontif. vacauitque ab eo sedes Apostolica annos duos, menses tres,dies quindecim. Et festo Inuentionis S. Crucis, die sabbathi, orto Constantiæ ex Iudæi ædibus incendio, totam penè vrbem ignis peruasit. Memoria inde mansit,& vulgo ex magnitudine cladis, Incendium magnum nominant. Conflagrauit etiam opidum, & monasterium S. Galli, sex solùm domibus superstitibus. Exeunte auctumno, conuenerunt tandem Imperij principes Francofurti, deque successore Heinrici Imp. consultabant, disparibus sententijs,multaque inter partium fautores contentione,& ambitu. Tracti postremo in diuersa pars Ludouicum Bauariæ ducem; ceteri Fridericum Austriacum Alberti quondam regis filium nominauere x v. Kalend. Nouembris. Et hinc quoque turbæ, & cruenta bella, vno quoque regum electionem suam armis adserente,& parato in id quàm potuere maximo exercitu,& auxiliaribus. Igitur primo quoq; tempore profecti quisque ad coronationem Fridericus Bonnæ ab archiepiscopo Colonienſi Heinrico, Ludouicus Aquisgrani ab Petro Maguntiacensi antistite regni Germanici insignia acceperunt. Partes Ludouici sequebantur omnes prope Germaniæ inferioris vrbes Argentinam vsque, exceptâ Coloniâ, & eiusdem archiepiscopatui subiecta. Pro Friderico erant

A. D. N. CIↃ. CC C. XV.

cetera

cetera Germaniæ superioris, Elsatiæ, Sueuiæ, Heluetiæ, præter Eslingam, Bernam, Salodorum vrbes, Suitiam, Vraniam, Siluaniam Communitates, quæ Ludouicum adprobabant. Sed Ioannes abbas, cum Suitij Ludouico adhærere non contenti, à se quoque, & suis, tamquam Austriaci sectatoribus, haut temperarent, ab Gerardo episcopo communione sacrorum vti interdiceret, Curiaque Rotvillana eos proscriberet, impetrauit, vna cum eorum auxiliaribus Vranijs, & Siluanijs. Leopoldus interea Friderici frater, pervastatis Spiræ vicinis, et quæ aduersæ factionis erant, Badam, exeunte Octobri venit, habitoque ibidem nobilitatis conuentu, de persequendis ferro hostibus consilia inijt, super contrarietatem partium, Suitensibus maximè infensus ob vastatam, priori anno, Heremum, cuius aduocatus ipse cum fratribus erat, ad quam cladem vlciscendam tamquam in suï, & Austriacorum omnium principum contemptum, & contumeliam factam, violata præterea loci relligio, tracti in vincula, & indignè habiti nobilissimarum familiarum monachi, ira, & indignitas inprimis stimulabant. Dictis varijs sententijs, per Tuginos, & Moremgart, Sellæque montis contigua, quando ceteros omnes aditus mœnibus, & vallis occupauerant, in vallem Suitensium perrumpere constituit. Suitenses eius rei per Heinricum nobilem ab Hunnenberg admoniti, cum alias maximè in Artensi vico excubarent, apud Moremgart, copijs pene omnibus consederunt, Leopoldumque per viæ angustias inter montium decliuia, & Egreensis lacus marginem cum equitatu progredientem lapidibus, saxisque, & arborum truncis è locis sublimioribus primò, mox cominus ferro congressi, facilè repulerunt. Multi interfecti, plures vndæ hausere, equis, virisque per inopinum hostis clamorem, missiliumque fragorem, & vulnera, turbantibus mutuoque præpedientibus. Præcipui nominis fuerunt Rudolfus comes Habsburgi, Lauffenbergæ & Rapersvillæ nouæ dominus, Vlricus Baro à Russecka, duo Haluilleri, tres Bonstetteri, Beringerus à Landenberg, nonnulli alij, & inter eos tres nobiles ab Vrico Alberti filij, Berin-

gerus, Cunradus, & Rudolfus, quorum Cunradus Ioannis abbatis palatij præfectus erat, &, eo bello, vexillarius. Plerosque omnes ad Heremum detulerunt, ibique sepeliere. Tres Communitates Vrania, Suitia, Siluania, pugnatâ hac pugnâ XVII. Kalend. Decembris, paucis post diebus, perpetuo fœdere, quod hactenùs in tempus coluerant, se coniunxere. At verò Albertus ab Vrico equestris vir dignitatis, cùm præter Albertum filium Rapersvillæ veteris paræciæ rectorẽ, & Arnoldum ex Rudolfo nepotem etiam sacris destinatum, liberos non haberet, suamque in Heremo, cuius beneficiarius erat, apud filios & Albertum patrem sepulturam legisset, Sacellum in ambitu monasterij D. D. Ioannis Baptistæ, & Euangelistæ titulo conditum, & dedicatum multis possessionibus adfecit, auxit, & locupletauit. Sacerdotem secularem ad idem Sacellum instituit qui quinquies per hebdomadam in eo sacris operaretur, officijs cæteris diuinis, præcipuè festis diebus monasterij, interesset, abbati reliqua subesset, multis alijs conditionibus, quarum omnium instrumentum Ioannis abbatis, & Conuentus, itemque prædicti Alberti sigillis obsignatum, Feficone, vbi ferme per hæc bella agebat Ioannes, natalitijs diebus factum, IV. Scilicet Kal. Ianuarias, Indict. XI V. præsentibus *domino Othone præposito in Frise, Ioanne de Hasenburg, Ioanne de Regensberg conuentualibus, Vlrico Thesaurario, Rndolfo de Ertzinge Canonicis Ecclesiæ Thuricensis, Hermanno rectore Ecclesiæ in Frienbach, Ioanne Capellano* (Ioannis abbatis) *Hartmanno rectore Ecclesiæ in Vffenouua.* Primo vere anni decimi sexti Ludouicus Herridam Friderico fidam obsedit. Ea in obsidione edictum edidit, quo edicto, omnia Austriæ principum jura, & bona tribus in supradictis Communitatibus sita, sibi, & imperio vindicauit X. Kalend. Aprilis. Fridericus contra Eslingam invasit, oppugnauitque, quam cùm Bauarus liberare vellet, pugnam iniere, magnis vtriusque animis, & indomitis. Victoriam incertam nox, & vtriusque exercitus spontaneus receptus fecere. Suitenses eodem tempore in Castrenses, & Vesenios excursionem fecerunt, ferroque, &

A. D. N. CIↃ. CCC. XVI.

flammâ

flammâ grassati, haut mediocrem cladem etiam Heremitarum bonis, eâ parte, & in Marchia sitis, intulere, induciæ tamen factæ vtrimque in paucos sequentes menses. Tandem VI. Idus Augusti lectus pontifex Iacobus episcopus Portuensis qui se Ioannem vicesimum secundum vocauit. Anno sequenti, Castrenses, & Suitenses, finitis inducijs, rursus sese mutuo populauere, vastamque vtrimque regionem fecere. Ad Castrenses accesserunt etiam Glaronenses, & Gertruda maior Vindeckij. Cum verò jam, hoc pacto, aliquot annis, in armis egissent tres sæpius dictæ Communitates Suitia, Vrania, Silvania præcipuâ Austriacorum in se belli jam quidem causâ quod Ludouicum sequerentur, sumptibusque, & malis ad postrema redigerentur, neque is opem portaret, nisi verbo tenus, diuersis ab ijsdem Principibus locis petitus, & conturbatus, facile, cùm consensum eius, & consilium petissent, annuit, vti pacem, aut inducias ab Austriacis peterent, &, volentibus illis, concludere possent. Ita induciæ pactæ, anno decimo octauo, in Kalend. vsque Iunias anni insequentis, auctoribus Austriacorũ nomine Heinrico à Griessenberg, Rudolfo ab Arburg liberis baronibus, & Hartmanno equite ab Ruda qui Principum res in Argouia, & Turgouia curabant, literæ datæ in eam rem feriâ IV. post Iacobi. Inducias se quoque cum fide seruaturos literis proprijs Glaronenses, & Vesenij, Castrensesque obligauere consignatis dominicâ post Iacobi. Ingressus in eamdem cõditionem Vernerus Comes Hombergæ, & Rapersvillæ veteris, festo adsumptionis DEIPARÆ. Ita nostris quoque subditis respirandi aliquid temporis tributum. Leopoldus verò ceteris Ludouici sectatoribus persequendis intentus Salodorum obsedit, quibus cum, decimâ obsidionis hebdomadâ, cum transegissent, Bernam profectus eamdem quoque fraternis partibus vrbem addidit. Ijsdem diebus obijt Gerardus episcopus. In eius locum præsidere Constantiæ jussus Nicolaus I. Iacobi à Frauuenfeld equitis Austriacorum Principum Kiburgi præfecti filius. Anno decimo nono cum jam vicinus induciarum finis esset, easdem rursus in paucos dies,

A. D. N. CIↃ. CCC. XVII.

A. D. N. CIↃ. CCC. XVIII.

A. D. N. CIↃ. CC C. XIX.

mox, ad

mox ad vsque XIV. Iunij anni sequentis produxere ijdem Austriaci officiales, & Communitates, sed quibus nominatim abbas Ioannes, & eius conuentus, subditique, & annexi includerentur. Factum super ijs publicum vtrimq; testimonium III. Nonas Iulij. Et Ioannes, hac pacis fiduciâ, Suitenses, & eorum confederatos Imperiali proscriptione, sacrorumq; interdicto, in quibus eos hactenus habuerat, consensu, & voluntate ducis Leopoldi aduocati absoluit, & liberos pronunciauit, literis Constãtiæ datis feriâ IV. ante D. Martini. Sollicitabat interea Ioannes per Hartmannum de Turre Rapersvillensis Ecclesiæ rectorem incorporationem Ecclesiarum Milani, & Sarmensdorffi, quam ante annos nouem ab Clemente pontifice, vt diximus, concessam Episcopus Constantiensis, & Capitulum distulerant, impedierantque, obtinuitque ab Aimone Sedunensi Episcopo, quam bullæ suæ exsecutorem cum abbatibus Montis angelorum, & S. Blasij pontifex declararat, vti is ad Episcopum Constant. & dictum Capitulum literas daret, quibus literis, eos decreti pontificij admoneret, & sub pœna interdicti, & excommunicationis iubebat, eiusdem bullæ vigore, & auctoritate, ne abbatem, & conuentum Heremitarum in prædictarum Ecclesiarum possessione impediant, aut impediri operam adhibeant, quacumque libet ratione, aut modo. Literæ datæ Seduni VII. Kalend. Mai. hoc eodem anno. Non tamen plures postea per annos Heremitæ ab Constantiensibus quidquam impetrauere. Durabat inter reges bellum, acerrimâ vtrimque evincendi cupidine, & anno vicesimo prope Argentoratum castra contulerant, solo flumine Bruschio exercitus, ne committerentur, dirimente. Multique dies, dum neuter loco cedere, aut pugnæ casum dare inducitur, abierant, donec aduentu Friderici, qui fratri Leopoldo ex Austria in auxilium adcurrerat Bauarus cessit, & in Bauariam, nullâ pugnandi, aut tenendi vltra militis spe, recessit, positis opportunis locis, & distributis præsidijs. Iterum quoque induciæ finierant, & sententijs per partes super bello, & pace requisitis, continuare hanc vtrimq; placuit ad Kalend. vsque Septem-

A. D. N. CIↃ. CC C. XX.

bres pro-

bres proximi anni, & deinceps donec alterutra pars publicè bellum indicat, quo indicto, pax tamen mensem sequentem integrum perduret. Comprehensi eà, vt ante, Ioannes abbas, & eius omnes monasteriales, & subditi, hoc quoque additamento, quo de Heremitis Austriacorum principum ministri Heinricus Baro à Griessenberg, & Hartmannus à Ruoda nihil aliud in se receperunt, quàm si quid hostile ab illis, in easdem tres Communitates, durantibus inducijs, proueniat, aut si quæ interea contra easdem sacrorum interdictio impetretur, curaturos intra quartum & decimum diem damnorum, & iniuriarum reparationem, & fore qui diuina apud eos officia tantisper obeant. Communitatum fides facta Stantij, Dominicâ, quæ D. Martini diem natalem antecessit. Anno sequenti exeunte obijt Nicolaus episcopus Constantiensis. Ex eius morte, & Regum contentione schisma inter canonicos exortum, alijs Austriacum, ceteris Bauarum sectantibus, & ideò suæ quisque factionis episcopum optantibus. Abstinuerunt igitur electione, ne per partium studia, & ex eo discordiam, & bellum episcopatus detrimentum caperet. Ioannes pontif. tantisper administratorem instituit donec in vnius electione conuenirent. Obijt etiam Vernerus Comes Hombergæ, & Rapersvillæ veteris, relicto vnico filio impubere Vernlino sub tutela Ioannis Comitis Habsburgi, Rudolfi, qui apud Moremgart cecidit, fratris qui propterea Lauffenbergam, & Rapersvillam nouam possidebat. Pluribus mensibus absque episcopo, causis antedictis, Constantiæ transactis, anno vicesimo secundo lectus denique Rudolfus ex Comitibus Montis fortis, qui tunc episcopatum Curiensem administrabat. Neutralis habebatur, neque plus in hunc, quàm alterum dominantium inclinare opinionem de se fecerat. Inducia quoque, ineunte Octobri, inter Austriacos, & communitates tres deductæ ad Idus Augusti sequentis, ijsdem quibus ante conditionibus. Anno vicesimo tertio, magno apparatu inter reges belli, cum ad extrema venturos haut dubium esset, Ludouicus maturè tres Communitates, præter alios Austriacis infensos, & sibi

A. D. N. CIↃ. CCC. XXI.

A. D. N. CIↃ. CCC. XXII.

A. D. N. CIↃ.CCC. XXIII.

addictos

addictos admonuit, vti tempori finem iuduciarum denunciarent, bellumque acriter capesserent, si suam gratiam vellent. Celebratâ igitur DEIPARÆ Matris in cælos adsumptione, quæ terminus pacis erat, arma vtrimque receperunt. Et Austriaci quidem Tugio, Lucernâ, ab Entlibuochianis, & monte Brunico frequenter in Communitatum fines grassabantur, cædeque, & igne, & raptu obuia pervastabant. Vicissim illæ haut mediocres versus Heremitas excursiones, & prædas agebant, nihilque non hostile properabant, super partium studia, necessitate quoque adigebantur, exiguo, nisi quem ex ditione Austriaca, rapto acquirererent commeatu, & copiâ annonæ. Leopoldus fortissimum quemque totâ pene Heluetiâ, Elsatiâ, Brisgouiaque in Bauariam Friderico fratri in auxilium duxit. Sed is, haut exspectato aduentu eius, cum Ludouico apud Oetingam conflixit, victusque, & captus cum Heinrico fratre Trauscenneca in arce inclusus est. IV. Kalend. Octobris. Hac victoriâ Bauarus non solum Germaniæ multas Ciuitates, sed etiam ex Italia plerosque principes ad partes transduxit, & in ijs Vice comites, quorum Galeatium Vicarium Imperij in Insubria confirmauit. Galeatium Ioannes pontifex piorum communione priuauerat, rebellemque Ecclesiæ, & Dominationis inhabilem declarauerat. Ea maxima caussa fuit, Ludouici, quia pontificia decreta, eumdem Galeatium in honore, & dignitate confirmando, aspernari videbatur, ad dicendam caussam Auenionem, anno vicesimo quarto, citandi, Leopoldo, vt plerique crediderunt, & Carolo Rege Galliæ instigatoribus. Cum non apparuisset, & ad Concilium generale appellasset, Ioannes alijs quoque caussis additis, tamquam hæreticorum, & excommunicatorum fautorem, & assertorem publicè sacris interdixit, multasque in eum censuras pronunciauit. Exortum inde triginta prope annorum inter Ecclesiam, & Imperium discidium. Anno vicesimo quinto, Leopoldus multo, & indefesso labore, & conatu, desiderioque exsoluendi è captiuitate fratris, cum de pace, & remissione omnia Ludouicus negaret, nisi quæ Im-

A.D.N. CIↃ. CC C. XXIV.

A.D.N. CIↃ. CCC. XXV.

perialia

perialia ornamenta, post Heinrici VII. mortem, ex Italia attulerat, traderet, cum plures etiam primores suaderent, ea tamdem petenti obtulit. Sed Principes, & vrbium magna pars Leopoldi Constantia, raroque in fratrem amore permoti, & jam quoq; Ludouici pertinacium perosi, eum haut dubiam discessionem, & vim captiui regis restituendi minarentur, postremo perpulerunt, vt custodia eximeret pactis, & conditionibus, quarum præcipuæ fuerunt. Pax esset: Imperium commune. Id paribus auspicijs tractarent, regerent, cum fide & cura; regio vterque titulo vteretur: Sigilla bina vsurparent, quiuis in suo alterius anteferret nomen: beneficia & feuda minora conferret vtriusq; nomine is apud quē prima rerum facta petitio esset: Maiora qualia sunt opida, arces, dominia, neuter, altero inscio, & incōsulto, dandi, adsignandi potestatem haberet. Quæ Ludouicus filio Ludouico aut Morauiæ marchioni genero concessit maneant rata, & immota. Alterutro in Italiam abeunte, alter plena potestate Germaniam gubernet, alter res Italicas ex vtriusq; cōmodo & honore componat. Illis, alijsq; paucis conditionibus, bella, inimicitiæ, dicta, facta, abolita, indicta, infecta sint. Ista plusculis adserendæ regiæ Friderici Austriaci dignitatis, quē pleriq; scriptores inscitè an malignè è Romanorum Regū albo expungere hactenus solitauere. Multos exhausserat Ioannes abbas præteritis bellis labores, plura pericula adierat, non de fuerant quoque domesticæ contentiones, & molestiæ. Pace igitur inter principes constituta, rebus familiaribus quietis, ætate jam ingraueſcente, munus, & dignitatem deponere sponte decreuit. Quamobrem, aduocato in arcem Feficonis fratrum collegio, in eorum manum abbatiam resignauit XIX. Kal. Februarij, anni insequentis. Quod si suum iudicium, in successore sublegendo sequi velint, Ioannem Hasenburgensem, tum rei familiaris monasterij præfectum, Cellarium vocant, qui paullò antè Præpositurам S. Geroldi cum laude administrauerat, dignum ostendit. Fratres Hasenburgensem præesse iusserunt. Ioannes verò vitam priuatam, sed haut longam inijt. Excessit enim eodem hoc anno IV.

A. D. N. CIↃ. CCC. XXVI.

Idus Martij insigni virtute, & laude Antistes. Vnde verius magis, quam elegantes de eo Rudolfi, qui eodem tempore, vt supra ostendimus, ludum literarium ibidem exercebat, versiculi libro 11. Captiuitatis Heremitarum cuius etiam ante meminimus.

Frena monasterij regit istius Abbas IOANNES
De Suuandin genere vir probitate nitens.
Libera conditio proauorum protulit istum:
Sed mens mox vita liberiora capit.
Hunc Deus elegit ne sub modio latitaret,
Sed iubar in monte, & lux adaperta foret.
Hunc DEVS elegit, vt dogmata sancta propinet,
Quos sibi subiectos regula sancta facit.
Hunc DEVS elegit Speculatorem fore cleri;
Et Speculum per quod cernitur omne bonum.
Hunc DEVS elegit rosulam de floribus agri,
In quo splendor, odor, fructus inesse datur.
Hunc DEVS elegit vas nobile, vas generale
Omni mortali vas Speciale sibi.
Hic in diuinis sapienter militat armis,
Per quæ succumbit invidus hostis ei.

Paullo post.

Cuncta cauenda cauet, peragit, peragendaq; replet,
Nomine quaq; DEI quæ sibi sancta replet.

Et mox.

Diligit hic corde, re diligit, ac amat ore,
Compatitur corde, re fouet, ore docet:
Mœstos, ac inopes, rigidos reprobosq; rebelles,
Solator reficit, flectit, obitque, domat.
Deuotos, humiles, castos, iustos, venerandos,
Confouet, exaltat, ornat, honorat, amat:
Dirigit, artat, alit, excludit, calcat abhorret,
Ius, malè sacra, sacrum, crimina, probra, nefas.

Eumdem deniq; Principem laudat is auctor mirificè ab virtutibus Cardinalibus prudentia maxime, & iustitia. Eius

multa

multa fuerũt ædificia. Inprimis Feficonem arcem, quam magnus eius patruus Anshelmus abbas à fundamentis exstruxerat, & granarium, cellamq; vinariam addiderat, quia per bella, & contentiones non solùm aduocati, sed alij quoq; hostes expilarant, diripuerantque, cõtra quos suis impetus muris firmioribus, & fossa, valloque circumsepsit, muniuitque, viuaria quoque, & piscinas disposuit. Monasterium inprimis vniuersum, dilabente per ætatem mœnium compage, qua patebat, vndiquaque muris altissimis circumuenit. Pone Basilicam, in fratrum commodum, quia angustius agebant, ingentem domũ, quæ quatuor facilè familias caperet, eduxit, & eorum vsui, & bono dicauit. Ante basilicam vestibulũ, quod ligneum, & malè fultũ erat, humo per imbres ex decliui subsidente, lapide quadrato vtroque latere (Occidentalem partem postea abbas Ioachimus eodem lapide addidit) fundauit, firmauitque, tabernas prope, quibus mercimonia, ad peregrinantium vsum, aut voluptatem exponerentur, instituit, eo facto, decori sacræ ædis, & ornamento, emolumentoq; monasterij per annuam earum locationem consuluit. Duxit & è vicino monte per canales aquas non modò monasterialium vsui, sed etiã incendijs restinguendis. Fontem DEIPARÆ Matris plurimis ornamentis illustrauit. Multa alia condidit ipso in monasterio, & per vicos, & ædes illi subiectas. Sed vt in veteribus instaurandis, aut nouis fabricis ponendis magnanimum se Ioannes, & prudentem præstitit, ita in redimendis, aut agendis Monasterij reditibus, & possessionibus non minorem se præbuit. Prædium Riegol Othonis M. donum, tot iam ab annis oppigneratum, vt creditor temporis præscriptione sibi vindicaret, ære dissoluto, sibi, & posteris adseruit. Multas quoque vites per plura jugera Erlibachi vico, & Huningæ disposuit, quarum ex prouentu monachorum, quos nobilissimos habuit, vt supra vidimus, ordinaria adauxit. In eorum quoque mensam reditus Sarmensdorffensis vici, & Milani, Pontificis auctoritate, & licentia adsignauit, eoque ad diuina ministeria acriores, & promptiores effecit. Primus in Odæum, Chorũ nunc vocant,

cantum per sacrorum officiorum celebrationem musicum introduxit, accitis magnis salarijs è diuersis regionibus magistris, & multa pecunia coemptis libris, cùm hactenus cantum, quem dicunt vsualem, solum vsurpauissent. Magnificus, liberalis, in pauperes largus fuit, amicus hospitibus, & peregrinis. Cumque bella multa, toto pene regiminis tempore, toleraſſet, lites cum Suitensibus continuas habuisset, nullum humanitatis, munificentiæ, benignitatis in suos, in exteros cuiuscumque generis, & ordinis, officium prætermisisset, omnia tamen monasterij granaria, Cellas, Cupas, frumentis, vinis, & id generis refertas, & stipatas habuit, successorique tradidit, pecuniæ quoque præsentis haut exiguam summam. Super Heremitas, curauit etiam vtrumque apud Siluanios Montis Angelorum virûm, & sanctimonialium monasterium. Erat ipse Heinrici baronis à Schuande Glaronensis ordinis equestris filius. Habebat fratres duos Othonem, quem in Monasterium adsumserat, cultuque relligioso induerat, & Burcardum Schuandæ Baronem, & possessorem, quem cum Cæs. Albertus, quia Adolphum Nassouium hostem contra se pertinacius sectabatur, ditione Glaronensi, & paternis sedibus expulisset, ordinem Equitum S. Ioannis Hierosolymitani induit, multaque contrà infideles, præsertim in expugnatione Rhodi, præclara facinora fecit. Vnde primo Commendator Clingnouij, postea Buchsi, postremo supremus per Germaniam cis Rhenanam magister eiusdem ordinis euasit. Cum eo Schuandensium Baronum arma, & Stemmata sepulta. Eodem pene tempore, quo abdicauit Ioannes, in valetudinem, per intolerabiles, & irremissos labores incidit dux Leopoldus qua pridie kalend. Martij extinctus est Argentinæ. In Germaniæ superioris gubernatione, vti etiam Heremitarum aduocatione, successit frater Albertus cognomento

Sapiens, qui Inducias cum tribus
Communitatibus fecit.

IOAN-



IOANNES II. EX BARONIBVS AB HASENBVRGO ABBAS HEREMITARVM XXII. ET PRINCEPS IMPERII QVINTVS.

PACE inter Reges, & inducijs cum tribus Communitatibus, quia maximè dissidijs, & contentionibus Italia flagrabat, & id frequentibus nuncijs expetebant proceres Romani, relicto in Germania Friderico, Ludouicus in Italiam, Tridentino saltu, exercitum peditum triginta equitum quatuor millium duxit, exeunte Februario anni Vicesimi septimi eius seculi. Veronam primo, vbi ab Cane Scaligero magnificè acceptus, inde Comum tetendit. Hic ad IV. Idus Mai. substitit, frequentesq; *A.D. N. CIↃ. CC C. XXVII.*

quentesque Insubrum conuentu celebrauit. Eorum ductu Mediolanum delatus, Coronam cum Margarita coniuge accepit Kalend. Iunij, die festo pentecostes. Ibidem ciuitatum discordias, quantum licuit, pacauit. Multis verò aduersariorum querellis, & accusationibus compulsus in custodiam Galatium Vicecomitem tradidit, Gulielmum Comitem Montis fortis Mediolano Rectorem cum viginti quatuor nobilium senatu præesse iussit. Tertio Nonas Augusti Lucam versus perrexit. Mox pisas repugnantes expugnauit. Eius absentia, & quia longior futura putabatur, itinerum, & mercimoniorum securitati, aduersus grassatores, & contra multorum nobilium tyrannidem, qui per præterita bella ciuilia omnem modestiam exuerant, fœdus aduersus quamcumque vim triennale multæ inter sese Ciuitates fecere Maguntiacum, Vormatia, Spira, Argentina, Basilea, Friburgum, Brisiacum, Solodorum, Constantia, VBerlinga, Lindaugia, Tigurum, Berna. Adsumtæ etiam ab his duabus postremis tres Communitates Vrania, Suitia, Siluania. Defunctus hoc quoque anno dux Heinricus Austriacus, & in Campo regis iuxta Leopoldum fratrem sepultus. Ludouicus, numquam intermissis deinde itineribus, Romam peruenit, missisque, ad Ioannem pontif. Auenionem legatis, qui veniam anathematis & coronationem exorarent, omniaque boni, & Catholici principis officia pollicerentur, cum omnia pontifex respuisset, populo Romano, cleroque, qui aderat, petente, ab Stephano Columna Cardinali, auctoribus Serra Columna Vrbis præfecto, Vrsino de Vrsinis, multisque alijs Romanæ nobilitatis primoribus, in Laterano Imper. coronatus est XVI. Kalend. Februarij anni sequentis. Conuersa hinc in odium pontificis reuerentia, suadentibus quoque, & consentientibus nonnullis episcopis, & Cardinalibus, tum verò & maximè P. R. petitione, & voluntate, quia toties in vrbem accitus, aspernatus erat, contra Ioannem, Petrum de Cortaria Reatinum instituti D. Francisci monachum pontificem summum pronunciauit, qui Nicolaum se V. dixit, & ab eodem iterum Imperialia or-

A. D. N. CIↃ. CCC. XXVIII.

namenta,

namenta, Basilica S. Petri, omnium præsentium prope adsensu, & congratulatione susceptit, XI. Kalen. Iunij, festo die pentecostes. Petrus tamquam pontificem se gerens, plures Cardinales, Episcopos, Archiepiscopos in Italia, & Germania creauit. At verò Ioannes his factis iritatior multo grauioribus censuris Imperatorem adfecit, anathemata ante facta non modo confirmauit in eum, sed aduersus illos omnes, qui ab eo faciebant, qui coronationi consenserant, qui Imperatorem salutarent. Omnibus denique Ecclesiastici ordinis inhibuit, ne vrbibus, locis, prouincijs eius Imperio, & voluntati subiectis sacra officia exsequerentur. Vnde tota Germania præcipuè dissidia grauia & contentiones exitiabiles exortæ. Ludouicus, compositis vtcumque rebus vrbanis, versus Germaniam exercitum reduxit, cùm Romanis promisisset se anno sequenti, rediturum, in quorum gratiam filium Romæ natum Ludouicum Romanum nominarat. Quarto idus Octobris Lucam, inde paucis diebus Pisas aduectus est. Anni vicesimi noni initium morte sua nobilitauit Cæsar Fridericus. Obijt Viennæ, lenta febri, Idibus Ianuarij. Sepultus est Murbacensi Carthusianorum monasterio quod in saltu Viennensi ipse condiderat. Fratres duo, qui supererant, ita Dominia diuiserunt, vti Albertus Austriam, Stiriam, ceterasq; inferiores prouincias regeret: Otho superiora Germaniæ Elsatiam, Torgouiam, Argouiam, Brisgouiam, Harciniam, & cetera Sueuiæ, cum Heremi aduocatione. Otho continuò in suas prouincias profectus in Elsatia aliquamdiu hæsit, reliquam anni Badæ in Argouia consumsit. Eodem tempore, fœdus in triennium produxerunt Rudolfi episcopus Constantiensis, & frater eius Vlricus comes Montis fortis Campi S. Petri dominus, vrbes Constantia, Tigurum, Berna, Lindaugia, Vberlinga, Rauensburgum, opidum S. Galli, & Communitates Vrania, Suitia, Siluania, ijsdem, quibus ante, conditionibus, literis super ea re factis XVIII. Kalend. Februarij. Ludouicus Pisis in Insubriam regressus, cum Azonem Vicecomitem in locum Galeatij, qui paulo antè obierat, Vicarium Imperij in Longobardia in-

A. D. N. CIↃ.CCC. XXIX.

A. D. N. CIↃ. CCC. XXX.

ſtituiſſet, magna ab eo pecunia accepta, poſtremo menſe Decembri ingrediente, ijſdem Tridentinis vallibus, in Bauariam redijt. Paullò poſt Ioannem Bohemiæ regem in Italiam miſit Gubernatorem, & Vicarium Imperialem, qui cũ filio Carolo, qui poſt imperauit, prouinciæ multis annis præfuit. Anno triceſimo, exortum inter fratres Auſtriacos, & Ludouicum bellum. Cauſsâ prætendebatur quòd pontificiæ ſe dignitatis adſertores fratres ferrent, nec Ioannis contemnenda decreta arbitrarentur. Quæ omnia in ſuam contumeliam dici ſpargiq́ue & rebelliones his modis foueri, & confirmari Ludouicus interpretatus, vindicanda armis cenſuit. Igitur, habitis Norinbergæ comitijs, Spiram abſceſſit, vt, Rheno aduerſo, in Elſatiam, & ceteras Auſtriacorum prouincias exercitum duceret. Otho, id quod erat, ſepetirabus, maximas, quàm potuit, copias confecit, & Bauaris obuiam proceſsit, Colmariam, quæ deditionis ſpem per ciuiles diſcordias fecerat, dum hoſtes aduentarent, obſedit: Sed vbi de nouo bello ad Ioannem Bohemiæ regem nuncius allatus, maximis itineribus, ſe continuo ex Italia in Germaniam recepit, tantumq́ue ſua prudentia effecit, vt non ſolùm in gratiam partes redirent, ſed magnam quoq́ue pecuniæ ſummam fratres Bauaro exhauſto, & indigo pollicerentur mutuam. Pignori Auſtriacis tradidit opida Imperialia Tigurum, S. Gallum, Schaffhauſiam, & Rhinfeldam. Tigurum poſteà ex priuilegijs exemtum, vti & S. Gallum, & in vtriusque vicem Briſiacum, & Neoburgum Rhenanæ vrbes ſuppoſitæ. Tigurini Ludouico, quod hactenus ob pontificis cenſuras recuſarant, ſacramentum dixere. Obierat ijſdem diebus Verlinus, Verneri Hombergæ domini filius vltimus ea parte eius ſtirpis, hereditatemq́ue adierat Ioannes Comes Habsburgi, & Lauffenbergæ, nouæq́ue Raperſvillæ Dominus patruus. In veteris Raperſvillæ Comitatu, Marchiam vocant, multa erant beneficia Monaſteriorum ſancti Galli, Fabariæ, Augiæ, potiſſima pars ad Heremitas pertinebat, & horum ſibi, jam multis ante annis, vna cum Heremi aduocatione, poſſeſſionem vindicarat rex Albertus, & poſt

eum, Leo-

eum, Leopoldus dux filius, qui etiam, prouinciali facto iudicio, euicerat, numquam tamen viuentibus, & vigentibus Hombergenſibus obtinere potuerat. Itaque, poſtquam eſſe deſierunt, & ſucceſſit Ioannes Habsburgienſis, non modo quæ pater, fraterque petierunt, impetrauit dux Otho, ſed totum adeò veteris Raperſvillæ Comitatum, & Vvartenbergenſes tres ſupra Baſileam arces, quæ omnia ſubitò, arcibus exceptis, quas vſui ſuo retinuit, iure fiduciario, eidem Ioanni Habsburgienſi Otho reddidit, eorumque nomine obſequij, & fidei ſacramentum ab illo accepit apud Pontem Arulæ, ſiue Brug opido, ſabbatho poſt exaltationem ſanctæ Crucis. Anno ſequenti, Tigurinorum ad Ludouici partes tranſitionem ſecuta, alijs vti in vrbibus, excommunicatio, & pulſi inde diuinorum officiorum miniſtri, ſacerdotes, & monachi, exilium annos ſeptemdecim tolerauere. Durabant adhuc Auſtriæ principibus cum Communitatibus tribus induciæ. Eæ, anno triceſimo ſecũdo, rurſus in bellum erupere, cum Lucernenſes primo pacem cum dictis Communitatibus, mox & fœdus perpetuum inijſſent, inſcijs, & inconſultis Principibus ad quos pertinebant. Exceperant ſanè Lucernenſes omnia Auſtria corum iura, & Dominia in ſe, & ſuos, ſed ſua abſque voluntate, & conſenſu negabant Principes fœdus vllum, aut pacem cum quocumque, & quibuslibet conditionibus ferire ſubditis fas, eſſe. His de cauſſis incæptum vtrimq; acre, & multis congreſſionibus cruentũ bellum. Annus triceſimus tertius memorabilis fuit fœdere quod Principum iuſſu præfecti omnes Auſtriaci Argouiæ, Turgouiæ, Sundgouiæ, Elſatiæ, Briſgouiæ, inierunt cum Comitibus Rudolfo Nidouienſi, Heinrico Furſtenbergenſi, Eberardo Kiburgienſi, vrbibus Baſilea, Tiguro, Cõſtantia, S. Gallo, Berna Friburgo, Salodoro, de mutuo contra quoſcumque, totum quinquennium, auxilio, neque imperio, neque Imperatore exceptis. Fine anni, multis eouſque aduerſariorum criminationibus, impeditam vnionem Eccleſiarum Salmensdorffi, & Milani tandem Rudolfus epiſcopus Conſtant. adprobauit, ab Clemente Pontifice ante annos tres, & viginti

A.D.N. CIↃ. CC C. XXXI.

A.D.N. CIↃ. CCC. XXXII.

A. D. N. CIↃ. CCC. XXXIII.

gratioſè

gratiosè decretam, & liberaliter conceſſam. Literas eiuſdem adprobationis, &, vt vocabulo eiuſmodi in rebus vſitato vtar, incorporationis dedit pridie kalend. Ianuar.

A. D. N. CIↃ.CCC. XXXIV.

Sed poſteaquam eumdem Rudolfum, vti ab principio neutralem, mox fauentem, deniq́ue, ſecretis nuncijs, nouas res moliri Ludouicus perſenſit, contra eum, anno ſequenti, exercitum duxit. Mersburgum opidum, & arcem propter Acronium obſedit, Rudolfoque Hochbergenſi per Sueuiam præfecto Imperiali bellum contra epiſcopum ducere imperauit. At verò Canonici cum ſui epiſcopatus exſcidium manifeſtum animaduerterent, Rudolfum abdicare coegerunt, Nicolaumque II. à Kentzinge præeſſe epiſcopatui iuſſerunt. Et hoc modo bello finis impoſitus. Curauerat idem Rudolfus epiſcopus, jam quatriennio, Ioannis pontificis ſententia, & decreto, abbatiam S. Galli per monachorum in Abbatis electione poſt Hipoldi mortem contentiones, & diſcidium, alijs Vlricum ab Ende præpoſitum, ceteris Berchtoldum à Falckenſtein, vtrumq́ue Baronem, præoptantibus. Eo epiſcopali dignitate priuato, & ſimul monaſterij curatione, tùm rurſus in electionem fratres deſcendiſſent, & neuter antedictorum alter alteri concedere animum induceret, tertium ab Heremo vocauere, Hermannumque Baronem à Bonſtette tum Cuſtodis officio fungentem, S. Galli abbatem nominauerunt. Functus eſt dignitate annos XXVI. menſes V. Habebat eo quoque tempore Eliſabetham ſororem Tiguri principali Sanctimonialium monaſterio antiſtitam. Adminiſtrauerat pariter Rudolfus epiſcopatum Curienſem cuius ſe Gubernatorem titulis præferebat. Canonici exemplum S. Gallenſium monachorum ſecuti, ijſdem pene diebus, ex Heremo quoque Epiſcopum, poſt eiuſdem Rudolfi abdicationem, adſumſere, Hermannum etiam nominatum ex Baronibus ab Eſchibach ſuæ ſtirpis poſtremum. Dum hæc, diuerſis locis fiunt, magno noſtri monaſterij honore & celebritate, in morbum Ioannes abbas incidit, quo XI. Kalend. Auguſti, vti & vita defunctus eſt. Collegium, facto

de nouo

de nouo antistite consilio, Cunradum ex Baronibus à Goesgau abbatem nominarunt. Ita, ijsdem pene diebus, ex Heremitis vnus episcopus, abbates duo creati. Sub idem tempus acri inter Austriacos, & Fœderatos bello cum omnia passim vasta per frequentes excursiones, prædas, & incendia haberentur, nihilque præsertim extra Lucernam tutum esset, & ciues omnia Austriacis debita pollicerentur, interuenere Comites Habsburgienſis, & Toggenburgensis, vrbesque Basilea, Berna, Tigurum, Constantia, quorum interuentu de pace, & inducijs agitatum, factoque inter partes compromisso, multis conditionibus, quibus præcipuè spondebant fœderati, omnia quæcum iure, & ab antiquo Monasterijs, quibus fuerant subditi, & annexi, & deinde Austriacis debeant, præstituros, manente inter eos fœdere inducias triennales pepigere. Anno exeunte pridie Nonas scilicet Nonas Decembris obijt Auinione Ioannes Pontifex, lectus pridie Idus eiusdem mensis Benedictus XII.



CVNRADVS II. EX BARONIBVS A GOES-GAV ABBAS HEREMITARVM XXIII. ET PRINCEPS IMPERII SEXTVS.

A.D.N. CIↃ. CC C. XXXV.

PRIMVS CVNRADI annus memorabilis fuit mutatione Reipubl. Tigurinæ, & secutis inde bellis, quorum haut minima pars ad Heremitas per damna ingentia, & possessionum suarum vastitatem, & populationes pertigit. Eorum bellorum & mutationis causſæ, & origines ita se habuerunt. Vrbs Tigurum ab antiquo Antistitæ monasterij sanctimonialium subiecta erat. Habebat & Præpositus Collegiatæ Ecclesiæ jura quædam. Res capitales aduocatus Imperialis exsequebatur.

Senatus

Senatus erat ex optimis & antiquissimis familijs XXXVI. virûm, qui ter in anno sibi per vices numero XII. succedebant, ita vt primi XII. viri Reipubl. administrationem adirent Kalendis Ianuarij, præsiderentque ad Kal. Maias: Secundi ordinis ab ijsdem ad Kalēdas Septembris: quos ceteri ordinis tertij rursus ad ineuntem annum sequebantur. Si negotium maioris momenti occurreret XII. qui tunc fungebantur alios XII. qui magistratu proximè abierant, aut omnes XXIV. aduocabant. Decreta tamen nomine XII. qui eo tempore præerant, scribebantur. Ita vrbs & Respubl. diu administrata. Et hactenus præcipua cum laude, & cōmunitatis bono. Iam verò sensim corrumpi mores, odia inter se senatores huius, vel illius duodenarij exercere, per factiones in partes discedere, omnes summum locum ambire, suæ hinc quemque familiæ, & gentis in firmamentum curiæ inferere, eo omnia vertere. Interea insolescere, ceteros ciues, & plebem, externosque parui pendere, pauca de jure, & æquo, bonoq; pleraque pro lubidine agitare. His quoq; contentionibus ærarium, & opes publicas in varia trahere, absumere. Ciuibus mox noua & insolita onera imponere, breui postremo Remp. in maximam inopiam, & angustias cogere. Id nō pauci ciuium, equites, nobiles, & è plebe ægerrimè tolerabāt, nonnulli quoq; senatorū, inter quos Rudolfus Brunerus antiquæ familiæ, sed nō eius in senatu dignationis, quam anhelabat. Cum enim ingenti honorū desiderio flagraret, aliosq; minus, vt volebat, idoneos antestare videret, pati nō poterat. Quamobrem ad populi fauorem captandum se conuertit, relictaque patrum factione ad plebem transijt. Inde carpere, & lacerare dicta senatorum, factaque, & insolentiam demonstrare, quandoque deplorare, adhæc peculatum, rapinas, iniurias prodere. Exaggerare onera, exactiones, collectas, & extremum malorum publicum omnium contemtum, & quæcumq; alia plebem vulgo commouere, & impellere possunt. Deniq; eo perpulit, vt facto tumultu, curiam circumsederint, magnisq; clamoribus, & minis factorum, & regiminis rationem expostularint. In fu-

gam tum se non pauci ordinis senatorij, multi quoque è populo sectatores, & clientes coram conjecerunt; alij iudicium non recusauere. Secuta hinc populi coniuratio, opes, sanguinem, vitam prius amissuros, quam vt impunes fugitiui, & obnoxij abeant. Ne tamen vim factis in istis prætendere illi possent, diem dixere, qua die sese coram populo purgare possent, si innocentiam suam probarent, in eadem dignitate mansuros, sin minus iudicium populi exspectaturos. Adfuerunt nonnulli. Pauci se purgauere; plerique multati, & in biennium ad locum certum relegati; ea conditione, vt ne inde pedem efferrent, nec cum ceteris, qui non comparuerant, consilia communicarent, nec ipsi, posterique vnquam senatoriâ dignitate cohonestarentur. In reliquos capitis pronunciata sententia est, bona confiscata, liberi, posterique perpetua infamia notati. Præfectus vrbi Rudolfus Brun, qui horum omnium auctor fuerat, nominatus. Condamnati ad Ioannem Habsburgi, & Rapersvillæ Comitem se recepere, qui multis eorum precibus seductus in protectionem accepit, contra fœdus quod ante biennium cum Tigurinis ferierat. Vnde, vt postea videbimus, eius calamitas ingens, & Rapersvillæ ruina. Fine anni, obijt Hermannus Curiæ Episcopus, qui tanta integritate id, quod præsedit, temporis rexit, vt magnam de se opinionem reliquerit non aptiorem peti posse successorem, quam vnde ipse ante processerat. Igitur Canonici Vlricum ex nobilibus à Lentzburg Heremi monachum episcopum nominarunt. Is tum Fabariæ monasterium administrabat, & ab Cunrado abbate obtinuerunt. Quartus fuit Curiæ episcopus ex nostro collegio accersitus. Fabariæ abbatem ex eodem Heremitarum monasterio Hartmānum baronem ab Arbona cōstituere. Anno triceſimo sexto Ludouicus intellecto legationis quam ad Pontificem miserat, vano exitu, conuentum Principum vtriusque ordinis Spiræ frequentem habuit. Adfuerunt inter reliquos Heinricus de Virnberg archiepiscopus Colonienſis, Episcopi, Augustanus, Argentinenſis, Aichstadienſis, Curienſis, alij. Decreti tum

A. D. N. CIↃ. CCC. XXXVI.

quoque

quoque alij ad Benedictum legati. Legationis principes Vlricus Curiensis Episcopus, & comes Nassouiæ Gerlacus. Illis totius conuentus Principum precibus rursus absolutionis gratiam petentibus flens, & mœrens, quæ sibi ab Franciæ rege imminerent, quæque alij Principes Germaniæ contra Ludouicum molirentur, minitarenturque pluribus pontifex ostendit. Scripserunt enim Ioannes rex Bohemiæ, & Heinricus dux Bauariæ Imperatoris propinquus, alijque nonnulli, Poloniæ se, & Hungariæ regum opibus Ludouicum à quo, non vna de caussa defecerant, plerique tamen ob suum quisque priuatum commodum, regno exuturos, aliumque regem lecturos. Igitur omnia à se, quæ in se essent, officia amicitiæ & benevolentiæ cum Imperatori Benedictus promisisset, patienterque hanc quoque repulsam ferret, rogasset, fore enim, & ita in magna spe esse, vt gratiora mox acciperet, legatos haut vltra remoratus est. Eos Delphinus, quia Gallorum timebantur insidiæ, in tutelam susceptos Lausannam vsque perduxit. At vero Rudolfus Brun Tiguri constituendæ, an regendæ, reipubl. maximè cupidus de totius Ciuitatis sententia, populum vniuersum in tribus tredecim diuisit, tribui cuique magistrum constituit, qui cum alijs tredecim, quos ex optimatibus adsumserat, consilium facerent XXVI. Virùm, quorum omnium caput Præfectum vrbi, quem Burgimastrum vocauit, esse voluit. Renouata in hanc formam Republ. & motu populi pacato, actorum confirmationem ab Antistita Elisabetha ex baronum à Bonstette familia, & à Præposito Collegiatæ Ecclesiæ Crafto ex Comitibus à Tockenburg, postremo etiam ab Imp. Ludouico impetrauit, fortiterq; Remp. & prudenter per annos quatuor, & viginti gessit. Eodem tempore inducæ inter Austriacos principes, & tres confederatas Cõmunitates in biennium, & quod excurrit, ductæ, Lucernæ feria tertia post Ioannis Baptistæ. Erat Principum Austriacorũ per Sueuiam & Elsatiam præfectus, Capitaneum vocabant, Nicolaus episcopus Constant. Is cùm forte, sequenti anno, ex Solio Cæsaris sui Episcopatus opido, A.D. N. CIↃ.CCC XXXVII.

Constantiam rediret, & Glatfeldam veniſſet, ex inſidijs eum Barones à Tenga adorti, nonnullis è comitatu interfectis, alijs vulneratis, captiuum in Hegouiæ arcem Heuue transportarunt, vbi prope menſes ſex habitus proximarum ciuitatum & nobilium interuentu libertatem deniq́ue obtinuit. Et erant ſanè tota pene Germania propter Imperatoris, & pontificis diſsidium multæ turbæ, & ex illis prædandi paſſim licentia, frequentes graſſationes, latrocinia, & cædes, quæ cauſſam Cunrado Abbati præbuerant, vt maximè peregrinãtium pietatis cauſſa ad Heremum, ſaluti, & incolumitati conſuleret. Vnde non ſolum vicinis ciuitatibus in eorum fauorem ſcripſit, ſed plerisque nobilibus, & qui propinquas arces, & etiam remotiores obtinebant. Fidem fecerunt publico ſcripto Suigerus, & Hugo fratres nobiles à Tumba (Vulgo Tummen) Rhæti, eorumq́; patrueles Saffridus, & Ioannes neminem cuiuſcumq́; ordinis, & ſexus ſit, religionis cauſſa ad DEIPARAM Matrem, quæ in Heremo colitur, iter habentem, vti neque ipſorum ſerui, & clientes, vlla in re, violaturos, ſaluos eos potius & incolumes per ditiones ſuas præſtituros. Quod ſi voluerint, aut debuerint eoſdem invadere peregrinantes, integrum menſem, id prius abbati Cunrado nunciaturos. Scriptum editum Campo S. Petri, vulgo Veldkirch, feria ſecunda, poſt adſumptionem DEIPARÆ. Idem alij nobiles Barones, & Comites fecerunt, non minori erga Cunradum abbatem reuerentia. Tigurini interim exules, acceptis quæ in vrbe euenerant, ſuper alium ſenatum, & alias leges, nouum quoque magiſtratum, & Reip. caput eſſe Brunnerum, ſe, poſterosque ſuos domo extorres, & gubernaculis publicis perpetuo excluſos, coniurationem fecere, ciuium bona, & merces in Comitatu Raperſvillano, & Marchia occuparunt, & diripuere, conſentiente, an conniuente Ioanne Comite Habſburgio, ipſos ciues vbicumque nactos inceſſere, vexare, collecta latrocinantium manu, omnia infeſta habere, vrbis poſtremo incendium tentare, ferroque & flamma aduerſarios vlciſci. Capti tum nonnulli è coniuratorum amicis, & ſupplicio adfecti, mandatumq́; Brunnero, daret operam ne quod

Reſpubl. detrimentum caperet. Ipſe cum Vrbanis copijs contra hoſtes progreſſus Comitis Ioannis poſſeſſiones vaſtauit, Raperſvillam quoque oppugnauit, ſed expugnare non potuit. Habebat, eodem tempore, Diethelmus Comes Toggenburgi cum Ioanne propter arcem Grinau Marchiæ ſuperioris acre, & diuturnum bellum, arcemque ipſam obſidione premebat. Ad eum quoque Tigurini nauibus, tamquam contra cõmunem hoſtẽ, acceſſerũt. Habsburgienſis circumventũ ſe vndiq; cernẽs, & obſidione ſuos liberaturus ab inſidijs opem ſumit, collectiſq; quantas potuit, è ſubditis, querneam ſiluam, quæ arci adjacet inſidere, & vicinum collem occupare ſuos iubet, datoque ſigno, dum latus alterum aggreditur, ex inopinato hoſtium terga inuadere. Dictum factum, cæſiq; Toggenburgenſes, & captus Diethelmus, Tigurini multis ſuorum quoque interfectis, in naues repulſi. Sed hi, animis ex accepto damno, & Comitis captiuitate multo atrocioribus, iraque, & pudore incenſi, adſumtis etiam è vicino haut paucis Suitenſibus, rurſus, ſed inſtructiori acie, ad eum, in quo pugnatum erat, locũ naues adegerunt. Neque pugnam detrectauit Ioannes, ſuperioris prælij dexteritate, & virtutis fiducia, paucis comitantibus, diſperſis ceteris & palantibus, hoſtem excepit. Pugnatum acriter, & multa vtrimque cæde. Sed, Ioanne deniq; interfecto, in fugam acti Habsburgiaci, & captiuus Diethelmus ab Raperſvillanis in amiſsi domini vltionem, & deſiderium fædè pariter contrucidatus. Acta hæc x i. Kal. Octobris. Ioannis corpus poſtero die ab filijs Ioãne, Rudolfo, & Gotfrido Vettingã tranſportatũ, & eo in monaſterio iuxta patrem ſepultum. Pacem poſtea, aut inducias potius inter partes Ludouicus Imp. & Albertus dux Auſtriæ, nõnullis conditionibus, fecerũt quarũ præcipuè fuerunt: vti exules pro damnis illatis libras Tigurinis penderẽt argenti ſexcentas, annos adhuc quinq; ab vrbe milliari quinto exularẽt, finito eo ſpatio, ſua bona, & vrbem reciperent. Literæ in formam hanc datæ Auguſtæ Vindelicorum feria v i. ante D. Catharinæ. Quæ omnia licet ægrius Tigurini acceptarent, tamen Imperatoris auctoritate, &

A. D. N. CIↃ.CCC. XXXIIX.

Alberti metu, qui Habsburgienſium propinquorum cauſſam ſuſcepturus credebatur, acquieuere. Annus triceſimus octauus inſignis prorſus fuit apud Heremū nobili in dæmoniaco miraculo. Aduenerūt parētes, nomen, & patria ignoratur, & filiolum ſemeſtrem, ſed ijs viribus, & magnitudine vt biennis & vltra eſſe videretur, manibus deferentes ab cacodæmone obſeſſum. Et primo in Ioannem parochū inciderunt Stein opido Sueuiæ ad Rhenum oriundum, ad illum ipſum ſe veniſſe adſerentes, vt eius conſilio & ope in filioli liberatione vterentur. Confeſtim is eos ad Heinricum ex nobilibus à Ligritz tum cuſtodis officio fungentem, egregia pietate, & virtute virum deduxit qui puerulum manibus amplexus pone altare maius comportauit, ſolitis vſurus exorcismis, vixq; initium fecerat, cùm cacodæmon, non iam tetris, & feris vociferationibꝰ, ſed tortura inaudita & inenarrabili miſerrimè obſeſſum cruciare cœpit, tanta crudelitate & violentia, vt omnes artus alios aliorſum loco moueret, compagesq; corpuſculi omnis reſolueretur, ingenti inſpectantis multitudinis horrore ſimul, & commiſeratione. Sacras tum infantulo admouit Heinricus Sanctorū relliquias, ſed quas is magno eiulatu & tremore ab ſeſe repellere conaretur. Poſtremo DEIPARÆ matris ope contentius implorata: horrendo fremitu, & vlulatione fugam capeſſiuit hoſtis, conquieuitque infans, & artus in ſua quique loca rediere, ſacrasque, quas tantopere abhorruerat, relliquias placidè tractauit, oſculandasque accepit, abieruntque parentes cum filiolo læti, DEVM, & eius genitricem, quæ ſuam in Heremo præſentiam tam claris & manifeſtis miraculis probat, laudibus ingeminantes. Multa alia ſub eodem Ioanne parocho admiranda in Heremo aduenerunt, ſed ſuis annis non tradita; tempore incerta magis, quàm vana, aut ficta effectu cōmemorantur. Vnum, quia meo iudicio ſupra cetera prorſus admirabile, hic, licet de anno minus conſtet, niſi quia aderat tum quoque ſupra memoratus Ioannes parochus, ſubnectam. Illud tale fuit. Votum fecerant multi Alſatiæ nobiles certo periculo defuncti ſacellum ſe DEIPARÆ in Heremo viſitaturos; Addidit ſe ſo-

cietati

cietati eiusdem prouinciæ nobilis, nulla relligione deuinctus, vel pietatis ardore, aut cura; nam vitam eousque per multa fæda facinora exegerat, sed tamquam amicus, & socius amicis, & familiaribus. Votiti continuo, vbi ad Heremum peruenerunt, sacellum introgressi votum persoluere: iste contrà in popinam se rectà abdidit, vinumque efflagitauit. Mox in se conuersus, veluti loci sanctitudo impium licet, & peruicacem edomaret, cùm prius sua secum facinora repetisset, & eo postremo loci consistere, quo, tantis laboribus, ex remotissimis prouincijs delictorum veniam consequendi fiducia, aut alia jam ob impetrata beneficia, & miracula grati, & memores plurimi quotidie confluerent, intacta vini potione, in Sacellum se quoque ipse recepit, ceteraque inter preces DEIPARAM adfatus, tamquam piam Matrem, & certum peccantium refugium, ne denique vita egredi possit, quam multis hostibus habere se circumsessam sciat, nisi prius facta confessione, & sumto filij sacrosancto corpore enixissimè deprecatus est. Neque aliud aut præstitit, aut rogauit. Mira DEIPARÆ benignitas, & commissorum cura, studiumque semper extitit, sed in hoc maximè enituit. Domum enim cum eadem societate redeuntem confertissimus inimicorum globus ex insidijs oppressit, fugatisque ceteris, quem petebant hunc vnum obtruncauere, caput ab reliquo corpore auulsum in proxima arbusta abjecerunt, truncum publica in via reliquere. Transijt haut post è proximo vico illac sacerdos, cædeque recenti perspecta, mirabundus, & subhæsitans, ex propinquo humanam audit vocem, auxilium petentis, & per amorem, honoremque DEI Genitricis confessionem suam acciperet, sacraque Eucharistia muniret, quando absque ea deficere nequeat, obsecrantis. Accessit sacerdos trepidans, & attonitus, suique prope nescius, auditaque deniq; exomologesi, cum tot, tantorum scelerum se reum interfectus adfirmauisset, rogare instituit sacer minister, qua hanc tantam à DEO gratiam ratione emeruisset. Et is paucis quæque apud Heremum acciderant, quæque ante Virginis aram prostratus expetisset,

enarrauit. Mox accepto cæleſti viatico, feliciter exſtinctus eſt, cum prius acta hæc vti apud Heremum publico loco exſtarent, omnibus ad exemplum, & documẽtum feruentiſsimè obteſtatus eſſet. Perfecit ſacerdos, cunctaque, vt aduenerant, recenſuit, plurimorum in præſentia, inter quos Ioannes ante dictus parochus fuit. Hoc eodem anno, comitijs principum, Francofurti magna frequentia, celebratis, promulgauit Ludouicus Imper. defenſionem ſuam contra Ioannis XXII. excommunicationem, & cenſuras, qua eas irritas, & vanas, contraque iuris vtriuſque leges, & decreta, de procerum, qui aderant, vtriuſque ordinis ſententia, & iudicio pronunciauit, obſeruarique eas toto Imperio vetuit, VI. Idus Auguſti. Ejecti tum pluribus ex Germaniæ Vrbibus Eccleſiaſtici, præcipuè monachi, & relligioſi, qui acrius pontificis interdictum tuebantur, noſtri maximè ordinis quorum pars magna in Galliam tranſijt. Et Tigurini quidem, pulſis illis, qui nuper ſuperfuerant, per annos decem abſque vllo diuino officio, & ſacrificio fuerunt. Eodem menſe Auguſto, primum locuſtæ his in partibus viſæ, frumenta, fæna, frondesque depopulatæ ſunt, ſed menſe ſequenti præcipuè, tam denſæ incubuerunt, vt inſtar obſcuræ nubis cælum cooperuerint, incendijque modo campos, & ſiluas, & prata pervaſtarint. Illarum mox ex putrefactione, terra & aëre corruptis, maxima exorta annonæ anguſtia, poſtremo & ſæua peſtilitas invaſit. Supplicationes, & vota auertendæ placandæque Numinis iræ, vndique indictæ, & exactæ. Anni ſequentis initio, obijt Otho dux Auſtriæ, & ſuperioris Germaniæ prouinciarum Auſtriacarum rector, Heremitarum aduocatus, v. Idus Februarij. Sepultus Neobergenſi à ſe condito monaſterio. Reliquit Fridericum, & Leopoldum qui in paterna prouinciarum adminiſtratione ſucceſſerunt. Hoc ipſo tempore effectus Thuringus ex Baronibus ab Attinghuſe Vranienſis ex monacho Heremitano abbas Diſertinus, qui vbi dignitatem, munusque inijt, multa vt erat prudentia, & pacis, & tranſquillitatis inter Chriſtianos vniuerſæ deſiderio, nihil prius habuit, quàm vt pacem, & amici-

A. D. N. CIↃ. CCC. XXXIX.

tiam inter

tiam inter Rhetos, & tres confederatas Communitates reconciliaret, effecitque, hoc anno, multis conditionibus, Disertini, festo D. Martini. Signarunt Rhetorum nomine, idem Thuringus abbas, Ioannes Baro de Bellomonte equestris ordinis Laaci, Langenbergæ, Tlumi, & Foueæ dominus, Heinricus baro à Montealto Lugnitij, & Ilantij dominus, suo, & fratris Simonis nomine, & Maphæus Pallantiæ præfectus: Communitatum vero nomine Ioannes baro ab Attinghuse officialis Vranienſis Thuringi abbatis germanus frater. In easdem conditiones, & amicitiam adsumti eiusdem abbatis opera, Albertus senior Comes Verdenbergæ & sancti Montis, Trimisij Dominus. Anni quadragesimi initio, pacem quoque Agnes Austriaca Hungariæ regina, & Fridericus eius ex fratre Othone nepos, legatique vrbium Constantiæ, S. Galli, Linaugiæ, Rauensburgi, Vberlingæ, Friburgi Brisgouiæ, Schaffhausiæ, Rhinfeldæ, Lucernæ, Zoffingæ, Arouiæ fecerunt, inter Rempubl. & exules Tigurinos. Cum enim cernerent exules vi, & minis nihil obtinere posse, sumtibusque, & impensis fatiscere, & perire, Principum, & vrbium opem implorarunt, abnuentibus quascumque conditiones pacis Tigurinis magistratibus, nisi liberam sui deditionem facerent. Datum tamen Principum, & vrbium honori ne vitæ discrimen adirent. Fecerunt igitur sui potestatem exules, arbitrioque se senatus, & populi Tigurini permiserunt: Iidem de multa statuerent extra mænia, an in vrbe exsequenda, de suis etiam bonis, et possessionibus, eadem auctoritate, decernerent. Acta hæc apud Campum regis, feria secunda, post diem natalem Agnetis Virginis, et Martyris. Hoc anno emit Cunradus abbas mediam partem iuris patronatus Ecclesiæ Snuuis in Rhetia ab Hugone nobili ab Tumba, & Neoburgo in bonum Præposituræ sancti Geroldi. Emtionem hanc ratam habuit Suigerus Hugonis frater, literis super ea re datis, Campo sancti Petri vigilia S. Andreæ Apostoli. Alteram partem nuper etiam accepimus dono, & beneficio Casparis Comitis ab Alto Empsio, quam donationem ratam, gratamq;

A. D. N. CIↃ.CCC. XL.

habuit

habuit Ioannes Pflugius Episcopus Curiensis loci Diœcesanus antiquæ & claræ virtutis ac probitatis nostri singularis fautor, & amator. Erant adhuc in interdicto Heremitarum nomine Suitenses, liberationemque modis omnibus vrgebant, neque vi, vbi se ferebat occasio, & manu abstinebant.

A. D. N. CIↃ. CCC. XLI. Cum igitur, anno sequenti, ineunte Marquardum ex baronibus à Rechburgo Monasterij, eo tempore, Camerarium intercepissent inter prædandum, vt fermè solitabant, sacramento adegerunt, curaturum pro suis viribus, vti interdicto liberentur, & pax inter partes constans, & firma redeat. Sacramenti is literas dedit præsentibus Cunrado ab Iberg officiali, Thuringo ex officiali, Vernero Ioansero, pluribus aliis Suitensibus. Quarto Kalend. Aprilis anni quadragesimi

A.D.N. CIↃ. CC C. XLII. secundi, Benedicto pontifici mortuo successit, pridie Nonas Mai. Clemens VI. nostri ordinis abbas, Fiscanensis Lemoniuensis diœcesis, factus inde episcopus Antistiodorēsis, tum Senonensis archiepiscopus & ex eo Rhotomagensis, postrepontifex præsedit an. X. dies VIII. Vere ineunte bellum inter Tigurinos, & Schafhausianos exortum, prædationes, & cædes vtrimque factæ. Et mala grauiora sperabantur, nisi Imperiales vicinæ vrbes, facto compromisso, placassent. Tumultus quoque & seditio Constantiæ, & Vitoduri, multitudine contra magistratus, & optimates, concitata, eorum, vt volebant, ob insolentiam, & auaritiam. Pulsi nonnulli, mox, venia petita, in integrum restituti. Etsi verò nouus pontifex Ludouico semper etiam priuatis rebus infestus, Ioannis in eum censuras subito, vbi inijt, confirmasset, nihil tamen non mouendum ratus Imperator, quo placaret, liberationemque ab interdicto impetraret, legatos cum potestate quidquid videretur agendi, transigendique Auinionem dimisit, anno quadragesimo tertio. Multis factis consultationibus, postremo leges has pontifex absolutionis edidit. Quæcumque contra Ioannis censuras Ludouicus promulgauerat falsa, & à veritate Catholica aliena profiteretur. Imperium liberè pontifici renunciaret. Se, vxorem, liberos, in eius potestatem traderet; Ab eodem iudicium, & senten-

A.D.N. CIↃ. CCC. XLIII.

tiam ex-

tiam exſpectaret. Quæ adeò aſpera,& intoleranda cum Ludouicus arbitraretur,conuentum Principum in proximũ auctumnum Francofurtum indixit. Decreti pontificij exemplum ad omnes Imperij proceres, amicos, & coniunctos tranſmiſit, quæque Imperij, quæque ſuæ dignitatis eſſent, conſilia exquiſiuit. Eodem tempore,commiſit Cunradus abbas præfecturam Friſæ,& Sancti Geroldi aduocationem Suigero nobili ab Thumba, & Neoburgo. Promiſit contra Suigerus ſe cum fratre Hugone acturum, ne cõmunem eſſe velit, quoscumque ad eamdem præpoſituram abbas miſerit defenſurum, ſuamque in protectionem accepturum, bona, poſſeſſiones, prædia Præpoſituræ pari fide, & integritate tecta, ſarcta, ſalua habiturum, & contra quamcumque vim, & hoſtilem impetum ſuis, & amicorum omnium opibus defenſurum: Cunrado abbati, & eius curatoribus, ſi eo proficiſci contigerit, comitatum, & conductum tutum, & ſecurum præſtiturum. Iuramentum ad ea omnia præſtitum ſcripto cõfirmauit, dato Neoburgo in arce, Vigilia App. Simonis,& Iudæ. Ceterum annus hic memorabilis admirandis omnium Germaniæ fluminum inundationibus fuit. Rhenus enim Conſtantiæ adeò abundauit, vt mœnia prope piſcationis pontem ſupergreſſus ſit, Lauffenbergæ pontem, & ædes duodecim euertit, Sanctione vtrumque etiam pontem, & ædes plures, ſicuti & Rhinfeldæ, totoque adeò tractu Rhenano, quidquid obuium, & oppoſitum eadem violentia perrupit. Lindemagus vtrumque pontem ſuperauit, quos ingenti labore, & ſaxis & truncis, vaſisque aquis repletis, ciues agrè retinuerunt. Domum tamen ponti adiectam Gotfridi Mulneri equitis, (hoſpitiũ nunc gladij eſt) auulſit integram, & eius mole, & impetu quidquid molinarum fuit, duabus exceptis, ſubuertit, & præcipitauit. Tota prope vrbs nauiculis, & ſcaphis peruia fuit, illisque ad Sanctimonialium baſilicam, & loca vicina ferebantur; Vrſa etiam fluuius Lucernæ ad Franciſcanorum ædis maius altare progreſſus eſt, ea profunditate, vt pariter lintres, & phaſelos toleraret. Illa aquarum illuuione, & diuturnis pluuijs corrupta ſa-

rupta sata, & messis, famesque longa, & fæda consecuta, quæ multos mortales absumsit. Plurimos rara, & præsignis Nicolai Constant. episcopi pietas, & benignitas seruauit, qui, toto eo tempore, quod in biennium integrum se traxit, ter, quaterue in hebdomade, tria, aut quatuor, sæpius quinque pauperum, & egentium millia pauit, veri patris, & pastoris exemplo, & imitatione, perpetuaque ad posteros memoria, & laude. Anno sequenti, vt indictum erat, conuenerunt Principes plerique, ingrediente Septembri Francofurtum, vnanimiq; consensu, Vitkero Treuirensi archiepiscopo sententias perquirente, & promulgante, Pontificis decreta improbarunt, legatosque ad Clementem, destinarunt, & sacrum Collegium, qui conuentus iudicium deferrent XV. Kal. Octobris. Hinc inimicitiæ, quàm antea, inter partes acriores. Mense insequenti, prædationes, solito more, versus Heremitas fecerunt Suitenses, Rudolfumque ex baronibus Cimberianis monachum cæperunt, ceteris cum Cunrado abbate Feficonem elapsis, compuleruntque iurejurando adactum officiali Cunrado ab Iberg, Thuringo exofficiali, Vernero Lusingo, Vlrico Vidmanno, Vernero Stauffachero, alijs pluribus polliceri, sibi curæ fore, vti inter Heremitas, & eorum subditos, Suitensesque pax, & concordia redintegretur, vtriusque partis ex commodo, & bono. Pollicita scripto firmauit in Heremo natali die D. Catharinæ Virginis, martyris. Ineunte postea Decembri vita defunctus Fridericus dux Austriæ Othonis F. absque hærede. Successit Leopoldus frater admodum puer, in regimine prouinciarum superioris Germaniæ & nostrorum aduocatione. Anni quadragesimi quinti principium ab terræ motu horrendum, tota Heluetia, Elsatia, Palatinatu, sed longè maximè Insubria, ingenti tremore concussis. Grassabatur interim toto pene orbe sæua pestilentia, sæuior etiam per Italiam. Et apud Rapersvillam, mense Majo, mortales naufragio quadraginta desiderati, mox Rhinfeldæ eodem casu centum triginta. Autumno ingrediente cùm Tiguri Cunradus abbas agitaret, accepit fidei & obsequij sacramentū ab Theodorico majori

A. D. N. CIↃ.CCC. XLIV.

A. D. N. CIↃ. CCC. XLV.

ab Altster-

ab Altstette, prædiorum eorum nomine quæ ei apud Eschentzam contulerat. Postremo anno obijt quoq; Dux Leopoldus magnæ spei, & indolis adolescentulus. Omnium Austriacarum prouinciarū factus hæres, & cōpos Albertus cognomento Sapiens, & Cōtractus, superioribus Germaniæ præfecit, cùm liberi adhuc impuberes essent, Ioannam sororē, clara virtute, & prudentia feminam. Anno sexto, & quadragesimo, solennibus bullæ cænæ Domini anathematis, Clemens pontifex omnes Ioannis XXII. in Ludouicum exsecrationes, & censuras renouauit, eumque, vt hæreticum, & schismaticum, fautoresq; eius, & sectatores condemnauit, interq; eos, & præcipuè Heinricum Maguntiacēsem archiepiscopū, in cuius locum Gerlacum ex Comitibus Nassouię præpositū, & simul Pontificis capellanum sublegit. Electoribus etiam tempus constituit, quo tempore Cæsarem alium, abolita Ludouici memoria, nominarent. Et Gerlacus quidem & Heinricus de archiepiscopali dignitate diu inter sese decertarunt, validis vtrimque opibus, & auxilijs. Sed vt ille quoque pontificio mandato satisfaceret, ante diem XIV. Kal. Augusti, Rhenas Treuirensis archiepiscopus opidū Electores vocauit. Venerunt super Gerlacum Balduinus Treuirensis, Valdramus Colonienſis archiepiscopi; Ioannes Rex Bohemiæ, & Rudolfus dux Saxoniæ, dictisque sententijs, & Ludouici electione antiquata, Carolum, Ioannis Bohemi filium Cæsarem pronunciarunt, absentibus, & omnem contra Bauarum electionem improbantibus, Palatino Comite, & Brandenburgensi marchione. Tum quoque fama valuit corruptos ab Rege Ioanne Saxonem, & Colonienſem, (Treuerensis noui Cæsaris patruus erat Ioannis frater) in eam electionem venisse magis, quàm aduersatiæ partis fauore, aut Ludouici odio. Carolus continuò versus Aquisgranum tetendit, ne ibidem coronam accipere posset, Ludouici amici præpedierunt. Accitus igitur in auxilium ab Philippo rege Galliæ, contra Aeduardum Angliæ Regem proelio Cresciaco interfuit, VII. Kal. Septembris, quo exstincta, & interfecta pene tota Galliæ nobilitas & in ea quoq;

A. D. N. CIↃ.CCC XLVI.

Ioannes rex Bohemiæ, qui eo filium, quamuis cæcus, secutus erat. Ceterum vbi de Caroli electione nuncium pontifex accepit, publico consistorio statim adprobauit. Ipse, magno cum periculo, præterito prælio, fuga elapsus cum in Germaniam rediisset, neque Aquisgranum, vti diximus, obtinere posset, VI. Kal. Decẽbris Bonnæ ab Colonienſi præsule coronatus est. Interea Ludouicus Spiræ Imperialium ciuitatum comitia celebrauit, easq pene vniuersas, maximè quæ Rheni limitem, Franconiam, Allemanniam colunt, sibi addictissimas, Caroli negligentes, reperit. Eodem tempore vita excessit Nicolaus optimus Constant. episcopus. Successor electus Vlricus Pfefferhardus è patricijs Constãtienſibus, præfuit annos sex. Ortaquoq; Flagellantiũ secta, quæ Germaniã, Galliamq; pene vniuersam peruasit. Anno sequenti, v. idus octobris inter venãdum apoplexia, vt pleriq; crediderunt, tactus Imperator Ludouicus esse desijt. Eius morte, aliqua facta ad Carolum inclinatio. Quamobrẽ extemplo magnis copijs Ratisbonã venit, vbi tamquã Rex Romanorũ receptus, mox Norimbergã, multis Burggraffio factis promisis tenuit. Norimberga in Heluetiam transijt. Bernam, Salodorũ, Tigurũ se recepit, postremò dies natalitios Basileæ transegit. Quas vrbes, vti & ceteras, quæ Ludouico eousque adhæserant, Fridericus episcopus Bambergenſis, Clementis pontif. auctoritate interdicto liberauit, & communi Ecclesiæ restituit. Redierunt tumque passim presbyteri, & monachi, quiq; interdicti metu vrbes, & sacerdotia reliquerant, aut miserant. Basilea porro Argẽtinam, & Vormatiã adijt. Hoc eodẽ anno, cõdiderunt Marquardus & Hartmãnus nobiles à Ruoda in æde parochiali ipsius vici Ruodæ, Comitatus Lentzburgienſis, Sacellum DEIPARÆ MATRI, illudq; amplis reditibus locupletarunt, voluntate, & cõsensu Cunradi abbatis ædis patroni, & Brunonis, Rudolfi Brũneri Reipubl. Tigurinæ consulis perpetui, filij, qui toti paroeciæ tunc præsidebat, quiq; postea præpositꝰ Tigurinæ Ecclesiæ, & postremo Caroli Cæs. capellanus, multa ab eo priuilegia in Præposituræ Tigurinæ bonũ & emolumentũ impetrauit. Eius fundationis ex Instrumẽto

A. D. N. CIↃ. CCC. XLVII.

hæc pau-

hæc pauca subieci. *In nomine* etc. *Speciali* etc. *In huius rei* etc. *In dictione*, x v.

Tertio Nonas Ianuarij octaui et quadragesimi anni cõtra Carolum conuenerunt Francofurti electores quatuor Heinricus archiepiscopus Maguntiacensis, Robertus Palatinus, Heinricus, qui in Electoratu Saxonico Rudolfo successerat, & Ludouicus Romanus Brandenburgiensis, vnanimiq; suffragio, Caroli electionẽ improbarunt, tamquam, viuente Ludouico, & immerẽte, illegitimã & largitionibus coactam, missisq; ad Aeduardũ Angliæ regẽ aduersus Gallos victorijs, & rerum gestarum gloria celebrem, illi Imperium detulerunt. Cum is abnuisset, Gallorum bellorum prætentu, Fridericum Misniæ marchionem substituerunt, qui ab Carolo decem argenti librarum millibus corruptus, electionẽ quoque suam eiurauit. Octauo Kal. mensis Febr. sequenti terra valido iterum motu, per Germaniã, & Italiam variè mortalium animos adfecit. Superioribus cum Tigurinis bellis, quibus etiam Ioannes pater occiderat, damna haud mediocria, prædiorum, & locorum vicinitate, Cunrado abbati, & Monasterio nostro præsertim apud Feficonem, & alijs propinquis vicis ipsi subiectis intulerat Ioãnes Comes Habsburgi Lauffenbergæ & Rapersvillæ dominus. Eorum in damnorum compensationẽ, idem ipse Comes Ioannes, & fratres eius Rudolfus, & Gotfridus, qui Lauffenbergæ fermè agitabãt, cum ipse Rapersvillam obtineret, in protectionẽ peculiarem susceperunt eumdẽ Cunradum abbatem, Heremitarum monasteriũ vniuersum, & omnes nostros cum prędijs, & possessionibus subiectos, & obnoxios, promittentes auxilium, operam consilium omnibus ijs in locis, quæ ad eos pertinent, aut in ipsorum potestate sint. Sunt quoque polliciti pro se, & suis omnibus posteris, quos ideo hoc ipso deuinciunt, & obligant, vt eo facilius diuina illis Maiestas, DEIPARA virgo Cælorum Regina veniam illorũ indulgeat, quæ contra Monasterium, & ei cõnexos, & subditos admiserunt, nulla in posterum in re, nullo in jure, jurisdictione, possessione, censu, reditu, nullis in hæreditatibus, feudis, beneficijs, pri-

A. D. N. CIↃ.CCC. XLIIX.

uilegijs, abbati, aut eius monasterio facturos vmquam molestiam, aut impedimentum allaturos, sed eadem omnia, & quæcumque habent in opido Rapersvillæ, & vicinis pagis, se & eorum posteros, protecturos, & defensuros, neque per se, neque opera suorum, neque vlla domestica aut externa jurisdictione seculari, aut Ecclesiastica, aut alia quacumque re infracturos, violaturos, neque damnum aliud vmquam, aut detrimentum apportaturos, sed potius abbatem, eius successores, & monasterium, eadem in libertate, iure, & dominio, quibus hactenus vsi fruiti sunt perpetuo defensuros, & conseruaturos, iuxta, & secundum Monasterij Instrumentum, regalia, tabulas, elenchos, protocolla, absque dolo malo. In quorum omnium fidem, certitudinem, & æternitatem Abbati, & Heremitarum Monasterio fideiussores dederunt senatum, & populum Rapersvillensem, facto Instrumento sigillis trium fratrum, & Communitatis Rapersvillensis munito, editoque Tiguri, hoc anno, feria v. proxima post Ioannis Baptistæ. Iisdem diebus, pestilentia inuasit omnibus retro seculis atrocissima, siue sæuitiam, & præsentiam veneni, siue prouinciarum, quas, eodem pene spatio, incendij modo depopulata est, amplitudinem, & distantiam consideres. Ex transmarinis delata prouincijs Italiam primo corripuit, mox Germaniam, Galliam, Hispaniam vniuersas. Plures pene exhaustæ vrbes, vici, & pagi infiniti funditus exstincti, Monasteriorum ingens numerus populatus tanta veneni acrimonia, vt halitus etiam longinquioris ad certum exitium suffecerit. Ab ea plerique Iudæi expertes erant, & aquis fontinalibus, puteis quoque, & cisternis abstinebant. Vnde vulgò nata suspicio, qnasi venenassent, & mox ingens, tota Europa, excepto Auinione, vbi Clemens pontifex intactos seruabat, eorum persecutio; tormentisque adhibiti, super veneficia, multa alia fœda facinora fatebantur, furta, peculatus, falsimonia, cædes quoque puerorum innocentium. Adulti Iudæi passim ignibus exanimati, tenerior ætas, & pauci annis proiectiores supplicij meru aquis lustralibus expiati. Diu pluuijs aquis, aut perennibus

victitatum

victitatum, donec fontium scaturigines, quos appensis sacculis pharmaco plenis præcipuè corrupisse arguebāt, depurgarentur. Non deerant tamen qui defenderent, & aëris corruptionem tremori terræ proximo attribuerent, ex halatis, ea concussione, densis, & infectis vaporibus. Abstinuisse eo Iudæos fontibus, quod rerum naturalium quam iactitarant, cognitione noxios eosdem fore anteuidissent. Postremo improbabilem videri tantam coniurationem, & vno, eodemque tempore, totius adeò Christiani orbis aquas potabiles corrumpi potuisse. Sub finem anni, Nonis Nouembris, vitam, & dignitatem deposuit abbas Cunradus, cum hactenus magno labore, & cura, per præterita bella, & ciuiles Tigurinorum, & Comitum Habsburgiensium dissensiones, & iras Monasterio præfuisset. Erat ex baronum à Goesgau nobili, & antiqua familia oriundus, quæ arx in Comitatu Froburgensi, pago Buchsigouiæ, infra Oltam opidum sinistra fluminis Arulæ sita est dorso Iurassi. Obijt paullò post Gerhardus vltimus eius stirpis melioris sexus. Succesſere per matrimonia barones à Becburgo vicini. Post Cunradi obitum Heremitæ abbatem nominarunt Heinricum ex Baronibus à Brandisio.



HEINRICVS III. EX BARONIBVS A BRANDISIO ABBAS HEREMITARVM XXIV. ET PRINCEPS IMPERII SEPTIMVS.

A.D.N. CIↃ.CCC XLIX.

KALENDIS Februarij anno nono & quadragesimo iterum Francofurti consilium de nouo Imper. fecerunt antedicti Electores, damnataque secundo Caroli electione, Guntherum Comitem à Schuartzenburgo Thuringum, regem dixerunt, fortem & imperterritum, magnæque virtutis principem. Accepta is electione, magno exercitu, maturè Francofurtum venit, castraque apud vrbem hebdomadas sex, dies tres, veteri consuetudine tenuit, mox admissus, & Cæsar salutatus,

Aquisgra-

Aquisgranum recta tetendit, ibidemque ab Heinrico Maguntiacēsi antistite coronam accepit. Plures ex eo ad ipsum vrbes defecere. Tum verò Carolus animo angi, & amicos, & clientes vndiquaq; accersere, implorare, opes & amicitias omni ex parte parare, vt Rupertum etiam Palatinum conciliaret, eius filiæ nuptias paciſci. Eodem menſe, Tigurini Iudæos quoque anquiſitos, ſicuti pleriſque in vrbibus Heluetiæ, præter alia veneficia, profeſſi ſunt ſutoris ſe puerum quatriennem paullò antè ſubduxiſſe, aciculisque minutatim confoſſum interemiſſe, ſanguinem ex eo hauſtum in varia adhibuiſſe, poſtremò exanimatum corpuſculum torrentis noui fori vado occuluiſſe, ſepeliſſeque. Illud, ijſdem diebus, torrentis curſu pene detectum repererat Valterus à Villa, cum grallis torrentem tranſmitteret, tum verò audito exitu, & cauſſis, Magiſtratus, tamquam martyrio defunctum, iudicauere dignum, qui baſilica Sanctimonialium, ſupra poſita ara, tumularetur, manſitque eius memoria, & veneratio, dum priſca, & Romana ibidem pietas, & relligio. Iudæi promiſcuè flammis traditi, pauci, abiurato Iudaiſmo, ſeruati, è quibus vnus, paullò poſt, quarto ſcilicet Nonas Aprilis pœnitentia, an inſania, domui ſuæ ignem ſubiecit, magnisq; è ſuperioribus locis ingeminans clamoribus, ſe Iudæum mori, vxorem, liberosque, familiam vniuerſam ſecum eo incendio exſtinxit, facili jactura, niſi ijſdem flammis vltra quadraginta è vicinia ædes ſimul conflagrauiſſent. Ira hinc, & vltione, & quia magis, magisque invaleſcebat contagium, quidquid Iudæorum hactenus carceribus retinebatur ſupplicio traditum. Heinricus interea abbas rei domeſticæ intentus, & liberandis Monaſterij poſſeſſionibus, quas præteriti abbates inter bella, & per impendia hinc inde obligauerant, Rudolfo, & Luitolfo baronibus ab Arburgo centum viginti argenti marcas exſoluit, Argouiæque prædia, & reditus Monaſterij qui eo precio illis tenebantur, eorum ex dominio vindicauit. Dederunt barones literas ſuis & Thuringi à Brandiſio baronis, & equitis Rudolfi ſoceri, & Heinrici conſanguinei, ſigillis firmatas quibus ſe

eam ſummam acceptis relatam, iuraque omnia, & præten-
ta ijſdem in bonis, & cenſibus abbati, & Heremitarum mo-
naſterio renunciabant, Sabbatho proximo ante D. Ioannis
Baptiſtæ hoc anno. Cum prætore etiam Bremgartino Jo-
anne ab Eichiberg, & opidi publico conuenit, nomine præ-
dij Valde ſupra opidum ſiti, multis conditionibus, quarum
præcipuæ erant vti monaſteriales in poſterum immunes a-
gant, omnium vectigalium, & portoriorum quæ apud Tra-
jectum ſupra opidum, & pontem opidi penſitare mos obti-
nuit, modios ad hoc Communitas quotannis pendat mo-
naſterio octenos. Acta hæc XVII. Kalend. Nouembres eo-
dem hoc anno. At verò Guntherus Carolum regno ex-
acturus, Francofurtum, ineunte Iulio, cum copijs redijt, pau-
ciſque diebus ibidem tranſactis, in morbum incidit, quo
ingraueſcente, legatos ad eum Carolus, quia longè ſubſe-
quebatur, expediuit, qui rogarent dignitatem vti abdicaret,
promiſſis viginti duabus argenti libris, & nonnullis in Thu-
ringia opidis. Princeps legationis fuit Ludouicus Branden-
burgenſis, Carolo paullò antè per Palatinum reconciliatus.
Is Guntherum, quamuis extremis haut longinquum, ægrè
ab regio titulo ſubmouit. Sed vbi denique mors adfuit, &
plerique electores conſenſerunt, rerum ſummam abſque
competitore, Carolus obtinuit, imperauitque annos dein-
ceps nouem & viginti, ſi Imperij, vt volunt mercimonium
adimas, multa cum laude. Eodem tempore Clemens pon-
tifex Iubileum quinquageſimo quoque anno celebrandum
conſtituit, Romæque, in ſequentem, toto orbe Chriſtiano,
publicandum curauit. Ceterum ab initio ſui principatus in
multo maxima cura poſuit abbas Heinricus ſui monaſterij
ſtatum in priſtinum ſplẽdorem reducere, prædia vt diximus,
poſſeſſiones, reditus ab anteceſſoribus ſuis venditos, aut ob-
ligatos, precio reſtituto, recipere; in primis cum omnibus
pacem, & amicitiam habere, maximè cum vicinis, &, an-
te omnes, Suitenſibus, cum quibus contentio de finibus du-
centeſimum quadrageſimũ annum jam excedebat. Idipſum
etiam Suitenſes maximopere contendebant, vt pote, qui

ob factas,

ob factas, inter eam limitaneam discordiam, aduersus Heremitas, & eorum subditos, sæpius prædationes, incendia, vulnera, captiuitates, sacrorum interdictione tenebantur, liberarique ea impensè cupiebant; quod, super alia incommoda, inuisos se, & abominabiles vicinis, & externis ad Heremum quotidie, diuersis ex partibus orbis, confluentibus, ob loci insignem relligionem, & frequentiam, tamquam eius persecutores, & hostes haut obscurè intelligebāt. Super Vranienſium, & Siluaniorum qui eodem interdicto & confœderati, & auxiliares comprehendebantur immensum huius pacis desiderium, in eaque procuranda studium & laborem irremissum. Quamobrem multis vtrimque disputatis, postremo in Thuringum Disertini Abbatem pars vtraque compromisere, facto jureiurando, eius iudicio, & sententia vtrimque staturos, nec ab ea se successoresque, & posteros, vllo vmquam tempore, recessuros. Erat Thuringus in Heremo doctus, & educatus, & inde ad abbatiam Disertinensem, vt diximus, accitus qui proinde Heremitici Monasterij antiquitates, jura, priuilegia, prædia, possessiones, reditus, & fines, & postremo ex superioribus quoque contentionibus, & bellis, necessitates, & incommoda notissima habebat. Ortum verò trahebat ex baronibus Attinghusanis Communitatis Vranienſis, Suitensibus amicæ, & confederatæ, illis ideò, tamquam popularis, pronus, & amicus credebatur. Igitur, accepto arbitrio, nihil prius habuit quàm, anno quinquagesimo ingrediente, ad Heremū Disertino transire, arbitrationemque ex prudentiorum, quos in consilium adhibuerat, & suo ex animo quamprimum pronunciare, pacemque, & amicitiam inter partes tot temporum, & bellorum conuersiones, denique firmam, & perpetuam sancire, & stabilire. Et primo quidem feria II. post natalem diem Agnetis virginis martyris terminos posuit, finesque, qui hodie quoq; obseruantur, pegit, dein in transgressores secando, cædendo, aut pascendo decreuit: hinc vtriusque partis nuncijs, aut legatis, qui de alterutra querellas, accusationes, postulata perferrent, fidem publicam, & securitatem

A. D. N. CIↃ.CCC L.

constituit.

constituit. Postremò contra arbitratum si quid Suitenses commiserint, aut neglexerint, Abbatem & Heremitas in pristinum locum restituit, nullo alio ad Suitenses ex hoc arbitrio redeunte emolumento, nisi quod tamen antiquis ab interdictis liberi permaneant. Dederunt scripto & sigillis decretis Thuringi assensum & auctoritatem perpetuam Heinricus abbas suo & totius Collegij nomine: Cunradus ab Iberg officialis suo & totius Communitatis, & Suitensium omnium rogatu Vranienses, & Siluanienses. Acta hæc in Heremitarum Monasterio die & anno supradicto, præsentibus, & testimonium gestorum in vtramque partem perhibentibus, Hermanno abbate Fabariensi, Herdecco à Rechberg ordinis equitum S. Ioannis Hospitalis per Germaniam generali Magistro, Petro à Stoffele ordinis Theutonici Commendatore Tannenfelsij, Heinrico Bibero equite, & Tiguri prætore, Hartmanno ab Heidegge equite, Heinrico ab Ruseck barone, Eberhardo Mulnero Tigurino: Cõmunitatum quoque vicinarum legatis, Vraniæ, Rudolfo barone ab Schuinsberg, Heinrico à Mos, Ioanne Majore ab Oerteschuelde: Siluaniæ, Vlrico à Vvolfenchies officiali Vernero à Rutti, Berchtoldo à Zug: Lucernæ, Nicolao à Gundelfinge, Heinrico Stannero, multis præterea Tigurinis, & vtriusque ordinis alijs viris. Eodem die, Abbas Heinricus omnes Confœderatas Communitates ab Interdicto exsoluit, præterita omnia bella, dissidia, damna, perpetua obliuione aboleuit: Eius rei caussa ad quoscumque voluerint episcopos, principes, Iudices, testes literas dare promisit. Promisere vicissim Suitenses sese intra diem octauum, quam ab prædicto Abbate Disertino, eiusuè nuncio, aut antistite Heinrico & eius Successoribus moniti fuerint, de quacumque orta ex siluis, pascuis, locis limitaribus controuersia, missuros qui jure certent, & iudicium in posterum accipiant, absque dolo malo. Hic finis fuit tot annorum dissensionis, & inimicitiarum, magno vtriusque partis emolumento, & Thuringi eximia dexteritate, et Heinrici singulari laude. Per idem tempus Tigurini, qui nondum spatium relegationis ex proximis pactis con-

ctis conuentis impleuerant, & extra mœnia exulabant, suorum impatientia, & aduersariorum odio, simul quia se etiam in vrbem admissos publicis honoribus perpetuò priuatos intelligebant, coniurationem inierunt, adducto, etiam & persuaso Ioanne Habsburgiensi quem ob præteritis bellis accepta damna, & ante omnia paterni exitij ab ea vrbe memoria, nondum satis placatum sciebant. Et eius occupandæ per traditionem consilia cæperunt. Conditiones inter se fuerunt, quibus suis eos opibus restituturum Comes pristinæ dignitati pollicebatur, illi æs eius alienum grande exsoluturos. Nox facinori dicta, quæ diem Apostoli Mathiæ antecedit. Sed, ea nocte, tanta Brunneri præfecti vrbis, & reliquorum ciuium vigilantia, & fortitudo enituit, vt non solùm hostes, qui plateas jam aliquot tenebant, armis profligauerint, sed Ioannem etiam cum alijs nobilibus in potestatem redegerint, plurimos trucidauerint. Versa hinc in Habsburgiensis dominia Tigurinorum arma, & Raperswilla arx, & opidum, tertio obsidionis die, saluis priuilegijs, dedita, firmum vtrique præsidium impositum: Contrà Rudolfus, & Gotfridus, qui Lauffenbergæ agebant, Ioannis fratres, in Tigurinorum merces, & possessiones Valdneros Elsatiæ nobiles impulerunt, Argentinensibus quoque & Basilienſibus in partes traductis. Sed easdem duas Ciuitates postea maximopere acerbarunt Tigurini, posteaquam è Basilienſibus centum, Argentinenses septuaginta, qui per Angelicæ dedicationis memoriam, ad Heremum voti, & relligionis causſa venerant, in reditu, haut procul sua vrbe, interceperunt, et in custodiam tradidere. Inducias tamen Agnes Austriaca in hebdomadas paucas interposuit. Vbi finierunt, Raperswillam veterem inter lacum, et Altendorff eius ripæ vicum, molli, & amœno colle sitam, cum suis Brunnerus circumsedit. Addiderunt se auxiliares Constantienses, S. Gallenses, alij ex fœdere. Neque vltra quartum diem præsidiarij numero triginta obsidionem tolerauere. Deditio facta, ea conditione, vt ne qua Castro iniuria fiat, ipsum tamen funditus Tigurini euerterunt, nihil, quod eius me-

moriam retineat, nisi æde D. Ioannis relicta. Comitatus omnes incolæ, vti & Marchiæ, & vallis vegi sacramento adacti. Maturatum ex eo nouæ quoque Rapersvillæ, quàm paullo ante, vt diximus, deditione etiam obtinuerant, excidium. Et plerique primo ciuium quos opulentia, autfactio, & auctoritas commendabant, specie tuendæ vrbis Tigurum transportati, tum verò arx demolita, mœnia euersa, fossæ expletæ, ignis conjectus in tecta. Opidum pulcherrimum, & amœnissimum contra fidem funditus euersum. Illius opidi maior pars ad Heremitas pertinebat, pauca abbas S. Galli sibi vindicabat. Eorum beneficio, & feudo Comites primò Rapersvillenses inde nominati rexerant, postremò Habsburgienses matrimonio obtinuerant, vti & Rapersvillam veterem quæ pariter proprietate & iure fiduciario Heremitarum erat, vti & Comitatus pene vniuersus. Noua in Rapersvilla palatium abbates splendidum habebant, sæpiusque illic agitabant, maximè posteaquam Habsburgienses, coluerunt. Sed eo facto Tigurini maximam sibi non apud nobiles solum, sed etiam vicinas vrbes Imperiales invidiam concitarunt, neque dubium postea fuit quin Habsburgiensium propinquorum & consanguineorum caussam & tutelam susceperturus Albertus dux Austriæ esset. Fine anni, tandem Heinricus abbas incorporationem Ecclesiæ Riegol in Brisiaca jam olim ab Othone I. Imper. concessæ, ab Vlrico Constant. episcopo, & eius Capitulo impetrauit, ostensis, & probatis, quibus Monasterium premebatur necessitatibus, ære alieno ab antecessoribus suis contracto: in hospites, & peregrinantes in præsentia sumtu, & impensis. Vlricus episcopus suo, & Capituli nomine literas facti testimonio dedit, Constantiæ III. Nonas Decembris.

A. D. N. CIↃ.CCC. LI.

Anno quinquagesimo primo, cum aduersum se bellum vndique glisceret Tigurini animaduerterent, & jam in Argouiam dux Albertus venisset, vt opes suas quoque firmarent, de amicitia cum tribus Communitatibus Vrania, Suitia, Siluania, & Lucernensibus contrahenda agitare cœperunt, iuraruntque fœdus inter se perpetuum, natali die Vald-

burgis, in-

burgis, ineunte Majo. Indead Albertum cum muneribus legatos misere, qui eius aduentum gratularentur, & facta hactenus excusarent. Sed cùm excusationem dux refutaret, nisi veterem Rapersvillam & cetera restituerent, bellum mouit, Tigurumque obsedit. Commissa tum arbitris controuersia, transactum videbatur, nisi, acceptis vtrimque arbitrationis capitibus Ioannem Habspurgium tamen è custodia dimittere petenti Alberto Tigurini negassent. Igitur resumtum vtrimque acerrimum bellum, cuncta ante Tigurum vastata, & incensa. Tigurini vicissim, vocatis in auxilium confederatis, Glaronensium vallem occuparunt, sacramentoq; adactos Glaronenses in fœderis perpetui societatem susceperе. Relicta postea suæ vrbis confederatis custodia, versus Badam, vnde frequentiores excursiones fiebant, copias Tigurini duxerunt, cum Austriacis apud Tetuillam vicum VII. Kal. Ianuarij anni insequentis conflixerunt, viceruntque, ingenti periculo, & labore. Vnde vota publicè Tiguri susceptа, & in memoriam, perpetuamque gratitudinem, ad Heremum Virginis Matris supplicatio, quam maiorem vocarunt, decreta, postridie Pentecostes singulis annis obeunda, in qua ex familia qualibet vnus virilis sexus interesset, qui iam sacrosanctæ Eucharistiæ particeps fuisset. Virorum numerus, super fæminarum, quæ sponte comitabantur, ingentem multitudinem, plerumque ad mille octingentos peruenit. Nec finijt nisi vna cum antiqua, & vera, superiori seculo, apud eos relligione, & pietate. Et deinceps variè, pluribus locis, pugnatum victoria modo in illam, nunc in istam partem inclinante. Sub idem tempus vita egressus est Burcardus nobilis ab Hohenfels arcis nouæ, qui multa Heremitarum feuda, & beneficia habuerat. Ea omnia contulit Heinricus abbas cognato suo Eberhardo Comiti Nellenburgensi seniori Hegouiæ Landgrauio, quorum ipse sacramentum præstitit, promisitque se, & posteros, quam idem Burcardus habuerat, præfecturam, cum fide exercituros; Monasterij ea in præfectura subditos in sua protectione habituros; illorum instituta, & le-

A. D. N. CIↃ.CCC LII.

ges obseruaturos absq; dolo malo. Abbatem eius successores, nulla in re, aut consuetudine impedituros. Horum testimonio literas dedit Comes Stockach feria VI. post ascensionem Domini hoc anno. Obsederant interea confederati Tugium, deditionemq; fecerant decimo quinto die Tugienses, Austriæ familiæ iure recepto. Sed Albertus, omnibus copijs iterum Tigurum, ingrediente Augusto, obsedit, oppugnauitque aliquot dies, donec marchio Brandenburgiensis Ludouicus de pace egit, conditionesque tulit, quibus vtrimque probatis, obsidio soluta, captiui liberati, & inter eos Ioānes Habsburgiensis post annum secundum, menses sex, quàm in turrim Vellenbergam condiderant. Tugium, & Glarona duci restituta. Sexto idus Nouembris sequenti obijt egregius ille antistes Thuringus ab Attinghuse abbas Disertinensis pius, prudens, pacificus. Desideratus Idibus eiusdem mensis Clemens VI. pontifex, successorem habuit Innocentium VI. qui annos IX. menses VIII. dies VII. præsedit. Postremo & deposuit vitam Vlricus Constantiensis Episcopus, & in eius locum sublectus Ioannes tertius à Vindeck Schafhusia oriundus, Alberti ducis Cancellarius, eius maximè fauore, & ambitu. Confirmationem ab Innocentio obtinuit vicesimo tertio Decemb. præfuit annos tres, menses sex. Anno quinquagesimo tertio, mense septembri Carolus Vormatiæ principum Imperij frequentem conuentum habuit, indeq; per Elsatiam, & Rheno aduerso, rogatu ducis Alberti, quia confederati pacta cōuenta detrectare videbantur, Tigurum venit, vbi, cum dies paucos per pacis negotiationem impēdisset, Heremum religionis caussa inuisit, multis cum principibus, & Episcopis, ducēte & comitante Rudolfo Brunno Tigurino præfecto. Et quia exterior basilica S. Mauritij, & sociorum titulo consecrata erat, & Benno ex prima Burgundiæ Regum stirpe Heremum maximè post MEGINRADVM coluerat, celebrataq;, dimidiatum S. Mauritij brachium, & dimidiatum item S. Sigismundi Burgundiæ regis caput, quondā Agauni acceptas dono relliquias, aliasque plures abbati Heinrico, suæ erga

A. D. N. CIↃ. CCC. LIII.

Diuos

Diuos antedictos, & Monasterium deuotionis, & obseruantiæ Cæsar venerabundus obtulit, pecuniæque in vsum communem bonam summam, thesaurarium agente eo tempore, Heinrico ex nobilibus à Ligritia. Ab Heremo Constantiam concessit, vbi Heinrici abbatis Regalia confirmauit, VI. Nonas Octobris. Ceremonias eo in actu publico celebratas describit ipse in diplomate Cæsar, eleganter & quàm breuiter.

CAROLVS DEI *gratia Romanorum semper Augustus, & Bohemiæ Rex. Vniuersis præsentes literas inspecturis, harum serie patefiat. Quod cum venerabilis Heinricus abbas Monasteryi loci Heremitarum ordinis sancti Benedicti Constantiensis diœcesis Princeps & deuotus noster dilectus, feuda sua quæ ratione sui Monasterij à nobis, & sacro Romano Imperio habere dinoscitur, à Regia Maiestate nostra susceperit, nobisq; præstito prius corporali ad sancta* DEI *Euangelia, & tactis præcordijs suis, prout moris est, Iuramento, fidelitatis homagium de huiusmodi feudis suis duxerit faciendum: Nos præfatum Abbatem, & Principem nostrum, de prædictis feudis suis, per sceptrum nostrum regale in manus suas traditum sollemniter inuestiuimus, plenam temporalium administrationem cum iurisdictione plenariè sibi concedentes præsentium sub nostræ Maiestatis sigillo testimonio literarum. Datum Constantiæ Anno Domini Millesimo Trecentesimo, Quinquagesimo tertio. Indictione sextâ, secundâ die mensis Octobris, Regnorum nostrorum anno octauo.*

Sed ante omnia eodem die, & loco Rudolfi primi Regis priuilegium de Principatu sua quoq; auctoritate, ratum habuit, vt ex subiectis perspicere licet.

CAROLVS DEI GRATIA *Romanorũ Rex semper Augustus, & Bohemiæ Rex. Vniuersis præsentes literas inspturis harum serie patefiat. Quod accedens Maiestatis nostræ præsentiam honorabilis Heinricus Abbas Monasterij Heremitarum ordinis sancti Benedicti Constantiensis diœcesis deuotus noster dilectus, quasdam literas continẽtiæ*

infrascriptæ claræ memoriæ quondam Rudolfi Romanorum legis prædecessoris nostri, Celsitudini nostræ exhibuit, nobisque deuotos & humiliter suppilcauit, vt prædictas literas & omnia contenta in eisdem de mansuetudinis nostræ clementia approbare, innouare, & confirmare gratiosius dignaremur. Quarum tenor sequitur in hæc verba.

Rudolfus DEI gratiâ Romanorum Rex semper Augustus Vniuersis sacri Imperij fidelibus ad quos præsens scriptum peruenerit gratiam suam,& omne bonum. Stipati caterua multiplici militum principum. etc. Datum Thuregi septimo Kalend. Februarij, Indictione secundâ, Regni nostri Anno primo.

Nos itaque prædicti Abbatis ingentis ardoris affectum quem semper ad nostram gessit, & gerit Celsitudinem, internâ mentis consideratione pensantes, ipsiusq; rationabilibus & iustis supplicationibus benignius annuentes, præfatas literas, & omnia contenta in eisdem prout rite, & prouide processerunt, & prout iuribus non derogant alienis, de plenitudine regiæ potestatis, & ex certa nostra scientia approbamus, ratificamus, innouamus, & præsentis scripti patrocinio confirmamus. In cuius rei testimonium præsentes literas scribi, & nostræ Maiestatis sigilli munimine fecimus communiri. Datum Constantiæ Anno Domini Millesimo Trecentesimo Quinquagesimo tertio, Indictione sextâ VI. *Non. Octobr. Regnorum nostrorum anno octauo.*

A. D. N. MCCC. LIV.

Regni sui annum octauum constituit, à prima sua electione numerum trahēs,& biēnium illud Imperij, quod Ludouicus vixit, sibi vindicans. Anno sequenti, primo vere, rursus Tigurum Cæsar venit, ibiq; multa alia quæ ad pacem, & tranquillitatem vtriusque partis erant, tentauit. Demum postulauit dedi sibi totius litis arbitrationem. Cum dux vltro præstitisset, confederati, nisi saluis fœderibus, recusassent, ira, & indignatione bellum indixit, & VI. Kalend. Augusti cum Alberto & plerisq; Imperij principibus & Ciuitatibus Tigurum obsidione cinxit. Redacti ad extrema

Tigurini

Tigurini Imperiali è mœnibus sublato vexillo tamquam deditionem postulantes, & suborta interim in castris contentione, & discordia, relicta obsidione, Rheno Cæsar secundo, Spiram concessit, expeditionemq; Italicensem in annum sequentem pronunciauit. Albertus acceptam ab Comite Ioanne cum Comitatu Rapersuillam reædificare cæpit, adhibitis præsenti mercede omnibus, qui operari scirent, aut vellent, paucisq; diebus mœnia instaurauit, multas domos ligneas in vsum exstruxit, & quo lubentiores Rapersvillenses redderet, & quicumq; habitare vellent paratiores, magnas & nouas immunitates omnibus dedit, adeoq; quidquid cõferre potuit in bonum & cõmodum, decus & emolumentũ conditoris noui, & patroni beniuolẽtis, & munifici officio defunctus præstitit. Arcem quoq; ,eadem, qua prius fuerat, forma, & amplitudine muniri iussit. Firmatisque contra confederatos vicinis opidis, & castellis in Austriam recessit. Anno quinto & quinquagesimo Carolus Cæsar susceptа, vt instituerat, Italiæ expeditione, pridie Nonas Ianuarij Mediolanum cum coniuge, & pleraq; Germaniæ, & Bohemiæ nobilitate peruenit. Octauo Idus eiusdẽ mensis die tribus Magis consecrato in S. Ambrosij æde coronã ab Roberto archiepiscopo accepit. Inde, continuatis Romam versus itineribus, Nonis Aprilis in quas festiuitas paschatis inciderat, ab Innocentij pontificis legatis Imperialia ornamenta in vrbe susceptit, Imperator eo nomine quartus, rectaque eamdẽ obseruans viam per Athesinos in Germaniam redijt. Interea duodecimo Kalend. Februarij, in palatio, inter cænandum, fœdè trucidatus Ioannes Constant. episcopus, præsentibus Egone ab Emps, Valtero à Stoffele, alijs pluribus nobilibus, & Constantiæ ciuibus. Antistes pius, & integer, & eo nonnullis suspectus. Cùm cõfoderetur verbum aliud nõ effudit, quàm *Maria virgo pro tuo Capellano apud filium intercede.* Successit in episcopali dignitate Leopoldus Canonicus Bambergensis, fauore Caroli Imper· præfuitq; annos duos, menses tres. Sed vbi in Germaniam redijt Carolus, & audiuit Austriacos inter, & confederatos bellum recrudescere, sum-

A. D. N. GIↃ. CCC. LV.

ta rursus eius componendi cura, partes ad se Ratisbonam vocauit, multisque vtrimque exagitatis, ad postremum pacem concluſit, omnibus, quæ Confœderati occupauerant, Alberto redditis, fœdere tamen, quo etiam Glaronenſes, & Tugij tenerentur, permanente: iure solùm, & reditibus Auſtriacis exceptis, & pœna Majeſtatis in infractores conſtituta, VIII. kal. Auguſti Ratisbonæ. Anni Sexti & quinquageſimi initio, abbas Heinricus, conſiderato plures peregrinantiũ è longinquis regionibus ad Heremũ vota ſua, & deſideria deferre, qui proinde domum inde maturarent, neq; id tamen abſque diuinorum officiorũ participatione fermè auderent aut vellent, vt hac quoque in parte omnibus conſuleret, neque cuiquam moræ eſſet, ſed hanc quoq; animis pijs conſolationẽ relinqueret, de totius Collegij ſententia ſacrum matutinum ad exortum auroræ in æde DEIPARÆ Matris inſtituit, & ſacerdotem ad id ſingularem honorario amplo, & magnifico, nullis alijs legibus adſtrictum, quàm ſua ad horas Canonicas præſentia, exceptis matutinis, in quibus intereſſe extra dies Dominicos nõ tenetur, quibus diebus dominicis hebdomadario de primo illo Sacratiſſima in æde ſacrificio incumbit cura. Perpetuum huius rei factũ Inſtrumentum vtriuſque & Heinrici, & Collegij ſigillis confirmatum, Sabbatho poſt Epiphaniam Domini eo, quo ſupra, anno.

A. D. N. CIↃ. CCC. LVI.

Idem annus memorabilis, an miſerabilis terræ motu horrẽdo & exitiabili fuit. Decimo enim quinto kal. Nouemb D. Lucæ Euangeliſtæ conſecrato, cælo veſperaſcẽte, tremere ſolum validè occæpit, ſed circa mediam noctẽ tum verò ingenti fragore omnia concuti, quaſſariq́ue, cum decies anteà paucas intra horas, terra mouiſſet. Vltra ſex & quadraginta in Epiſcopatu Baſilienſi, in conſtantienſi octo & triginta arces euerſæ, opida nonnulla, & vrbium eius tractus clariſſima Baſilea pene tota corruit: ſupra mortales mille enecati, poſtremò templa, & ædium ſacrarum turres in finitæ, & quidquid pene fornicatum fuit. Vltimum malorum fuit inde ſæua peſtilentia. Pridie Idus Mal. anni ſequẽtis rurſus grauiter concuſſa terra eſt maximè per Heluetiam, Elſatiam & tractũ

A. D. N. CIↃ. CCC. LVII.

Rhenanum.

Rhenanum. Die sequenti, mortem obijt Leopoldus Constant. episcopus. In cuius locum non modo vnanimi Canonicorum suffragio, sed Innocentij quoq; pontificis auctoritate, & consilio electus episcopus Heremitarum abbas Heinricus, tanta de eius integritate, & prudentia apud omnes longè, latèq; valuerat opinio. Episcopatum rexit singulari cum laude annos viginti quinque. Non minor in ea dignitate Heremitarum fautor, & promotor, quam cùm abbatem gereret, curator diligens, & magnus amator, vt suis locis ostendemus. Fuerunt sub eo, & postea, insigni in Heremo nobilitate, & virtute monachi, præcipuè Vlricus de Kramburgo, Rudolfus de Cimbria, Petrus de VVolhause, Ioannes de Rusecka, Nicolaus de Guttenburgo, Rudolfus de Ponte, Marquardus de Grueninberga præpositus Faræ, Rudolfus de Busnang, Arnoldus de Erinchinge & VVeissenburgo, Rudolfus de Luna, omnes barones, & clarissimis familijs oriundi, super alios multos notæ, & antiquæ nobilitatis, in quibus Heinricus de Ligritia thesaurarius. Carolus Imper. petente Heinrico, Episcopatus Constantiensis priuilegia confirmauit, quibus in priuilegijs illi pene totam Constantiam subjecit. Vnde postea continuæ fermè inter ipsum, & opidanos de jurisdictione lites, & contentiones. Post eius electionem cum extemplo Principatum Heremi resignasset, Collegæ Nicolaum ex Baronibus à Guttenburgo prope Harciniam Castro, Abbatem nominarunt. Non me latet, pleroſque, qui de Abbatum Heremi successione aliquid scripserunt, aut ediderunt, Nicolaum hunc post Marquardum, qui ei successit, catalogo inserere. At verò Heinrico Nicolaum proximè adlectum, Marquardum post Nicolaum ex Instrumentis post clarum erit. Exeunte anno, in Heluetiam ex Austria venit Dux Rudolfus Alberti primogenitus, patris in superiori Germania vicarius. Schaffhausiæ aliquandiu substitit, dein Rhinfeldæ.



NICOLAVS I. EX BARONIBVS A GVOTTENBVRGO ABBAS HEREMITARVM. XXV. PRINCEPS IMPERII OCTAVVS.

A.D.N. CIↃ.CCC LVIII.

CVM in Heluetia agitat Dux Rudolfus apud Campum Regis, Tiguri, Raperſuillæ, inſita principum Auſtriæ pietate, & aduerſus Heremitas fauore, & propenſione, publicæque rei, & maximè ad Heremum peregrinantium bono, & commodo, pontem Raperſuillenſem, qui ab opido ad Hurdam vſque vicum altera ſiue ſiniſtra ripa, per paſſus mille nongentos circiter ſupra lacum Tigurinum protenditur poſtero die D. Ioannis Baptiſtæ anni octaui & quinquageſimi fabricare incæpit.

Multi

Multi in eo ædificio architecti adhibiti qui aquas mensurarent, lineas ducerent, palorum interualla disponerent. Opus planè regium, & Austriaco principe dignum. Antea lintribus & phaselis ea per transmittebatur. Sed plerumque ex occursu ibidem ventorum superioris, & inferioris lacus, vndæ ita inturgescebant, tumultuabanturque, vt omnem transitum sæpius prohiberent, pluresque quandoque per dies Rapersvillæ, aut rursus Hurdæ peregrinantes, magno eorum dispendio, & tædio continerent, quibus pons hic in posterum remedio, & solatio fuit. Decimo Kalend. Augusti sequentis, obijt Viennæ dux Albertus cognomento ab ingenij præstantia, & experientia rerum Sapiens: & ex corporis ægritudine Contractus, vltimus filiorum Alberti regis. Reliquit filios Rudolfum, de quo diximus, Fridericum, Albertum, & Leopoldum. Rudolfo vt seniori regimen obuenit optimo principi. Proximo Septembri vendiderunt Austriacis principibus Ioannes, Rudolfus, & Gotfridus fratres Habsburgi Comites, & Domini Lauffenbergæ Comitatum veteris Rapersvillæ, Marchiam, Vallem Vegi, & quidquid sinistra Lindemagi flu. & lacus Tigurini juris & dominij obtinebant. Pleraque erant Heremitarum feuda, & beneficia. Anno sequenti Carolus Imper. Maguntiaci cum archiepiscopis tribus Treuirensi, Colonienſi, & Maguntiacensi colloquium habuit super luxu, & dissolutione ordinis Ecclesiastici, haut magno profectu, licet etiam adfuerit legatus Apostolicus. Austriaci, & Tigurini fœdus in septennium inter se concluserunt. Anno sexagesimo post trecentesimum Rudolfus dux Austriæ Gotfridum Mulnerum equitem Tigurinum, qui præfectus Rapersvillæ tunc erat, Glaronensibus præsidere iussit, Marchiæ vtrique, & illis adiunctis, VI. Kal. Martij. Eodem tempore, obijt Hartmannus ex Baronibus à Bonstette qui ex Heremo adscitus, S. Gallo annos XXVI. menses V. præsederat. Successorem habuit apud S. Gallum Georgium ex Baronibus à Vvildenstein. Heinricus episcopus veneratione peculiari erga DEIPARAM, quia eiusdem apud nostros sacerdos Sacelli sacratissimi non eodem, quo loci mere-

A.D.N. CIↃ.CCC LIX.

A.D.N. CIↃ. CCC. LX.

batur ce-

batur celebritas, salario fruebatur, eidem Sacello parœciam Vangæ vicinam, & parum frequentem annexuit, vniuitque, & quidquid eius reditus est, sacerdoti Sacelli virginei attribuit, consentiente inprimis Abbate Nicolao, parœciæ patrono, & eius Collegio vniuerso. Eius rei factum Constantiæ Instrumentum feria IV. ante festum S. Nicolai. Indictione XIII. Cuius priuilegij hæc pauca, quia ad laudem & frequentiam Heremitani Sacelli faciunt, interserenda putaui.

HEINRICVS DEI GRATIA *Episcopus Constantiensis, totumq; Capitulum Ecclesiæ Constantiensis vniuersis tam præsentibus, quam futuris ad quos præsentes literæ peruenerint, salutem in eo qui est omnium vera salus. Cum per visitationem personalem certo certius nobis constiterit, Quod licet Capella sanctæ* MARIÆ *sita in Monasterio sanctæ* MARIÆ *loci Heremitarum nostræ diœcesis sit & fuerit multis retro actis temporibus locus deuotissimus, & per homines diuersarum prouinciarum, tamquam locus propitiationis, in honore beatissimæ Virginis* MARIÆ *consecratus, ab antiquo frequentari consueuerit; Nihilominus tamen dicta Capella redditus non habet, de quibus sacerdos honestus dictam Capellam inofficians commode valeat enutriri, prout hæc omnia nobis constant, quoniam de Abbatia dicti Monasterij, cui per multos annos præfuimus, ad Ecclesiam nostram Constantiensem assumpti fueramus. Cum autem Ecclesia parochialis in Vuangen adeo sit vicina Monasterio dictæ Capellæ quod sacerdos dictam Capellam inofficians eidem Ecclesiæ, maxime cum paucos habeat subditos, in diuinis officijs commodè præesse valeat & prodesse. Igitur.* etc.

A. D. N. CIↃ.CCC. LXI.

A. D. N. CIↃ.CCC LXII.

ANNO sexagesimo primo præfecit dux Rudolfus Raperswillæ Ioannem à Langenhard nobilem Turgouiensem. Anno sexagesimo secundo ineunte Ioannem Episcopum Gurcensem suum Cancellarium suo, & fratrum nomine gubernatorem generalem, plena potestate, constituit per Sueuiam, Elsatiam, Sequanos, Ergouiã, Turgouiam, Glaronam,

Harciniam,

Harciniam, omneſque ſuperiores Germaniæ prouincias Auſtriæ Domui ſubiectas eius adminiſtrationi attribuit feria II. poſt feſtum D.Blaſij. Fecerunt eodem menſe Februario fœdus in Caroli vitam,& poſt eam duraturum biennium vrbes Conſtantia, Tigurum, S. Galli, Lindaugia, Rauesburgum, Vberlinga, Vanga, Buochornum, Pfullendorffium vigilia D. Matthiæ. At Carolus cùm Conſtantiam veniſſet, cum Tigurinis ſingulare fœdus inijt, Dominica poſt feſtum diem eiusdem B. Apoſtoli. Hieme longa, & ſæua totus Tigurinus lacus glacie concreuit, præbuitque carris, etiam onuſtis ſecurum iter. ad XV. Kalend. Mal. quo die colliquere ſenſim glacies cùm cæpiſſet, poſtridie, omnibus attonitis quo tanta moles diffluxiſſet, nihil eius adparuit, lacu vndique libero, & ſoluto. Longitudine hiemis, & præteritæ æſtatis æſtu intolerabili, pabuli vndique nata ingens inopia. Poſtea etiam pecudum fœda mortalitas, & inde omnium pene rerum maxima penuria, quæ haut paucos quoque mortales ad extrema adegit. Hæc, & alia mala, ſuper præterita tot annorum bella, quibus damnum maximum acceperant, ingentes ſumtus fecerant, grande æs alienum Heremitæ conflauerant, Nicolaum abbatem, & Collegium perpulere opem, & remedium ab Heinrico epiſcopo petendi. Is longa cum ſuis diſputatione, ſimul & commiſeratione, poſtremo, cum aliud opportunius non occurreret, parochialem Eccleſiam in Stefe ſuæ Diœceſis, cuius ius patronatus abbatis erat, menſæ abbatis, & totius Collegij vniuit, & in perpetuum adnexuit, ea conditione, vt decedente eo, qui tum præſidebat, rectore, eius reditibus, decumis, & ceteris commodis vti, frui poſſent, Vicario qui Eccleſiæ miniſtret ſubſtituto. Actum Conſtantiæ XVII. Kalend. Octobris. Indict. XV. hoc anno.

Vniuit idem Heinricus etiam parochialem Eccleſiam Vfnaugiæ Monaſterio, eodem anno, loco, & die atque ijſdem de cauſſis. Incipit enim. *Heinricus* DEI *gratiâ epiſcopus Conſtantienſis honorandis, & relligioſis in Chriſto abbati, & conuentui Monaſterij loci Heremitarum ordinis*

S. Bene-

S. Benedicti nostræ Constantiensis diœcesis, ac vniuersis aliis præsentes literas intuentibus salutem, & sinceram in Domino charitatem, ac præsentibus dare fidem. Vestræ honorandis in Christo abbatis, & Conuentus Monasterij loci Heremitarum Ordinis sancti Benedicti nostræ diœcesis deuotionis sinceritas diuinis laudibus sub relligionis obseruantia dedicata, quam ad bonum propositum, & vestræ relligionis obseruantiam & perseuerantiam geritis, promeretur, vt illo vos fauore, auxilio, & gratia prosequamur, per quæ vestris, & Monasterij vestri necessitatibus valeatis prouidere. Sanè petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat: Quod vestrum Monasterium multis oneribus debitorum est prægrauatum, vosq; propter exercitus, & guerras, frugum sterilitatem, hominum eiusdem monasterij pestilentiam quam plurima damna in bonis, & rebus passi estis, propter quæ fructus, redditus, & prouentus dicti monasterij adeò sunt diminuti, quod exinde commode sustentari, hospitalitatẽ tenere, & alia incũbentia vobis onera supportare nõ poteritis. Quare. &c.

Ad hospitalitatem quod pertinet, quanti etiam nunc sumtus fiant in accipiendis aduenis, & relligionis, votique causſa Virgineum Sacellum inuisentibus, & pro cuiusque conditione, & dignatione pertractandis, expensorum rationes quotannis testantur, & manifestè demonstrant.

A. D. N. CIↃ.CCC. LXIII.

Pridiè eidus Octobris eiusdem anni obijt Innocentius VI. Lectus pontifex III. Kal. mensis insequenti Vrbanus V. nostri ordinis. Præsedit annos VIII. Vere adulto anni sexagesimi tertij, venit in Germaniam superiorem dux Rudolfus, Nicolaoque abbati, suo & fratrum nomine, peculiari quoque sua gratia & fauentia priuilegium dedit, Ne præfectus, senatus, & ciues sui Rapersvillani, eius abbatis, & successorum domus, quam habent Rapersvillæ, causſa, & nomine, aut familiarium, & officialium, quicumque sint, aut fuerint, collectas, vigilias, & quæcumq; huiusmodi onera sunt, aut erunt, in posterum exigant: Neminem in eius domo invadant, aut sequestrent cuiuscumque rei, aut debiti causſa,

crimine

crimine capitali excepto. Si tamen idem abbas, aut alius ſucceſſorum eamdem domum vendiderit, aut cuipiam locauerit, qui mercimonia, aut publicum hoſpitium in ea exerceat, capitis, & bonorum tributa, aliorum ciuium more præſtabit, neque invaſionis, aut ſequeſtrationis gratia, aut beneficio amplius fruetur. In damnum quoque, & detrimentum portorij ex trajectu Hurdenſi, qui beneficio pontis noſtris inutilis euaſerat, vectigalium omnium Raperſuillæ, & apud pontem gratiam fecit: ita vt necipſe, nec ſucceſſores, officiales, ſerui, & familiares ijs in perpetuum teneantur, ſed ab ijs perſonæ omnes Monaſterio adnexæ & bona vniuerſa immunia ſint. Datum priuilegium Badæ per manum Ioannis Gurcenſis Epiſcopi, ſui Cancellarij, & per Sueuiam, & Elſatiam præfecti, feria VI. exeuntis Mal. hoc anno. Ex quo priuilegio manifeſtum Nicolaum hoc tempore Heremo præſediſſe, non, qui ſecutus eſt, Marquardum. Anno ſexageſimo quarto Idibus Iunij obijt apud Campum regis monaſterium à ſe pene regia magnificentia exſtructum Agnes Auſtriaca Andreæ III. Hungariæ quondam regis vidua, viduitatis anno quarto & ſexageſimo: vltima liberûm Alberti regis. XII. Kal. Septemb. ſequẽti anno iterum in has regiones conceſſerunt locuſtæ tanta in cælo denſitate, vt nubis craſſioris inſtar ſolis aſpectum obuelarent. Abſumſerunt frumenta, legumina, quæ ſupererant, frondes, gramina, detrimento incredibili. Vnde rurſus annonæ ingens caritas, & multæ pene vbique miſeriæ. Anno Sexageſimo quinto, quarto Idus Martij vita defunctus abbas Nicolaus. Princeps Heremi nominatus omnium ſuffragijs Marquardus ex baronibus à Grueninberg, qui tum Præpoſituram Faræ obtinebat.

A. D. N. CIↃ.CCC. LXIV.

A. D. N. CIↃ.CCC. LXV.



MARQVARDVS I. EX BARONIBVS A GRVENBERG ABBAS HEREMITARVM XXVI. PRINCEPS IMPERII NONVS.

EODEM tempore, Carolus Imperator venit Basileam, & per Heluetiam, Solodorum, Bernam, Sabaudiamque & Delphinatum, Auenionem ad Vrbanum pontificem tetendit, vti ab ipso petierat. Pauciſque iſtic diebus tranſactis eadem via Argentinam, & Saletionem redijt, exeunte Majo. Iſtic aliquamdiu ſubſtitit. Initio Iulij, cum adhuc Saletione agitaret Imperator, ex Lotharingia in Elſatiam perruperunt Anglorum equitum peditumq; circiter quadraginta millia. Peragrata,

vaſtataque

vastataque vtraq; Elsatia, pluribus vicis incensis, cum magnum exercitum contra eos Carolus comparasset in Burgundiam per montem Bellicardi, nulla alia re gesta, diffluxerunt, eodem mense. Secuta tamen ex eorum vastatione maxima frumenti inopia, quæ multo magis subcreuit, posteaquã etiam sequentibus annis, segetes, messesq; non responderunt. Vnde per famem, & egentiam integri prope sexennij infiniti, tota Germania superiore, ad mortem miserrimis modis adacti. Septimo Kal. Augusti exstinctus dux Austriæ Rudolfus ætatis an. XXVII. princeps pulchritudine, pietate, pacis, & Reipubl. amore nulli secundus. Nullos reliquit liberos. Hæreditatem adierunt, Albertus & Leopoldus, mortuo jam antea Friderico, diuisisque inter se prouincijs Alberto Austria, & vicinæ prouinciæ; Leopoldo superiora Germaniæ obuenere. Anno sexagesimo sexto Carolus Imp. Norimbergæ Comitia ingenti principum & omnium ordinum frequẽtia celebrauit, in ijsq; Bullam quã auream vocãt promulgauit. Marquardus abbas prædium Bleuconis ad Sillam amnem situm commisit Heinrico Verio, aliasque ab eo possessiones recepit, postridie D. Nicolai hoc anno. Faræ præpositum constituit Rudolfum à Ponte. Anno sexagesimo septimo constituit Leopoldus dux superiori in Germania prẽfectum Petrum baronem à Thorberg equestris ordinis, mẽse octobri. Is, anno sequenti, mense Martio, inducias cum Confœderatis Heluetijs fecit in menses sequentes sedecim: multis conditionibus. Autumno proximo, Carolus Imp. cum multis principibus in Italiam rogatu pontificis Vrbani per Athesinos cum iustis copijs tetẽdit Barnabæ Vicecomiti Ecclesiæ rebelli, rogatu pontificis, bellum intulit, mox in gratiam, cùm pares ad eum subigendũ copiæ non essent, accepit. Romam circiter Idus Octob. peruenit, nullaq; magna re gesta, aut gloria, in Germaniam redijt. Anno nono, & sexagesimo mense octobri, vendidit Ioãnes baro à Tenge abbati Marquardo decumas Volruuiæ, & quidquid iuris & Dominij habuit in illũ vicum, & eius incolas, quæ omnia ad ipsum hæreditario ab Erchingeris, prouenerant, qui antiquitus ab

A. D. N. CIↃ.CCC. LXVI.

A. D. N. CIↃ.CCC. LXVII.

A. D. N. CIↃ.CCC LXVIII.

Heremitis beneficio acceperant. Teſtatus eſt baro ſummam ſe venditionis accepiſſe (ea centum triginta libras Denarij Tigurini conficiebat) proindeque cedere ſe ea omnia Marquardo pridie S. Galli. Sub finem eiuſdem anni venit dux Leopoldus Tigurum, inducias q; Thorbergenſis in ſequentē annum produxit. Tiguro Aquas conceſſit, ibique feſtum D. Thomæ Apoſtoli, mox natalitios dies celebrauit. Argouiæ, & Turgouiæ militiæ præfectum Rudolfum Comitem Nidouiū eius ſtirpis extremum præfecit, cetera jurisdictioni Thorbergenſi relicta. Anno ſeptuageſimo, cum durante inter Auſtriacos, & Confederatos pace, & ſua continentia, induſtriaque, res Monaſterij florere inciperent, eas nouis poſſeſſionibus, & reditibus augere, & cōfirmare Marquardus decreuit. Ea de cauſſa quia jam circum circa prædia multa poſſidebat, aut ſui Monaſterij beneficio tenebant alij, arcem, & vicum, Dominiumq; vniuerſum Richenburgi ab Rudolfo Tumptero, cognomēto Keller, ciue Raperſvillano coemit florenis aureis ponderis Florentini mille ducētis. Arx ea & Dominium in Marchiæ capite eſt paullo infra Glaronēſem regionem. Heremitarum ab initio feudum fuerat, coluerantque nobiles à Richenburgo inde nominati. Ab illis ad nobiles Aſperi montis Rhætos peruenerat. Vlricus ſenior ab Aſperomonte, & filius eius Vlricus junior Tumptero ante biennium vendiderant, argenti libris octingentis Tigurini denarij, Tumpterui porrò Marquardo precio, & anno memorato. Et is quidē venditionis inſtrumentum, quo ſe ſummam condictam accepiſſe, & id Dominium Marquardo, & eius ſucſoribus in perpetuū tradere, & cōſignare cum omni jure, & juriſdictione profitebatur, fecit, ſigilloq; ſuo, & ſuis precibus Ioannis à Vilberg muniuit, feria quinta proxima ante D. Michaëlis, hoc anno. Ita Richenburgum ad Heremitas peruenit, qui ab eo tempore per officialem regunt. Eodem tempore, conſtituit Leopoldus generalē Superioris Germaniæ præfectum Ioannem epiſcopum Brixienſem, addito conſiliario Rudolfo Comite Nidouienſi: Illi de principis voluntate inducias cum Confederatis, quia feſto D. Martini exierant, in

A. D. N. CIↃ.CCC LXX.

triennium

triennium renouarunt. Anno exeunte, festo die D. Thomæ obijt pontifex Vrbanus v. Electus Februario sequenti Auenione Gregorius XI. præsedit annos VII. menses III. dies XXVII. Eodem anno ineunte, venit relligionis caussâ ad Heremum Gottfridus Comes Habspurgiensis, Lauffenbergæ Dominus, qui per cõtrouersiam cum quibusdam Vranienſibus Scheitleris cognominatis, merces eorum nonullas inuaserat, diripueratque. Id vbi ad eos perlatum, facta continuò apud Suitenses iuuenum manu, ad Heremum aduolarunt, Comitemque ignarum, & incautum interceperunt, Vraniamque porrò, aut Suitiam captiuum abduxissent, nisi magnis promissis Marquardus interceſsisset, qui Comitem non solùm in custodia, donec eorum prætentis satisfecerit, tantis per habiturum in se recepit, sed etiam vt ne ab ipso, aut fratre eius Rudolfo eam ob captiuitatem detrimentum aliquod patiantur curaturum, pacem, & amicitiam inter partes conciliaturum. Redditus abbatis precibus & promissis Gotfridus, & in Monasterio per plures dies detentus. Postremo Rudolfus Scheitleris satisfecit, scriptoque se eorum fore, quantum eam captiuitatem pertinet amicum pollicitus, fratrem è monasterio exemit, feria III. proxima post Purificationem. Anno septuagesimo secundo, terræ motus in Heluetia Kalendis Iunij metu superiorum mortales ingenti trepidatione adfecit. Non minus perturbauit, incertitudine portenti, insolitus circum amplexus solem circulus in quo cruces erant duæ sanguineæ. Anno septuagesimo tertio, cùm induciæ triennales ad diem D. Martini finissent, in alterum triennium præfecti Austriaci, & Confederati jurauere. Sequenti anno præfecit Leopoldus Argouiæ, Turgouiæ, Elsatiæ Rudolfum Comitem Habsburgi, Lauffenbergæ Dominum. Annus continuis imbribus infestus & exitiosus, flumina pleraque alueos, & ripas supergressa, quidquid fere obuiam fuit abripuere, nonnullos etiam vicos pene integros, frequentia in Campis armenta & pecora, non absque mortalium magna strage & nece, præcipuè mense Nouembri. Sed hinc quoque omnium rerum inopia resuscitata.

A. D. N. CIↃ. CCC. LXXI.

A. D. N. CIↃ. CCC. LXXII.

A. D. N. CIↃ. CCC. LXXIII.

A. D. N. CIↃ. CCC. LXXIV.

A. D. N. CIↃ.CCC. LXXV.

Anni quinti, & septuagesimi initia haut fermè meliora, aut melioris ominis fuere. Exeunte enim Ianuario terra rursus valide concussa est, hiaruntque pluribus locis in maximas speluncas montes, situm etiam rupes locis nonnullis mutauere. Quæ vt in præsentia ingentem trepidationem omnibus generarunt: ita calamitatum, quæ breui in has regiones migrarunt, haut dubia indicia exstiterunt. Mense enim Septembri huius eiusdem anni, Enguerrans, Enguerrante Coussij Comite, & Galliæ Thalassiarcha, Catharinaque Austriaca Leopoldi senioris filia genitus, maternam hæreditatem, vt vulgò ferebatur, repetiturus, maximis peditum, equitumque copijs, quas, quia maiori ex parte rex Angliæ suppeditarat, vulgò omnes Anglos vocabant, primo in Elsatiam descendit, Ea vastata, in Argouiam, quam maximè sibi vindicabat, quasi matri doti traditam, penitrauit, & quidquid ab Lindemago & Vettingensi monasterio, Bernam, & Arbergam vsque protenditur, equis, virisque impleuit, totum eum tractum vtraque Arulæ ripa diripuit, & incendit. Meliora, ante eorum aduentum, pleraque in loca tutiora, Ducis Leopoldi iussu, transportata erant, multi quoque vici cremati, vt inopia exercitus hostilis vires dissolueret, & infringeret. Igitur, vti ratus Dux erat, subito magna omnium rerum penuria Anglos inuasit. Accessit mense Decembri ingens frigoris intemperies. Multæ interea & frequentes congressiones factæ, sæpius victi & cæsi hostes maximè Buttisholtzij, Frauuenbrunnæ, Arbergæ, alibi. His, & alijs necessitatibus compulsus Coussius, anno sequēti ingrediente, in Alsatiam redijt, vbi cum aliquandiu hæsisset, nec quidquam præterea suppeteret, pacem ab Leopoldo petijt, & obtinuit, & pro dote materna Nidouiæ Comitatum, quem paullo antè Dux emerat. Erat Carolus Imper. senecto corpore, & morbis infesto. Itaque siue extrema sibi imminere sentiret, aut ingenti Bohemiæ ante omnia regna extollendæ desiderio, postremo cæco in Venceslaum filium amore, quē scilicet invtilem, ventrique, & fœdæ libidini maximè deditum ignorare non poterat, nihil non commouit vt succes-

A. D. N. CIↃ.CCC LXXVI.

sorem ha-

sorem habere posset, perduxitque, ingenti largitione, Electores plerosque, vt spem præberent, qua accepta, vbi hiems desæuijt, & veris temperies obtinuit, Francofurtum cũ eodem Venceslao, & maximo comitatu tetendit, vtque Cæsarem filium deligerent electores muneribus peruicit, pridie Idus Iunij. Inde Aquisgranum perductum coronandum curauit, XIII. Kalend. Augusti. Denique cum promissa præstare non posset, Imperij opida, vectigalia, portoria pignori Electoribus tradidit, præcipue Rhenana. Ex quo secuta magna Romani Imperij declinatio, & labes. Eodem tempore Gregorius pontifex crebris literis Diuæ Catharinæ Senensis, & Baldi jurisconsulti auctoritate adductus, sedem Apostolicam tandem Romam, Auenione relicta, transportauit, cum tota pene Italia defecisset. Dedicatio Ecclesiæ Vfnaugiæ celebrabatur hac tempestate proxima dominica post festum adsumtionis DEIPARÆ Matris, tenebanturque pœna excommunicationis Vicarij vtriusque Ecclesiæ Frienbachi, & Humbrechticonis, quia Vfnaugienses alumnæ erant, (filias vocant) cum suis subiectis ad eam dedicationem conuenire. Qua in re cum sæpius venti, aërisque intemperies lacum interturbarent, periculumque nauigare eodem tempore volentibus sæpius haut leue incideret, ijdem vicarij, & eorum vicorum incolæ ab Marquardo magnis precibus obtinuerunt, vt eius dedicationis sollennitatem in diem festum Apostolorum Petri & Pauli Vfnaugiæ patronorum, licentia, & permissu Heinrici episcopi Constantiensis transportaret. Annuit Episcopus hoc anno, datis in eam licentiam literis. Qua ratione Indulgentiæ, quæ Vfnaugiæ magnæ ab prima eius consecratione collatæ, & concessæ, deinceps duplicatæ sunt, vtriusque festi nomine patronorum, & ipsius dedicationis. Anno septuagesimo septimo, dux Leopoldus, constitutis post Anglorum recessum superioris Germaniæ rebus, & fœdere cum Heluetijs Confederatis in annos duodecim proximè sequentes facta, cum jam in Austriam abitum pararet, & Schaf husiæ esset, vt aliquod abbati, monasterioque Heremitarum de se solatium, & boni, pijque ani-

A. D. N.
CIↃ. CCC. LXXVII.

mi testimonium relinqueret, ipsum abbatem, & Monasterium in suam singularem gratiam, & protectionem suscepit, ad omnes suos præfectos, officiales, subditos literas edidit, quibus suam mentem illis aperuit, & non modo ipsos eidem abbati, Monasterio, eius subditis, & possessionibus, & mancipijs injurias, aut vim quamcumque facere prohibuit, sed neque alios vt faciant pati serio, & acri mandato præcepit, feria v. ante Dominicam palmarum Schaffhausiæ. Sequenti eiusdem anni auctumno jam adulto x v. Kalend. Nouembris vitam postremo exuit, & dignitatẽ abbas Marquardus. Erat Berchtoldi baronis & equitis à Grueninberg filius. Fratrem habebat Valterum, & sororem Margaritam quæ eodem tempore Sanctionensi Monasterio magna cum laude præsidebat. Sita arx Grueninberga in præfectura Aaruagensi nunc ditionis Bernensis. Eam ipsi quarto post hunc anno, bello quod Kiburgi Comitibus Burgdorffi Dominis, & eorum clientibus, & coniunctis intulerunt, incendêre, destruxeruntque. Fuit verò magna Grueninbergensium baronum potentia. Nam & Barones à Langenstein, qui Monasterium sancti Vrbani condidere, hæreditarunt, advocatique eius deinceps Monasterij, & Benefactores fuerunt, & multa alia dominia in se transtulerunt. Postremus etiam nisi fallor, Gulielmus, Dominum se Rhinfeldæ scripsit quod id opidum ab Friderico seniore duce Austriæ pignori accepisset, vir militaris & expertæ virtutis, cuius multa sequenti bello Tigurino fortia facta. Post obitum Marquardi lectus abbas Petrus ex baronibus à Vuolhause, vltimus suæ, si rectè memini, in Heluetia stirpis, tum sancti Geroldi præpositus.

PETRVS



PETRVS II. EX BARONIBVS A VVOLHAVSE ABBAS HEREMITARVM XXVII. PRINCEPS IMPERII DECIMVS.

ANNVS octauus & septuagesimus maxime duorum orbis monarcharum morte memorabilis fuit. Primus decessit Gregorius XI. Kal. Aprilis. Post eius obitum schisma in Ecclesia DEI omnium atrocissimum exortum quod per annos prope quadraginta orbē Christianum magnopere perturbauit. Romani enim continuò VRbanum VI. eximiæ virtutis, & prudentiæ virum Pontificem crearunt. At verò Galli, & qui Avinione, post Gregorij in Italia reditum, permanserant Cardi-

A. D. N. CIↃ. CCC. LXXIIX.

nales,

nales Clementem VII. pontificem nominauere. Diuisa hinc per partes Europa. Italia, Germania, Pannonia, Scotia Vrbanum pro Christi Vicario percoluere: Gallia, Hispania, Anglia Clementem. Carolus verò vitam & Imperium exuit III. Kalend. Decemb. Pragæ successore regni Bohemiæ, vti & Imperij relicto Venceslao. Sigismundum alterum filium Marchionem, & Electorem Brandenburgi creauerat, precio Bauariæ principibus, qui obtinebant, repræsentato. Vnierat Heinricus episcopus Constant. ante annos septemdecim de consensu, & voluntate Capituli sui Ecclesiam parochialem Stefæ monasterio nostro, ad quos jus patronatus pertinebat, ea conditione, vt quotiescunque Bruno, qui tum paræciam regebat, deficeret, eius Abbas possessionem iniret. At verò Bruno pietatis studio, & commiseratione motus, quod monasterio, post acceptas in suis in Elsatia, & Argouia maximè possessionibus sitis ingentes ab Anglis, præteritis annis, clades & vastationes, neq; ad vsum necessaria, nedum ad charitatem aduenis faciendam suppeditare compertum habebat, vltrò ad Heinricum episcopum tum fortè Badæ agitantem accessit, liberèque paræciam Stefæ, & quidquid in ea juris habebat & emolumenti in manus eiusdem episcopi consignauit, præsente Rudolfo ex baronibus à Busnang conuentuali, & eo in negotio Monasterij procuratore, & syndico. Episcopus collaudata Brunonis voluntate, & pio adfectu, non modo consignationem recepit, sed continuò literas ad Decanum Tigurinum dedit, vti Abbatem in possessionem paræciæ præsentem duceret. Acta hæc, vt notauimus, Badæ anno Domini millesimo, trecentesimo septuagesimo octauo, sexta die mensis Iulij, Indictione prima. Eodem anno concessit abbas Petrus quædam bona, & decumas in territorio Surbseensi sitas Margarithæ Haimonis à Liechtenau viduæ, & filio eius Georgio, acceptis florenis auri ducentis, præsente Rudolfo à Listernau vtriusque curatore, quas tamen, restituta pecunia, post quadriennium Monasterio reuindicaret. Factum conuentionis Instrumentum Surbse, post festum Conuersionis B. Paulli. Anno octogesimo, ce-

A. D. N. MCCC. LXXX.

simo, celebrauit Venceslaus Comitia Francofurti. Ea occasione legauit ad eum abbas Petrus qui Regalium confirmationem poscerent. At ipse, fauentibus, & consiliantibus, qui aderant, Imperij principibus, non modo priuilegia omnia, immunitates, donationes à suis antecessoribus concessas, & traditas adprobauit, sed vt suæ etiam memoriæ aliquod pignus apud Heremitas exstaret, nouum pro publicè proscriptis sanxit, quo non solùm impunè apud Heremitas, eorumque in Dominijs, & locis ad ipsos pertinentibus agitare permisit, sed ipsos ab ijsdem hospitio, domo accipi, ac retineri posse peculiari gratia, constituit. Hac addita conditione, vt si quis sit, qui jus experiri contra eosdem publicè proscriptos, & domo extorres voluerit, id ex monasterij, & eius locorum, dominiorumque, in quibus fuerint, consuetudine, moribus, & institutis, petentibus reddatur. Acta hæc Francofurti die sancti Georgij, regni Bohemici anno XVII. Romani IV. Kalendis Iunij eius anni, terra valide contremuit, repetita intra paucos dies concussione, insolens quoque Solem amplexus circulus horrorem metumque futurorum mentibus ingenerauit. Anno octogesimo primo declarauit Heinricus episcopus Ecclesiam Stefensem Quartis nō teneri, quas sibi, & suo Capitulo, cum eam mensæ monasterij adsignaret, reseruauerat, nec rectè ab antecessoribus suis petitas, & acceptas, incorporationem esse puram, & absque conditione, & reseruatione Quartæ prædictæ, quæ adjecta fuit improuidè in vnione & incorporatione Ecclesiæ. Eius rei, siue Instrumenti principium, quia memoriæ & gratitudinis plenum adponere volui.

A. D. N. GID. CCC. LXXXI.

HEINRICVS DEI *gratiâ Episcopus Constantiensis Venerabilibus & religiosis in Christo Abbati, & Conuentui Monasterij sanctæ* MARIÆ *loci Heremitarum Ordinis Sancti Benedicti, Constantiēsis diœcesis, salutem in Domino, & indigentiis vestris fauoribus subuenire. Cum nos in dicto nostro Monasterio ab infantia educati, & monasticis disciplinis imbuti, cooperante Domino, ad Abbatialem digni-*

tatem

tatem eiusdem, post adsumpti tandem ad apicem Pontificalis dignitatis, de eodem vestro Monasterio, diuinâ fauente clementiâ, promoti, propter sterlitatem frugum, mortalitatem hominum vestri Monasterij, guerras terræ partium, & alias necessitates vestras & causſas rationabiles de consensu etiam nostri Capituli Ecclesiam parochialem in Staui. etc. *Datum in castro nostro Clingnouu Anno Domini* M. CCC. LXXXI. XVIII. *Kalend. Mens. Ianuarij, Indictione quarta.*

Id ipsum alio Instrumento paullo post iterum confirmauit, eodem in opido Clingnau scilicet XIII. Kalend. Ianuarij. Eodem anno, Comites Kiburgi, qui Burgdorffi, & Duni agebant, inquieto, & impacato animo aduersus præcipuè Bernates, & eorum socios Salodorenses, pridie D. Martini episcopi Salodorum nocturnis insidijs occupare tentârunt. Vnde natum quidem tum Kiburgicum bellum, sed iacta quoque semina Sempacensis omnium atrocissimi.

A. D. N. CIↃ.CCC LXXIII. Anno octogesimo tertio, mense Martio concessit Petrus abbas Ioanni Verdenbergæ, & Sargauni Comiti omnium suorum mancipiorum vsum & Dominium, virilis feudi nomine, quæ in eiusdem Ioannis comitatu Sargaunensi degebant, eo tempore, & reperiebantur, reseruato sibi jure proprietatis, obitus, & alijs priuilegijs. Vicissim tradidit Comes eodem jure, & conditionibus abbati omnia sua mancipia quæ intra Heremitani principatus fines, & Dominia tum versabantur, factæ vtrimque eius rei literæ IV. Idus Mattij. Octobri sequenti fundauit abbas Petrus cum vnanimi consensu, & voluntate totius Collegij in honorem, & memoriam sanctæ MARIÆ Virginis glorioſæ, beatorum Apostolorum necnon beatorum patronorum Mauritij, Sigismundi, MEGINRADI, & Iusti martyrum, & totius cælestis Curiæ ob augmentum diuini cultus, animarumque salutem missam perpetuam in altari dictorum duodecim Apostolorum, necnon dictorum beatorum martyrum sitam in Monasterio. Huius fundationis condidit Instrumentum suo, & Collegio sigillo munitum, feria tertia proxima post festum

Michaëlis

Michaëlis archangeli, in quo continentur conditiones, quas accepturus, & obseruaturus sit, quisquis sacerdos eius altaris beneficio frui voluerit, itemque altaris reditus, & alia. Eodem mense, venit dux Leopoldus ad Pontem Arulæ, vbi aliquandiu substitit. Appropinquante jam Christi liberatoris nostri natalitia celebritate, cum fortè in arce Gotliebe infra Constantiam agere Heinricum Episcopum audisset, valetudineque aduersa teneri, ad eum protinus Petrus Abbas accessit, humiliterque petijt, vt sumto Bullæ Leoninæ priuilegio exemplaribus omnibus inde descriptis, & publicatis ex se talem auctoritatem daret, quæ legentibus, & audientibus, fidem faceret vera esse & incorrupta quæ in ea continentur. Quod cùm Heinricus annuisset, insito aduersus DEIPARÆ Matris ædem cultu, & Heremitas amore, & gratitudine, has ipsas literas ipso natalis Domini die, toto Episcopatu publicari in eius rei testimonium curauit & paucis post diebus esse desijt. Literarum exemplum infra positum est.

HEINRICVS DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS *gratiâ Episcopus Constantiensis, Vniuersis, & singulis Christi fidelibus præsentes nostras literas visuris, & audituris notitiam subscriptorum cum salute in domino* IESV *sempiterna. In nostra constitutus præsentia personaliter venerabilis, & religiosus in Christo dominus Petrus de Vuolhusen, diuinâ fauente clementiâ, Abbas Monasterij almæ* DEI *genitricis* MARIÆ *loci Heremitarum, Ordinis S. Benedicti, nostræ diocesis, literas felicis recordationis domini Leonis papæ octaui subscripti tenoris coram nobis in medium producens nobis humiliter supplicauit, quatenus huiusmodi literas transsumere, copiare, seu exemplare mandaremus, taliterque nostri sigilli episcopalis munimine roborare quod huiusmodi nostris copiis, exemplis, & transsumptis, à quolibet eas inspiciente, legente, ac audiente præsertim in foro conscientiæ, possit atque debeat plenaria fides adhiberi. Quibus etiam literis per nos omni, qua decuit, reuerentia re-*

ceptis, lectis, ac cum diligentia recensitis, cum de omnimoda veritate in eisdem contentorum, nec non de suspicionis carentia, ac obseruantia earumdem diuturna per plurium centenariorum annorum curricula in concusse, ac irreprehensibiliter facta plenariè nobis constet, huiusmodi literas Apostolicas copiare, transsumi, nec non exemplari mandauimus, nostrique sigilli Pontificalis appentione roborari. Quarum quidem literarum Apostolicarum tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis.

LEO Episcopus seruus seruorum DEI. Conuenit Apostolico moderamini pijs locis relligione pollentibus benivola compassione succurrere. etc.

Et quia nos Heinricus episcopus præfatus in prædicto monasterio ab infantia fuimus educati, ibidemq; viximus degendo sub monastica disciplina, nec non professione expressa, demum prælati fuimus in Abbatẽ Monasterij memorati, de qua quidem Abbatia, diuina dispositio in Pontificalem nos transvexit dignitatem, sic quod, prædictâ DEI gratiâ, seu eius obseruantiâ diuturnâ, imo longissimâ, plenissimè ac de omnibus contentis in Bulla prænominata nobis constet, vt est præmissum. Quare præscriptas literas Apostolicas, & omnia contenta in eisdem, & præsertim gratiam, quæ narrat, A POENA ET A CVLPA ABSOLVTIONEM, adprobamus, nec non iugi tempore obseruandas, ac etiam sub roboris firmitate permansuras quemadmodum à summis Pontificibus, & Episcopis Constantiensibus nostris prædecessoribus sunt absque contradictione qualibet, necnon impugnatione tolerata, tolerandas, sustinendas, ac perseueraturas fore in DEI nomine in his scriptis auctoritate nostrâ ordinariâ declaramus. In quorum visionis, tolerationis, approbationis, & declarationis euidens testimonium atque robur præsentes literas, seu præsens transumptum, seu exemplar nostri sigilli Pontificalis munimine fecimus communiri. Datum, & actum in castro nostro Gottlieben Anno Domini M. CCC. LXXXIII. VIII. *Kal. mens. Ianuar. Indictione* V.

Ceterum

Ceterum vita defuncto Heinrico episcopo, dissidium inter eligentes successorem exortum, alijs Manigoldum à Brandisio, Heinrici consanguineum, & tum Richenaugiæ abbatem; ceteris Nicolaum à Rihenburgo nominantibus. Tenuit tamen Nicolaus eius nominis tertius. Anno quarto & octogesimo incidit dies festus Matthiæ Apostoli in feriam quartam cinerum aspersione, & humanę fragilitatis memoria sollennem. Nicolaus episcopus feria tertia, quæ Hilalariorum vltima erat, & alias in eiusdem diui honorem jeiunio consecrata, carnis edendæ licentiam fecit toto episcopatu. Multi tamen castigatiores & in jeiuniorum obseruatione & reuerentia obfirmati carne sic quoque abstinuere. Eodem anno absoluit Ioānes Comes Verdenbergensis, omnibus vectigalibus, & portorijs, suis in ditionibus pensitari solitis, abbatem Petrum, eique hac de re priuilegium dedit, quo neque ipsum, neque eius subditos teneri confirmauit, duraturum dum Petro vita, mox, eo mortuo finiturum, idq; ob singularem quo Petrum prosequebatur amorem, & Monasterium vniuersum reuerentiam. Annus quintus & octogesimus celebris fuit magno Ciuitatum Rheni, Sueuiæ, & Franconiæ fœdere, in quibus etiam fuere Constantia, Tigurum, Berna, Tugium, Basilea. Dux Leopoldus nulla adhuc siniſtra de Confederatis opinione, aut metu, Tigurum venit, & inde Rapersvillam, ductu, & nauibus Tigurinorum, vbi ad eum cum Heluetiorum omnium legati venissent, & Suitijs etiam vectigalis Rapersvillæ ad pontem soluere soliti, gratiam fecisset, suas illis ditiones commendauit, pacem inter se colere, & habere, subditis quoque suis omnibus rebus Confederatis gratificari, amicè & pacatè viuere præcepit. Idem quoque Confederati promisere. Hac spe in Austriam ex Heluetia discessit. Vigilia Thomæ Apostoli paucis quàm dux abierat diebus elapsis, Rapersvillam Tigurini, & Glaronenses occupare, vti fama fuit, tentârunt. At verò Lucernenses Rotinburgum opidum & arcem, nullo indicto bello, euerterunt, die Innocentium, quod ibidem ab Hermāno Barone à Grueninberg præfecto vectigalia insolita

A.D.N. CIↃ.CCC LXXXIV.

A.D. N. CIↃ.CCC. LXXXV.

impoſita adſererent. Entlibuochianos etiam Petro à Torberg pignore ab principibus traditos, rebellantes, in ſuam protectionem receperunt. Anno mox ſequenti, Sempacum, & Meyenbergam opida Auſtriaca, pariter ſuæ poteſtatis fecerunt, plures ſub hæc arces, accitis Siluanijs, & Vranijs, exſciderunt. Suitij verò totam Heremum, & eius omnes incolas, Marchiamque inferiorem invaſerunt, & ſacramento adegerant. Leopoldus cum multis apud Germaniæ principes plerosque, de Confederatorum iniurijs conqueſtus eſſet in Germaniam ſuperiorem accelerauit, ex Alſatia in Heluetiam tranſijt, & Zoffingæ frequentem delectum habuit. Audito mox Heluetios in Comitatu Kiburgenſi vaſtabundos morari, Sempacum, vt præſidium eorum inibi opprimeret, properauit. Quo cùm, eodem tempore, Confœderati Lucernenſes, Vranienſes, Suitij, Siluanienſes peruenisſent, prælium illud memorabile ſupra opidum ediderunt, quo præter maximam nobilitatem ipſe Dux Leopoldus interfectus 1 x. Iulij. Albertus cognomento cum trica audita fratris & nobilitatis clade, magnis itineribus, ex Auſtria in Heluetiam contendit, collectisq; exercitus relliquijs, exſequias fratris apud Campum regis, quo funus detulerant, magna frequentia, & lacrimis celebrauit, accitumque Leopoldum interfecti filium bello præfecit. Variæ poſteà vtrimque excurſiones, cædes, prædationes, toto pene anno, fuere, donec inducias in Februarium proximum Imperiales Sueuiæ vrbes inter partes conciliarunt. Fine anni Epiſcopatum ſponte abdicauit Nicolaus, cumque tamdem poſt multas contentiones obtinuit Manigoldus Brandiſius, rexitque per biennium. Anno ſeptimo & octogeſimo, finitis inducijs, rurſus partes arma & omnia hoſtilia exercuerunt. Imperiales ſecundo inducias annuas interpoſuerunt quæ haut perinde ſeruatæ cum fide. Igitur quàm primum exierunt arma multò atrocius anno inſequenti corripuerunt. Confederati apud Naualia Auſtriacos, duce Ioanne Verdenbergenſi iterum vicerunt, Raperſvillam per aliquot hebdomadas fruſtra obſederunt, oppugnaruntque. Auſtriaci contra

A. D. N. CIↃ. CCC. LXXXVI.

A. D. N. CIↃ. CCC. LXXXVII.

A. D. N. CIↃ. CCC LXXXIIX

pagos

pagos nostros, sed quos Suitij, vt diximus, occuparant, Feficonem, Frienbach, Volrau populati sunt. Non cessabat, tamen interea abbas Petrus, adsumto in eamdem operam antistite Vettingensi, inter partes obequitare, magnis contentionibus pacem suadere, sollicitareque. Accesserunt quoque eædem, quæ prius, Imperiales vrbes, quæ non cura inferiore eadem tentabant, vrgebantque,& denique multo labore impetrarūt, feria v. post festum pascatis anni noni,& octogesimi, pactis inter Austriæ principes, & Confederatos septem annorum inducijs. Publicatæ ipsæ magna omnium congratulatione kalend. Aprilis eiusdem anni. Conditio inter alias fuit, vt quæcumq; Confederati tempore belli occuparunt, eadē, durantibus inducijs, retinerent. Additum tamen vt quæ nostri monasterij erant,& armis Suitii in suam ditionē redegerāt, abbati Petro restituerētur, aduocatio quoque Monasterij ad Austriacos principes pariter rediret: sola ea Suitiis remanerent, quæ in Marchia inferiori subegerant. Post Manigoldum, qui VIII. Kalend. Nouemb. anni superioris repentino obierat, creatus Constantiæ episcopus Burcardus ex baronibus ab Heuue. Hoc eodē anno cum XVII. kal. Nouemb. vitam & pontificatum summum reliquisset Vrbanus VI. viueret adhuc Auenione Clemens, Romæ pontifex lectus Bonifacius IX. Neapolitanus, tricesimo ætatis anno, sed qui, ea ætate omnium maximè lubrica, ita vixit, ita rem gesit, vt nulla ei merito lubidinis, aut insolentiæ macula adspergi potuerit. Anno nonagesimo XIII. Kalend. Iulij vitam etiam exuit abbas Petrus, multis laboribus,& bellorum cladibus exhaustis, vno maximè contentus, profectò etiam apud posteros commemorabilis, quod, sua maximè opera, pacem inter Austriacos,& Confœderatos partam vigere, & seruari intelligebat, suique inde Monasterij res, & subditos prosperare. Suffectus Ludouicus ex Comitibus à Thierstein.

A. D. N. CIↃ. CCC LXXXIX.

A. D. N. CIↃ. CCC XC.



LVDOVICVS I. EX COMITIBVS A THIERSTEIN ABBAS HEREMITARVM XXVIII. ET PRINCEPS IMPERII VNDECIMVS.

A.D. N. CIↃ.CCC. XCI.

ANNO Nonagesimo primo, concesit abbas Ludouicus Præfecturam Frisæ Heinrico Comiti Verdenbergæ, Vaducij Domino, qui promisit præstiturum se omnia, quæ jure beneficiario tenetur cum fide, facto datoque in eam rem scripto feria VI. proxima ante D. Georgij. Anno nonagesimo quarto inducias, & pacem Austriaci, & Confederati produxerunt in annos viginti proximè sequentes, feceruntque eius rei vtrimque Instrumentum XVII. Kalend. Augusti, quo Instrumento expres-

A.D.N. CIↃ.CCC. XCII.

A.D. N. CIↃ.CCC. XCIII.

A. D. N. CIↃ.CCC. XCIV.

to expresim Aduocatio hæreditaria Monasterij,& Principatus Heremitarum Principibus Austriacis reseruatur, Præfectura verò, & jurisdictio incolarum Heremi manet Suitijs, toto hoc pacis tempore, exceptis Hurdensibus & Vffnaugiensibus, qui jisdem Principibus attribuuntur. Publicatæ induciæ tota Heluetia & per Austriacas Germaniæ superioris prouincias circa festum D. Margaritæ, magnaque imposita infractoribus publicè pœna. Clementi qui contra Vrbanum VI. & Bonifacium IX. hactenus Auenione pontificem gesserat, sublectus mense Septembri ab partibus Petrus de Luna, Hispanus, qui se Benedictum XIII. nominauit, & annos viginti vnum eam sibi dignitatem vindicauit. Annus nonagesimus sextus insignis fuit Nicopolitano prælio inter Sigismundum Hungariæ Regem, cui Ioannes Ducis Burgundiæ filius auxilio cum maxima Galliæ nobilitate aduenerat, & Baiacetem Turcarum principem. Magna vtrimque facta strage, victoria penes Barbaros remansit, Gallorum superbia, & inter se inuidia, sed etiam proditione Ioannis Galeatij ducis Mediolanensis, Baiacetis confederati. Cæsa Turcarum millia sexaginta: Christianorum viginti. Interceserat magna, & longa inter abbates Heremi, & marchiones Hochbergenses propter decumas, & alias possessiones pagi Riegolis in Brisgouia siti controuersia, & inde graues vtrimque inimicitiæ, & contentiones, litemque euicerat, publico iudicio, Marchio. Sed, iudicum sententia posthabita, marchio Ioannes, amicè, & beneuolè cum abbate Ludouico de omnibus, quæ contẽtionem mouerant, transegit, seipsumque vltrò, & sponte omnibus bonis, & iuribus, quæ eodem publico iudicio obtinuerat, exuit, ea omnia, sicuti & dictas decumas abbati, & Monasterio perpetuò liberè, & inoffensè possidendas consignauit, scripto facto anno nonagesimo septimo feria v. proxima ante D. Martini. Hoc tempore erat Præpositus Faræ Marquardus ex baronibus ab Ende. Anno nonagesimo octauo concessit abbas Petrus Friderico Comiti Toggenburgi, Brettigouiæ, & Tauasij domino, Castrum Vuildenhausæ nominatum, itemque præfe-

A. D. N. CIↃ. CCC. XCVI.

A. D. N. CIↃ. CCC XCVII.

A. D. N. CIↃ. CCC XCIIX.

cturam Erlibach, & alias nonnullas possessiones, quæ se jure fiduciario habiturum, & ijs more, & lege fiduciaria abbati, & eius monasterio præsto futurum Comes spopondit, festo die D. Hilarij. Paullo post, dominica scilicet ante Purificationem, conflagrauit magna Constantiæ pars, decem continuas horas sæuiente per plateas incendio. Neque multo post obijt Burcardus episcopus. Suffectus Fridericus ex Comitibus Nellenburgi, qui cum breui etiam defeciſſet, aut, vt alij tradunt, resignasset, episcopatum accepit Marquardus à Randeck præfuitque annos decem. Anno milleſimo quadringenteſimo cum multæ vndiq; de rege Venceslao essent quærellæ, vtpote qui non modo fædis moribus, & lubidinibus Imperij Maiestatem macularet, sed pleraſque regni Germaniæ vrbes, & Dominia, accepta pecunia, abalienaret, sordidè, auarè, turpiter imperitaret, conuenere postremo, menſe *M*aio, Electores Honsteinij, in opido Rheni, & ad dicendam cauſſam Venceslaum ad proximum D. Laurentij festum diem conuocauere. Cum non adparuiſſet, neque, qui defenderet, quiſquam adeſſet, Imperio exuerunt XIII. Kalend. Septembris, eiusque acta, & priuilegia reſciderunt, vana, & irrita iudicauerunt. Die ſequenti, concordi ſuffragio Romanorum regem ſalutarunt Rupertum Comitem Palatinum, vtriusque Bauariæ ducem qui annos nouem, menſes quatuor, dies ſedecim Imperio præfuit.

A. D. N. CIↃ. CD.

Bonifacius pontifex iubileum, innumera mortalium toto orbe concurrentium frequentia, Romæ celebrauit. Annus quadringenteſimus primus peſtilentia, & variis morbis, nec ante cognitis, grauis & exitialis fuit. Et quia Iudæos corrupiſſe fontes, incertis auctoribus, fama iterum vulgauerat, eorum paſſim edita, multis locis, promiſcua cædes. Eodem anno, feſto D. Mauritij, ſacramentum fidelitatis præſtiterunt Ruperto omnes Heluetij, exceptis Suitiis, qui negarunt, antiquas contentiones cauſſati, quòd bellis, quæ pro libertate, vt volebant, geſſerunt, magis aduerſarios, quam protectores Cæſares habuiſſent. Natum ſubinde Abbatiſcellanum bellum longe omnium grauiſſimum ſiue ge-

A. D. N. CIↃ. CDI.

ſtarum re-

ſtarum rerum magnitudinem ſpectes, ſiue caſus mirabiles, & fortunæ in rebelles indulgentiam pene perpetuam. Anno ſecundo eius ſeculi, exſtinctus abbas Ludouicus. Cùm enim Argentinam proficiſceretur, ad cuius epiſcopatum lectus & euectus erat, Feficonemque vſque in arcem, ingenti pompa, & apparatu, peruenisſet, nocte, quæ VII. Idus Octobres præceſſit, repentina morte abreptus eſt, haut æquiorem exitum, quam vitam vixerat, promeritus. Superbè enim, & flagitiosè res Monaſterij adminiſtrauit. Multa eius dominia, & iura in Elſatia præſertim, & Briſgouia fœdè diſſipauit, vendidit, aut obligauit, maximè poſtquam ei de epiſcopatu Argentinenſi oblata ſpes; vt eo potiretur, nullis largitionibus, nullis promiſſis abſtinuit, cuncta venalia, & vilia habuit, multo inter hæcluxu, & ſumtu, quaſi profundendis, non conſeruandis Monaſterij opibus, natus, & adlectus. Erat ex Comitibus à Thierſtein oriundus, antiquæ claritudinis, & nobilitatis, patre Ioanne, qui prælio Sempacenſi cecidit, matre Eliſabetha ex Marchionibus ab Hochberg genita. Poſt eius obitum lectus, magno omnium conſenſu, abbas Hugo ex Baronibus à Roſenneck, quem Monaſterij adminiſtratorem Ludouicus, ſe abſente, conſtituerat.

A. D. N. CIↃ. CD. II.



HVGO EX BARONIBVS A ROSENNECK

ABBAS HEREMITARVM XXIX. PRINCEPS IMPERII DVODECIMVS.

HAVT ignarus HVGO quantum laboris, quantum molestiæ exhauriendum sibi esset, reparandis, & in pristinum statum restituendis Monasterij rebus, per Ludouici fastum, & prodigalitatem absumtis, & laceratis, disciplinaque eiusdem incuria, & conniuentia dissoluta, & ad Principis exemplum, omnibus pene in deteriora prolapsis, quo firmior, & aduersus contumaces, aut inficiatores constantior esset, fœdus & amicitiam cum Tigurinis fecit duraturam, quādiu ipsi vita,

ab ijsque

ab ijsque in ciuium numerum cum suo Monasterio recipi optauit, & facile obtinuit. Hinc ad statum monasterij restituendum cum cura animum intendit, Ioanni Comiti Habsburgio, Lauffenbergæ Domino, Castrum Kienberg cum eius omni jurisdictione in beneficium concessit, quod se Comes cum fide, & cura habiturum scripto promisit, anno eius seculi quarto, festo die D. Ioannis Baptistæ. Kienberg arx est, baronum eius nominis sedes, haut procul Iurasso, eo loco, vbi Schachmat vocatur, ditionis nunc Salodorensium. Vbi barones defecere, ad Heremitas, quorum beneficium erat, peruenit, qui conditione fiduciaria varijs postea commisere. Eo anno post Bonifacium IX. creatus Romæ, festo Luciæ, Innocentius VII. contra Benedictum XIII. qui præsedit annos duos. Anno sequenti, obsedit Fridericus Austriæ, aduocatus noster, opidum S. Galli, abbati contra opidanos auxilium ferens, sed obsidionem breui deseruit. Abbatiscellani, eodem tempore, latè Austriacas ditiones populati sunt. Marchiam etiam mediam, cuius Lache vicus caput est armis occuparunt, Suitijsque, qui auxiliares manus subinde submitebant, dono dederunt, pleraque in ea nostra beneficia. Anno sexto, defuncto Innocentio, contra Benedictum eumdem, creatus Romæ pontifex Gregorius XII. qui annos VIII. menses VIII. Romanam sedem obtinuit. Anno septimo, cum multa per Turgouiam castella, & arces Abbatiscellani cum Glaronensibus, & Suitijs eorum socijs, euertissent, postremo apud Constantiam, quia eius episcopus excommunicauerat, multasque graues in eos censuras publicauerat, consedere triduoque ante mœnia castris habitis, cum nemo, qui contra tendere vellet progrederetur, vicinos diripuerunt, magna insolentia, & arrogantia vndiquaque populabundi. Denique Brigantium Gulielmi Montis fortis opidum omnibus copijs obsederunt XIV. Kalend. Decembres. Parauerat exercitum contra eos Marquardus episcopus, nobilitatemque Sueuiæ ad compescendam superbiam, & ignominiam refellendam accenderat, eo maximè quod per impotentiam animi sparserant vulgò Abbatiscellani, si Bri-

A. D. N. CIↃ. CD. IV.

A. D. N. CIↃ. CD. V.

A. D. N. CIↃ. CD. VI.

A. D. N. CIↃ. CD. VII.

ni, si Brigantio potiantur, nobilitatem totius Sueuiæ exterminaturos. At ipsum mors antequam destinatam expeditionem capesseret, paucis ante Christi natalitia diebus, properata absumsit, magnæ virtutis & dignationis Antistitem. Nam etiam Patriarcharum Aquileiæ rexerat, insignique apud omnes principes auctoritate vixerat. Igitur anno

A. D. N. CIↃ. CD. VIII.

sequenti ineunte, continuo de novo episcopo instituendo his rerum turbis, & periculis Canonici consultarunt, quæsitisque suffragijs Albertum Blarerum præpositum, episcopum dixere. Is antecessoris sui vestigia secutus, magnas continuo copias comparauit, ciuibusque ad arma vocatis, cum proxima nobilitate, Rudolfo inprimis Montfortio, & Sueuiæ societate D. Georgij titulo per ea tempora insigni, duxit in Abbatiscellanos nonā jam hebdomadam per acerbissima frigora Brigantium pertinaciter adsidentes, primaque luce, quæ D. Hilario sacra erat, in hostem inuectus, facilè profligauit, magnamque partem cecidit, arma impedimenta, castra eorum in potestatem redegit. Brigantium, & in eo Gulielmum Comitem obsidione liberauit. Non tamen dubium erat, quin vltra bellum progressurum esset, nisi maiestatem suam interposuisset rex Rupertus. Is paullò pòst pugnam Constantiam profectus, Abbatiscellanos debita præstare abbati suo, pacem cum nobilitate habere iussit, inducias cum Austriaca domo. Abbas Hugo hac comditate vsus, & præsentiæ Cæsaris opportunitate, Constantiam quoq; vectus ab Ruperto non modo antiquorū regalium, & immunitatum, donationumq;, quas præcedentes reges Imperatores, principes fecerant, confirmationem impetrauit, sed etiam Venceslai de proscriptis impunè recipiēdis priuilegij nouam sanctionem, quam eo magis vrserat Abbas, quia Venceslai alias decreta, & priuilegia abrogata compertū habebat. Acta hæc Constantiæ, feria quarta ante Dominicā Reminiscere. regni anno octauo. Habuerāt præteriti Heremitarum abbates varias iam à multis retrò seculis cum Tuginis maximè contentiones. Nam in Tugiorū regione non solùm multos reditus, census, jura possidebant, sed etiam mancipia

plura,

plura maxime Metzingæ, & Aegri. At illi, posteaquã in fœderis societatẽ cũ alijs Cõmunitatibus recepti sunt, alia partim negitare, alia detrectare cæperũt, prorsus omnes abbatũ de se querellas, & expostulationes, contẽnere, & despicatui habere. Igitur Hugo Tigurinorũ postremò auxiliũ petijt, & æquitatis, & ciuitatis cõmunis jure ab iniurijs se Tuginorum vindicarent postulauit. Tigurini post diuersos cũ Tuginis tractatꝰ eos deniq; perduxerũt, vt cõpromiserint rata, & perpetua futura quæ de vtriusq; partis cõtrouersijs pronũciauissent. Idipsum etiã, abbas Hugo, & Valterus ex boronibus ab Ende custos, totius Capituli nomine sunt polliciti. Cõuentu igitur apud *He*remũ facto, anno post quadringentesimũ nono, Martio incunte, sententiã publicarũt Tigurini, vndecimo eiusdẽ mensis, quæ de omnibus vtrimq; dubijs, & discordantibus definijt, de hæreditatibus, mancipijs, censibus, percussionibus, vulneribus, pœnis, alijs, pacemque & concordiam inter partes conciliarunt. Et continuo ad huc schismate premebatur, lacerabaturque Ecclesia *D*E I, neque pontifices Gregorius & Benedictus cõuenire inter se poterant, hic quoque alterius vitæ insidiabatur. Cardinales eam maxime ob caussam Pisas Concilium indixerunt, multis vtrimq; exagitatis, abdicato vtroque pontifice, Ecclesiæ vniuersæ præesse jusserunt Alexandrum v. egregiæ sanctitatis, & in pauperes benignitatis Antistitem. Vnde eius sæpius repetitus jocus, diuitem se fuisse episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum pontificem. Sed cum fine anni eiusdem Bononiæ Alexander decessisset, & Gregorius Ariminum se ad Carolum Malatestam cum familiaribus aulæ transtulisset; Cardinales, anno decimo, in Alexandri locum Ioannem XXIII. pontificem nominassent, eodem in statu turbido, & incerto ad Constantiense vsque Concilium res Ecclesiæ permansere. Eodem anno, decessit etiam Rupertus Cæsar. Resuscitata tum Venceslao redeundi ad imperij dignitatẽ aliqua fiducia, sed Electores eum perosi Iodocum Morauiæ marchionẽ Venceslai patruelẽ Cæsarẽ salutarunt: postea Iodoco intra mensem extũ defuncto, Sigismundum Hungariæ regẽ eius-

A. D. N. CIↃ. CD. IX.

A. D. N. CIↃ. CD. X.

dem Venceslai fratrem, qui cum laude, & Reip. Christianæ bono imperauit annos XXVII. Orta sub hæc inter Episcopum Constantiensem, & Tigurinos contentio, & mox bellū, populariuntq; Tigurini quidquid Episcopatus fuit, Tannecum vsq; : rursus Constantiēses nōnullas Tigurinorū arces euerterunt. Sed breui in concordiam redierunt, cōpromisso in Hermānum nobilem à Braitelandeberg facto. Anno vndecimo ineunte, abdicauit episcopatū Albertus, lectusq; in eius locū IV. Nonas Februarij Otho III. ex *M*archionibus Hochbergæ. Qui præfuit annos X XIII. Auctumno sequenti, dedit abbas Hugo Othoni Comiti à Thierstein castrum Kienberg cum omni jurisdictione, quod Ioānes Comes Habsburgi & Lauffenbergæ dominus vltimus eius stirpis tenuerat, qui promisit se eius beneficij nomine promtum, fidelem, & obsequentem abbati futurū scripto edito pridie Natiuitatis DEIPARÆ. Anno sequenti, quia jam inter Austriacos, & Confederatos quædā contentiosa inciderant, metu ne inde ad bellū rediretur, fœdus, & amicitiā quinquaginta annorum fecerunt inter se, Badæ conuentu eā ob rem facto præsente Friderico duce. Literæ ibidē factæ datæq; V. Kal. Mai. Sigismundus Cæsar interim desiderio, & cura cōponendæ in Vnitatem rei Ecclesiæ, durante inter tres pontifices Ioannem, Benedictum, Gregorium, summo rei Christianæ ludibrio, contentione, in Italiam tandem, anno tertio decimo, profectus Laudæ Pompeiæ cum Ioanne colloquium habuit, multisq; rationibus perduxit, vt Conciliū generale, cui ipsemet præsideret, Constantiam indixerit. Publicatio Laudæ facta V. Idus Decemb. Pontificatus eius anno IV. Concilij principio Kalend. Nouembris anni in sequentis decretæ. Et is totus in apparatu pene consumtus. Sigismundus cum multa contra Philippum Mediolani ducem frustra tētasset, per Augustanam vallem, & Peninum in *H*eluetiam mense Iunio, descendit. Friburgum, Pernam, Salodorum transijt, inde Basileam vectus, & Rheno secundo, Coloniā, postremo Aquisgranum peruenit, vbi Coronationē peregit. Ioānes pontifex, eodē tempore, Constantiam misit Ioānem Cardinalem Ostiæ episcopū, qui

A. D. N. CIↃ. CD. XI.

A. D. N. CIↃ. CD. XII.

A. D. N. CIↃ. CD. XIII.

A. D. N. CIↃ. CD. XIV.

pridie

pridie Idus Augusti vrbem ingressus palatium episcopi pro pontifice parare cæpit. Illum secuti pene in dies singulos Cardinalium, Episcoporũ, antistitum, regum quoq; & principum legatorum ministri ad capienda diuersoria & necessarijs comparandis. Eo quoq; Abbas destinauit, qui hospitium conduceret. Tandem VI. Kal. Nouembris Creutzlingam Ioãnes pontifex ductu, & præsidio Friderici Austriæ ducis delatus est. Inde die sequenti, cum inter diuina eiusdem dici officia Erhardum Linde mitra redimissет, & ex monasterij Præposito abbatem pronunciasset, vespera jam inclinante, Constantiam ingressus, magno Cardinalium, episcoporum, abbatum comitatu, in quibus fuit cum equis quatuordecim abbas Hugo. Quarto post die omnium sanctorum cultui, & deuotioni consecrata Constantiam etiã peruenit, fide publica Cæsaris, Ioannes Hus, cum nõnullis Bohemiæ & Morauiæ nobilibus, sectatoribus, & amicis. Octauo Idus Nouemb. supplicationem frequentem instituit, obiuitq; Ioannes pontif. fælicem Concilij euentum precatus. Interfuerunt Cardinales quindecim, episcopi, & abbates mitrati tres & viginti super alios quibus mitræ vsus non erat, omnes habitu & cultu candido, & sacrificali. Sigismundus, peracta VI. Idus eiusdem mensis Aquisgrani coronatione, Constãtiam quoque accelerauit. Iisdem diebus fœdus perpetuum cum Suitijs fecerant Heremi incolæ, montanos, & siluestres adpellant, quia Heremi montes, & siluas habent, consentiente, & adprobante, tamquam principe, & Heremi domino, Hugone abbate. Exceperunt ijdem Incolæ omnia jura quibus abbati, & monasterio Heremitarum tenebantur, quæ sarta, & inuiolata conseruaturos Suitij promisere, die Dominica post diem festum D. Martini. Pridie Natalis Domini tamdem Vberlingam adpulit cum multa nobilitate, & feminarum illustrium comitatu rex Sigismundus, eademque celeritate Constantiam trajecit, diuinisq; sacratissimæ noctis officijs interfuit, & Euangelium, Exijt edictum à Cæsare Augusto, habitu diaconi, cantauit. Quarto nonas Februarij anni decimi quinti, peculiari congregati- *A. D. N. CIↃ. CD. XV.*

one episcoporum, & antistitum, petentibus Danis, Suedis, & Nortuegis, vitam eius in contaminatam, & multis miraculis illustrem cum multis testibus adprobauissent, retulit in numerum sanctorum Ioannes pontifex reginam Brigittam. Ceterum, multis iam ex toto orbe Christiano Cardinalibus, antistitibus, Doctoribusq; præsentibus, optimum factu iudicauere patres, & vnitati Eccleſiæ maxime conueniens, si omnes tres, qui de dignitate contendebant, sponte eam abdicauissent, & eligendi de cetero Concilio potestarem reliquissent, siue ex ijsdem vnum, aut quemcumque alium nominare placuisset. Id cùm Ioannes haut respuisset, ratus sua promptitudine, & obedientia, vt de nouo eligatur, meriturum, pontificatum vltro exuit, VI. Nonas Martias, ea tamen conditione, vt dignitatem nihil ominus tantisper retineret, donec cæteri quoque duo pontifices eamdē pariter deposuissent. Sed facti eum huius mox pœnituit, maximè postquam duos absentes pontifices tantum per legatos agere apud Concilium, & pene pari secum esse auctoritate cognouit. Itaque Friderico Austriaco in cuius fidem, & protectionem se ab initio tradiderat, multis precibus, rationibus, & promissis persuasit, vt se in arcem, aut Vrbem quamcumque è suis vellet, abduceret, euasitque Constantia habitu simulato XIII. Kal. Aprilis per Schaffhausiam, mox Lauffenbergam, postremo Brisiacum munitissimū Elsatiæ opidum. Quæ vbi ad Sigismūdum regem perlata sunt ingenti incensus cura, & aduersus Fridericum indignatione, & ira, habito confestim patrum, & principum omnium consilio, primo ad caussam dicendam Fridericum citauit, haut secus atq; patres pontificem Ioannem. Postea cum facti sui rationes reddidisset, ducem proscripsit, eius ditiones, & Dominia, iuraque omnia sibi, & Imperio confiscauit, denique ad arma contra eum sumenda omnes, seuerissimo edicto, sollicitauit, & impulit. Facto mox iusto ipse exercitu in Hegouiam, & Turgouiam duxit, vtramque breui suæ potestatis fecit: cetera, quæ in Heluetia, & Argouia Austriacæ dominationis erāt, vt Confederati suo, & Impe-

rij nomi-

rij nomine occuparent, non obstante quam cum Friderico habebant quinquaginta annorum pace, facile persuasit, paucisque diebus cùm etiam Ludouicus Palatinus Rheni Elsatiam & Sequanos subegisset, & nemo omnino resisteret, aut pro Friderico arma caperet, omnibus ditionibus pene Ducem exuit. Quæ vniuersa vt inopinata Friderico acciderunt, vt pote qui suis subditis, & tot suis beneficijs, & maiorum suorum obnoxiæ nobilitati maiorem fidem habuerat, quàm experiretur, ita eum vehemeuter perturbarunt, dubiumq;, & incertū fecerunt, caperetne vel sero arma, an ab Sigismundo & Concilio facti veniam postularet. Præualuit postremo hæc sententia, maximè posteaquā eum Friburgum quo cum Ioanne, relicto Brisiaco, aufugerat, Ludouicus dux Bauariæ accessit, pluribusq; rationibus author fuit, vt se, suaque omnia Sigismundo permitteret, & Ioannem Concilio. Fore enim vt breui in ciuitates & omnes ditiones restitueretur, & vtrumq; futurum extra vitæ periculum. Igitur Constantiam Fridericus profectus, Cæsaris se & quidquid superat suæ ditionis in potestatem tradidit Nonis Mai, præsentibus multis Germaniæ & Italiæ vtriusque ordinis primoribus, Ioannem intra paucos dies repræsentaturum promisit, præstititque. Et Ioannes quidem varijs criminibus accusatus damnatusque v i. kalend. Iunij, pontificia quoque dignitate priuatus est ses. x i i. Mox Sigismundo commissus qui arce Gotliebe infra Constantiam inclusit, postremò Ludouico Palatino Rheni custodiendum tradidit, à quo Heidelbergam transportatus, & in castrum Manheim munitissimū abditus, pene illic triennium delituit, donec inde fraude, vt plerique tradidere, elapsus, Martino post pontifici se dederet, veniamque ab eo non modo impetraret, sed etiam Cardinalatum. Exuto vt diximus Ioanne supererant Benedictus, & Gregorius. Sed hic haut multo pòst sponte etiā pontificatū abdicauit, seq; in Concilij voluntate futurum spopondit i v. Nonas Iulij, Sessione x i v. Citatus tum denique Benedictus, & intra diem decimum comparere iussus, nisi faciat pro hæretico damnādus. Non minus interea temporis cum

Ioanne Huſſio tractabatur, vt hæreſi, quam prædicabat, abjurata, Concilij, & Eccleſiæ decretis acquieſceret, eaque vt vera, ſanctaque, & legitima cum orbis Chriſtiani conſenſu agnoſceret, & profiteretur. Cum verò veſana peruicacia, & ambitione non modo Vicleſi, iam ante damnati hæretici, errores ſed etiam à ſe repertos tueri, & adfirmare perſeueraret, ſuasque opiniones præ Concilij, & totius Chriſtianitatis auctoritate, & conſenſu longè anteponeret, patres denique, tradito antiquis more, flammis adiudicauere pridie Nonas Iulij, Seſs. x v. exuſtusque eſt eodem die extra portam Geltingam, ignibus conſumtus, & abiecti in Rhenum cineres, ne tantæ impietatis aliquid apud poſteros ſupereſſet. Decimo ſexto Kalend. Auguſti celebrata Seſſio x v i i. Ea in Seſſione denique rex Sigiſmundus coram patribus ſe in Hiſpaniam profecturum ſpopondit, quando vnum reliquum erat ab Benedicto & eius ſectatoribus Arragoniæ, Caſtilliæ, Nauarræ regibus, alijs nonnullis principibus impedimentum, ne vltra Concilij decreta procedere poſſent, miſitque continuò qui eoſdem Benedicti ſectatores ad colloquium Narbonam inuitarent, pauciſque diebus ad itineris neceſſaria ſumtis, paucis comitantibus in viam ſe dedit, quantaque maximè potuit celeritate Narbonam verſus tetendit. Dum hæc geruntur hæreſin publicè i x. Octobris Vicleſi, & Huſsij eiurauit Hieronymus Pragenſis, ſiue Huſſij exitium ad meliora adduxerat, aut eo modo cuſtodiam, qua tenebatur, fruſtraturus. Et in præſens quidem carcere liberatus eſt, ſed eum mox impotentiori ſuperbia, & temeritate, eadē quæ paullo ante damnauerat, repeteret, Huſſij, & Vicleſi dogmata multo arrogantius in vulgus ſpargeret, & profiteretur, rurſus captus, & in arcem Gotliebe conjectus, plures in ea menſes abſumſit. Conuenerunt Narbonæ Hiſpanici legati frequenter, ſed Benedictum eo impellere, aut adducere non potuere, multum licet ſuaderent, precarenturque qui eum ſequebantur. Quare non leuiter offenſi, ſimul Sigiſmundi præſentia, & auctoritate moti, denique etiam ſe Conſtantienſi Concilio moram nō futuro reges omnes, poſtpoſito, quem

hactenus defendebant, Benedicto spoponderunt, Idibus Decembris. Quæ cum Veredo patribus Sigismundus denunciasset, indicta lætitia ingenti, IV. Kalend. Ianuarij insequentis anni frequens omnium ordinum supplicatio, cunctique in magnam spem sunt erecti, haut vanam fore tot antistitum, Doctorum, & principum congregationem. Tertio Kalend. Iunij Sess. XXI. productus tandem post octauum mensem, quam Gottliebensi carcere tenebatur, coram Concilio Hieronymus Pragensis, multisque, quæ ad domandam eius contumaciam valebant, disputatis, cum non modo abjurationem antea à se factam vehementer detestaretur, sed Viclefi etiam, & Hussij hæresin multo pertinacius defenderet, patres, vti prius Husij, ita quoque Hieronymi abolendam flammis arrogantiam, & impietatem, publico edicto, decreuere, perductumque adeumdem locum, eodem die, rogo carnifex imposuit, multa per insanam animi lætitiam, & ex ea morte gloriam jactantem, ferocientemque. Non pauci ab eo tempore Bohemiæ primores in Ecclesiæ gremium, damnata eorum memoria, se recepere; alij cõtra vtrumque Husium, & Hieronymum inter martyres retulerunt, armaq; contra eorum hostes capere. Vnde bella per id regnum atrocia, & diuturna, multis vtrimque cladibus nobilitata. At verò Sigismundus, postquam multis præterea defunctus laboribus, & periculis, frustra in reconciliandis regibus Angliæ, & Franciæ fuit, vt Concilio prosequendo maiorem auctoritatem adportaret, Constantiam accelerauit, eoque vicesimo sexto Ianuarij, anni septimi decimi, ingenti omnium congratulatione aduenit. Multæ quoq; contra Benedictum factæ sessiones, adnitentibus ad huc pro eo Ioannis Castilliæ regis legatis. Denique VII. Kal. Augusti sessione XXXVII. pontificatu patres exuerunt, & ne quis amplius pro pontifice haberet, aut nominaret, vulgatis edictis, statuerunt, simul de nouo pontifice sublegendo consilia iniere. Interea Sigismundus sui ex parte desiderij compos vota DEIPARÆ Matri soluturus ad *Heremum* Tiguro tetendit, eoque IV. Kalend. Nouembres peruenit. Salutata magna veneratione cælo-

A.D.N. CIↃ. CD. XVI.

A.D. N. CIↃ. CD. XVII.

one cælorum regina, & precibus perfectis, ex Heremo Suitiam, & inde Lucernam delatus magna celeritate, vt electioni pontificiæ interesset, Constantiam redijt. Ingressi sunt ad id fabricatum conclaue, qui aderant, Cardinales, & delecti è singulis nationibus, VI. Idus Nouembris. Hi, comparatis inter se sententijs feria V. D. Martino Turonensium episcopo consecrata, Othonem Cardinalem Columnam pontificem, concordibus suffragijs pronunciauere, qui eius se in Diui memoriam, & venerationem Martinum V. vocari voluit. Paucos is intra dies sacris initiatus, & episcopus factus, cùm obedientiam ab omnibus, qui aderant regum, & principum legatis accepisset, XI. Kalend. Decembris, die Dominico in æde Cathedrali, ritu sollenni, & maximo omnium applausu, & festiuitate, triplici corona redimitus est. Paucis hinc mensibus finiundis, quæ super erant, consumtis & XIII. Kalend. *Mai.* anni sequentis, Sessione XLIV. Concilio Pauiam indicto, vndecimo kalend. eiusdem mensis, Sessione XLV. & postremo, patribus Martinus abeundi licentiam fecit, Conciliumquè soluit. Quarto postea Nonas Mai. intra quintum decimum diem discessum Constantia suum pronunciauit. Decimo septimo Kalend. Iunij feria II. post Dominicam Pentecostes tandem Constantia pontifex excessit, Schaffhausiamque delatus, & Salodorum, Bernamque, & Friburgum, postremo Geneuam VI. Idus Iunij peruenit, vbi menses aliquot substitit. Eum reliqui antistites, principes, legati, alius, alio ad sua quisque secuti. Interfuerunt Concilio Constantiensi Cardinales XXVII. cum hominum Comitatu. M.CCXLV. Patriarchæ sex, cum comitatu CLXXII. Archiepiscopi XXXIX. cum hominibus M.DCCXL, Episcopi CXC. cum comitatu 3267. Procuratores Archiepiscoporum XVI. Episcoporum LXIV. cum comitatu CCCC. Abbates CXLVII. cum hominibus .M.CCXXIII. Procuratores abbatum XXXIV. cum hominibus LXXX. præterailos Præpositos, Decanos, Doctores, Theologos, Magistros, regum & principum totius Christiani orbis legatos. Ceterum domum reuersus abbas Hugo, multis laboribus exhaustus, va-

A. D. N. CIↃ. CD. XVIII.

letudine

letudine quoque adflictari cepit cui curandæ vt melius operam dare posset Feficonem ex Monasterio se recepit. Sed eo quoque modo haut multum recreatus, paucos dies cùm ibidem egisset, denique absumtus est XVII. Kal. Nouemb. ingenti sui desiderio relicto. Magnæ enim in eo animi, & corporis virtutes, rara prudentia, & apud Principes præcipua auctoritas. Itaque non modo quæ antecessor Ludouicus per luxum, & vanitatem dissipauerat, parsimonia, modestia, & integritate reparauit, sed in ærario, & fisco haut quoque pecuniæ pœnitendam summam reliquit. Ante omnia diuini cultus, & pietatis, & relligionis, monachicæque disciplinæ curam maximam gessit, eamq; Constantiensi Concilio omnibus palam probauit, vbi secundum inter abbates Nationis Germanicæ locum tenuit, Majoris Augiæ abbate primas tamen ferente. Instituit diem anniuersarium feria III. post Diui Galli memoriæ, & bono omnium antecessorum antistitum, fundatorum, collegarum, Sacellanorum, peregrinantium, benefactorum, fratrum & sororum sodalitatis DEIPARÆ Matris, eoque ad diuina officia, sacrificiaque peragenda quoscumque presbyteros conuocauit. Quem morem posteri antistites imitati haut minori frequentia, & pietate, eamdem feria III. quot annis celebrant, & exsequuntur. Ortus eius ex baronibus à Roseneck antiqua & nobili familia maternum genus trahebat ex baronibus Tengensibus. Sita arx Roseneck in Hegouia. Steinenses cum Tigurinis incenderunt vltimo bello Sueuico. Possederunt præterea barones Rosenecenses atcem, & Dominium Vartenfelsæ ad Iurassum haut procul ab pago Hostorff., thermis salubribus frequentato. Post Hugonis eximij præsulis obitum Collegæ in electionem conuenientes, Burcardum à Crenchinge ex baronibus Vvyssenburgi Lacobrigum, præsidere jusserunt, ea tempestate, apud Sanctum Geroldum Præpositum.

BVR-



BVRCARDVS I. A CRENCHINGE EX BARONIBVS VISSENBVRGI ABBAS HEREMITARVM XXX. PRINCEPS IMPERII DECIMVS TERTIVS.

A.D.N. CIↃ. CD, XIX.

BVRCARDI prima cura fuit, tamquam principale munus, conferendi sui monasterij bona, & præfecturas fiduciarias. Itaque x. kalend. Aprilis anni decimi noni primo præfecturam Frisæ contulit beneficio Volfio Brandisio baroni: VI. Kalend. eiusdem Maioratum Aeschentij Ioanni im Hoff ciui Constantiensi: VIII. Idus eiusdem mensis Maioratum Caltbrunnæ Osvvaldo à Lato. Eodem die, beneficio ab eo accepit turrim Caltbrunnæ, & illi adiuncta Vlricus à Vvindeck.

His factis,

His factis, controuersias quas cum suis subditis Heremi incolis ipse, antecessoresque habuerant, componere aut jure, aut ex æquo & bono constituit. Eæ erāt maximè iura mancipatus, quæ sibi vindicabat, & pignorationis, quam refutabant subditi, postremò & pascuationis. Cum per se partes conuenire non possent, ex compromisso litem determinare decreuere. Sumti vtrimque arbitri. Abbatis nomine iudicauere Iacobus Glenter exconsul Tigurinus, Felix Mannes, Ioannes Stapffer officialis Feficonis: Incolarum, Vlricus ab Iberg ex officialis, Ioannes Sigist, & Ioānes Vintz, Suitenses. Qui supremum arbitrium ferret, si dissiderent hi sex arbitri, lectus vtrimque Itelius Reding officialis Suitensis. Hi vigilia beatorum Apostolorum Petri & Pauli, eodem anno, conuenientes, in hanc formam decreuerunt. Iura omnia mancipatus vti ab antiquo, ita nunc quoque, & in posterum abbatum, & monasterij sint, & permaneant, secundum priuilegia, jura & hactenus obseruatum morem. Excipiunt tamen arma bellica, lectos cubiculares, & quæcumque ad eos pertinent, & postremo fæna, quæ in abbatis electionem, post mancipij obitum, venire non debent: ex reliquis eius bonis quamcumque voluerit partem Ius habere. De pignore ita censuerunt, abbatem ex subditis neminem, nisi volentem, pignerare posse, aut debere. De locis pascuis, eorum locationes abbatis liberas esse, de ijs, vti libet, constituere licere. Conuentum secundum ijdem arbitri agitarunt v. Nonas Octobris sequenti, vbi de Heremi hospitibus, eorum jure, conditioneq; censuerunt, itemque de venditionibus, & emtionibus, de ædificijs, & œnopolijs, lignorum decumis, & iudicijs, omnia ex æquo, & bono, & vtriusque partis commodo. Annus sequens expeditione Cæsaris aduersum Boemos Hussitas, & eorum ducem Ziscam, itemque insolita maturitate frugum, pernobilis fuit. Ineunte Aprili locis per Heluetiam plerisque repertæ rosæ, medio cerasa vndique, & fraga, eodem quoque mense efflorure vites, magna, & præcipua fertilitate, & omnium rerum copia. Eodem anno, concessit Burcardus abbas Culinæ Principalis of-

A. D. N.ri *CIↃ. CD. XX.*

ficium siue

ficiū ſiue magiſterium Heinrico Meis Burgimagiſtro Tigurino, illique priuilegium ea de re dedit. Anno viceſimo primo confirmauit præfecturam, quam Domus Vediſvillana D. Ioannis Hoſpitalis habebat ſuper Monaſterij ſubditos inter Mulibach,& Merilembach ſitos. Deciſa præterea lis quæ per ānos plurimos inter abbates & nobiles ab Hunuill tenuerat,propter præfecturam,& iuriſdictionem Kemptæ ad quā antiquitus pertinebant pagi Adoltzuuill, Blicksvvyll,Berolsvvill, maior, & minor,Ringsvvyll,Hunduuyll,Erloſe, Vetzico, vtriuſque eam ſibi vindicantibus: Hundvvillanis, tamquam pignore ab *H*absburgi Comitibus acceptā Abbatibus tamquam proprietate ſuam nec vlli niſi eorum conſenſu, pignorationi obnoxiam. Sed hoc tempore capti vtrimque arbitri, Hermanni ab Hundvvilla nomine,& liberorum nobilis à Griffenberg, & qui etiam partem petebant, Ioannes à Bonſtette eques, & Hermannus, à Breitenlandenberg: pro Burcardo abbate arbitrati ſunt Petrus Orinus, & Ioannes Vvalterus. Et Hundvillani quidem arbitri, quia *H*ermannus inſtrumentum oſtendebat, quo patrem, auum, proauum eamdem præfecturam habuiſſe probabat,neque ſcripti quidquam contra abbas oſtendebat, litem ab eo abiudicauere,tantiſper donec jure euinceret. Eamdem ſententiam ſecutus communis arbiter Ioannes Homburgius prætor Rapersvillanus. Neque tamen præfecturam Hundvillanus obtinuit, ad ius, quod vtrique parti reſeruarant arbitri, provocante abbate. Eodem anno auxilia Heluetij contra Bohemos hæreticos Imperatori menſe Auguſto miſere, quorum maximè opera, & fide vſus eſt. Anno viceſimo ſecundo,Heinricus baro Montſaxius Bilitionum ducis Mediolanenſis opidū, quod Dux promiſſæ, & debitæ pecuniæ deluderet,per inſidias occupauit. Et cum retinere poſſe diffideret Vranijs & Siluanijs vendidit, fædus quoque cum ijs fecit. Id non minus ægrè ducem adfecit. Itaque eamdem fraudem ingreſſus opidum non multo poſt recepit, præſidiumque firmum impoſuit. Vranij confederatos Lucernenſes, & Tigurinos præcipuè invocarunt, magnisque itineribus Bilitionū tetenderunt. Dux inſidias collocauit in quas cum fœderati incidiſſent,

A. D. N. CIↃ. CD. XXI.

A.D.N. CIↃ. CD, XXII.

incidissent, multis eorum interfectis, incerta deniq; diu victoria penes eos remansit. Secuta inde pluria, & atrocia transalpes bella. Anno vicesimo tertio ineunte Tigurini & Bernates perpetuo se fœdere singulatim coniunxere. Pestilentia per *Heluetiam* vniuersam atrox, & violenta, quæ tantum Tiguri pene tria millia sustulit, alibi haut minori numero grassata. Anno vicesimo quarto misere Suitij ad Cæsarem Sigismundum Budam in *Hungariam* legatos, qui ostenderent ipsum, bello Austriaco postremo, quod eius auctoritate & iussu contra Fridericum ducem gesserint, scripto pollicitum, & per legatos, quæcumque eiusdem ducis Dominia occuparint, habituros in posterum, fruiturosque, præfecturam, quidem se iurisdictionemque incolarum Heremi, pacevicennali ante plures annos ab Principibus Austriæ accepisse: Aduocationem tamen Monasterij semper duces retinuisse. Eamdem advocationem, eodem bello postremo, in suam potestatem quoque venisse arbitrari, rogare illam suo diplomate confirmare Suitiorum communitati dignaretur. Annuitque Cæsar rescripto, quo & aduocationem Monasterij & præfecturam Incolarum Heremi ipsis confirmare & stabilire fatebatur, quam confirmationem postea reuocauit, & fraude impetratam testatus est. Anno vicesimo quinto tres Communitates, Vrania, Suitia, Siluania cum vna aliorum confederatorum legione rursus Alpes transcenderunt. Bilitionem cùm attigissent, nec hostis copiam sui faceret, proximas valles cæde, & flāma peruastarūt. Anno vicesimo sexto. Petijt ab Martino pontif. Burcardus abbas, vt ante Lucē sacris suo in Monasterio operari liceret. Cōcessit beniuolens pōtifex amicè, & speciali gratia his modis, & conditionibus vti id sub ipsam tamen lucē, negotijsexigentibus, & rarò fiat, ratione addita, *quia cum altaris officio immoletur dominus noster* IESVS CHRISTVS DEI *filius, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc nō noctis tenebris fieri, sed in luce.* Bullæ principiū *Martinus. &c. Datum Romæ apud SS. Apostolos*, v. *Nonas octobris pontificatus anno decimo.* Paucis post hebdomadis cōfirmau it idem pontifex, rogatu eius-

A. D. N. CIↃ. CD. XXIII.

A. D. N. CIↃ. CD. XXIV.

A. D. N. CIↃ. CD. XXV.

A. D. N. CIↃ. CD. XXVI.

dem Burcardi omnes Monasterij Heremitarum libertates,& immunitates à prædecessoribus suis Romanis pōtificibus siue per priuilegia,vel alias indulgentias eidem monasterio indultas. Nec non libertates,& exemptiones secularium exactionum à Regibus, principibus,vel alijs Christi fidelibus rationabiliter præfato monasterio concessas, vti eas iustè ac pacificè obtinent. Indignationem omnipotentis & beatorū Petri & Pauli Apostolorum eius interminatus omnibus hanc suam cōfirmationem infringere, aut ausu temerario contra ire tentantibus. *Romæ* VI. *Idus Decembris, pōtificatus eius anno* X. Eodem anno emit abbas Burcardus ab Vlrico juniore barone ab Clinge mediam partem præfecturæ, & Dominij AEschentij cum omni eius iure, & iurisdictione octingentis quadraginta libris, quas præsenti pecunia exsoluit, totamque hoc pacto Aeschentij Dominationem sibi, & suo monasterio vindicauit. Anno vicesimo septimo multa quæ controuersa erant Burcardo cum Tugijs præsertim, propter vicum Nuheim permissa arbitrio quatuor virūm. Pro abbate fecere Iacobus Glenter burgimagister Tigurinus, & Itelius Reding officialis Suitensis: Pro Tugijs Ioannes Seiler, & Rudolfus Schel ciues Tugienses. Summum arbitrium inter dissidentes datum Heinrico Meisse exburgimagistro Tigurino. Eorum arbitratione decretum,Nuheimensium sacramētum quod abbatibus tamquam Monasterij mancipia faciunt, præcedere illud iusiurandum quod Tugijs veluti eorum ditionis factitare solent. Anno vicesimo octauo, externa cum eo, quem diximus, modo Burcardus ex parte composuisset, ad res quoque monasterij sui animum aduertit, & præcipua officia, petita, & audita consiliariorum suorum sententia,in nobilissimos qui aderāt monachos distribuit. Richardo ex baronibus à Falckenstein Custodis munus impertiuit. Rudolfo è Comitibus à Saxo Camerarij; Geroldo fratri eius Cātoris,& Cancellarij officia iniunxit: Franciscum è baronibus ab Hohenrechberg prępositurę Faræ pręsidere iussit,multis omnes cōditionibus:

A. D. N. CIↃ. CD. XXVII.

A. D. N. CIↃ. CD. XXVIII.

quam

quam Eſchentij emerat nuper præfecturam, itemq; S. Geroldi præpoſituram, ſibi retinuit, tamquam ruinoſam, & quam ex reditibus ad eam pertinentibus reſtituere, & ædificare cogitaret, ex qua tamen, pro arbitrio eorum, quos ad eam rem legiſſent, illis aliquid daturum pollicitus eſt. Lecti Reinhardus Stabler parochus Vfnaugiæ, Ioannes Stapfer officialis Feficone, Vlricus Faſnacht, & Cunradus Georgius cellarius monaſterij, qui anno ſequenti judicarunt, abbatem Burcardum modios tritici octo, & totidem vini amphoras dare quotannis illius præpoſituræ nomine debere. Et is ſe facturum ſpopondit. Cætera ex ijſdem officijs emolumenta omnia ipſis reliquit, addita conditione, ſi rectè, & ex Monaſterij dignitate & cõmodo, adminiſtrarent: ſecus in ſua futurum poteſtate, tamque Principis, et antiſtitis alios ſubſtituendi, ipſos officio, & emolumento priuandi. Anno triceſimo. Audito Cæſarem Sigiſmũdum ad Germaniæ ſuperiora veniſſe, vt in Italiam tranſiret accipiendæ Imperialis coronæ, & Vberlingæ agitare, ad eum Burcardus Rheinhardum Stablerum ſuũ capellanũ legauit, qui cur ipſe ad ſuam Maieſtatem nõ adiſſet, oſtenſis, quibus premebatur, negotijs, excuſaret, ſimul ab ipſo priuilegiorum, beneficiorumque monaſterij confirmationem peteret. Cæſar, excuſatione accepta, et penſitatis quæ Burcardi prædeceſſores abbates ipſi, Imperioq; ſeruitia exhibuiſſent, & quotidie idem Burcardus exhibeat, impoſterumq; exhibere poſſit, ac debeat, in honorẽ DEIPARÆ Matris, & eiuſdem Monaſterij bonũ, & firmamentũ, peculiari ſua gratia, & in idem Monaſterium fauore, & adfectu, omnia eius priuilegia, regalia, feuda, juriſdictiones, iura et emolumenta, ſuo diplomate, Cæſarea auctoritate, confirmauit, quorum omniũ fidem et obſequiũ idem Reinhardus, vice abbatis Burcardi, publicè fecit, et præſtitit. Burcardum Cæſari, et Imperio, tamquam Principem Imperij, fidum, et obſequentem fore jurejurando ſpopondit. Præcepit hinc omnibus Comitibus, vexillarijs, nobilibus, equitibus, Fiduciariis, et officialibus, omnibusque reliquis ad monaſterium noſtrũ pertinentibus, eidem abbati

A. D. N. CIↃ. CD. XXIX.

A. D. N. CIↃ. CD. XXX.

Burcardo, tamquã legitimo domino, in omnibus obſequantur, ſuam, & imperij indignationem interminatus refractariis & inobedientibus. Acta hæc Vberlingæ, feſto die Luciæ Virginis martyris, eodẽ quo ſupra anno, regni eius Hungarici XLIV. Romani XXI. Bohemici XI. Paucis poſt diebus, eodem Reinhardo procuratore, priuilegium paternum ne ad extera iudicia *He*remitæ, & eorum ſubditi vocari poſsint, ſimul vt proſcriptos, & patria extorres domo, & hoſpitio recipere poſsint, conſideratis eiuſdem Burcardi precibus, & laudabili DEI ſeruitio, quod in ſuo monaſterio per vitam inculpatam, & ſpiritualem, quotidie & aſsiduè exercetur, etiã confirmauit, rata & perpetua eſſe iuſsit ſuo reſcripto, repetitis iterum, & innouatis omnibus Monaſterij priuilegijs, regalibus, beneficijs, iuribus, inſtrumẽtisq; & dignitatibus, quas prædeceſſores eius Imperatores & reges impertiuere, aut alij Principes, domini, & Chriſti fideles. Neque id ſolum Sigiſmũdus, regia poteſtate & Cæſarea præſtitit lubens, & volens vltròq;, ſed quo ſæpedictus Burcardus abbas, eiusque Monaſterium, diuino cultui incumbere impenſius, & abſq; cura grauiori, pace & tranquillitate frui & potiri poſsint ſemper & in poſterum, deliberata voluntate, bono & probo ſuorum conſilio, & clara rei notitia, Abbatem Burcardum, Conuentũ, Monaſteriũ, & omnes eorũ ſubditos & annexos, bona vniuerſa, & jura, & poſſeſsiones quocũq; loco ſint, & nomine in ſuam, & imperij protectionẽ ſingularem ſuſcepit, omnibus vtriuſq; ordinis Principibus, Comitibus, Baronibus, equitibus, nobilibus, præfectis, & officialibus, omnibus Ciuitatibus, Vrbibus, Cõmunitatibus, ſibi, & imperio ſubiectis, & fidelibus in mandatis, regia auctoritate, dedit, ſuo ne huic decreto morã faciant, aut impedimẽto ſint, ceterũ id cum fide, & cura tueãtur & impleant, ſi ſuam, & imperij gratiã velint, ſi ſuam & Imperij iram, pænamq; priuilegijs eiuſdem abbatis & monaſterij comprehenſam, reformident. Acta in eadẽ Vrbe Vberlingenſi ſupra memorato anno, feria v. poſt Luciæ. Non minus apud Sigiſmundum ſollicitabat Burcardus, vt quas Suitenſibus Budæ dederat aduocationis literas, an-

nis ſupe-

nis superioribus, eas vti irritas, & fraudulentas declararet, ostenso sui monasterij tutelam haut ad priuatum quēquam vel singularem Communitatem pertinere, sed Romani vnius Imperij esse, Cæsaremq; solum aduocatū, eius beneficio, & commissu id ius primo Allemanniæ & Sueuiæ duces, postremo Austriæ Principes *Habspurgiæ* gentis obtinuisse. Et quamuis hi Dominia, quæ circa Heremū, & ijs partibus habuerant, ob vnius forte culpā, bello amiserint, non propterea Monasterij sui ad quod ea res nihil pertinuerit, jura & priuilegia in nihilum redacta, aut perdita, quæ ab vno Romano Imperio dependeant, & inde vim accipiant, quam amittere nequeant, nisi eo vnico euerso. Addidit ad hanc rem Burcardus intercessores ducem Brunsuicensem, itemq; consanguineum suum loānem Lupoduni Comitē quem Cæsari acceptum sciebat, Casparum quoq; à Clingenberg, & nōnullos alios Aulæ familiares, & apud principē gratos, & non minus in vulgo fauorabiles. Horum opera, & assiduo sollicitatu, quæcumq; petebat Burcardus haut difficulter impetrauit, promisitq; Cæsar cùm ad huc Vberlingæ hæreret, iura, & dignitatem Monasterij sibi curæ fore. Anno tricesimo primo Martino XI. Kal. Martij defuncto successit Eugenius quartus. Is continuò Cardinalem Iulianū, quem in Germaniam legatum Martinus miserat, & Concilio Basilienſi, quod proximè, Senensi Concilio, decretum erat, præsidere iussit, & eius initium sollicitare. Factum id postremo x. Kalend. Augusti sequenti. Eius præcipua materia contra Husitas, qui in Bohemia, & vicinis prouincijs, per multa fœda, & impia facinora grassabantur, tum & corrigendis Ecclesiasticorum iuxta, & laicorum corruptis, & collapsis moribus. Ceterum Cæsar institutis per Germaniā quæ ad Concilij promotionem, decus, & securitatem facere videbātur, auctumno jam adulto, Vberlinga ad Campum S. Petri, succendit, vt, Iulijs alpibus, in Italiam descenderet. Dum apud Campum aliquot dies insumsit parandis expeditioni necessarijs ad eum iterum Burcardus abbas misit, qui promissi Vberlingæ priori anno facti admoneret, Heinricum Muderlinum, cū antea

A. D. N. CIↃ. CD. XXXI.

ad ipsum quoq; eamdem ob causam per eumdem Muederlinũ scripsisset. Cęsar auditis denuò, quas abbas demõstrabat, rationibus, relectoque, quod Suitijs concesserat super aduocatione, priuilegio, illud de consilio, & approbatione vtriusque ordinis Principum antiquauit, cõtraq; Monasterij iura, priuilegia, instituta, & consuetudines datum, & concessum pronunciauit, eadem Heremitarũ jura & priuilegia de nouo confirmauit, & perpetuo valere jussit, regia auctoritate. In eodem campo D. Petri feria II post commemorationem vndecim millium virginum Anno eodem Tricesimo primo. Hungarici regni XLV. Romani XXII. Bohemi XII. Anno Tricesimo secundo petitione etiam & precibus abbatis Burcardi Eugenius Pontifex, intellecto propter ea quæ ad capellã DEIPARÆ Loci Heremitarum plurima Dominus, vt piè creditur, ipsius Virginis meritis operari dignatus est miracula, nec non pro sortiẽdis, quas inibi felicis recordationis LEO papa VIII. gratiosè cõcessit, Indulgentiarũ muneribus, ingentẽ vtriusq; Sexus Christi fideliũ confluere multitudinem, vt earumdẽ fideliũ deuotio inibi feruentius invalescat, ac animarum salus huiusmodi peramplius propagetur, ipsiq; fideles dictarũ Indulgentiarum magis capaces efficiantur, indulsit Apostolica auctoritate, vt ipse Burcardus, eius successores Abbates Heremitarum, nec non idonei per eos deputandi sacerdotes seculares vel regulares, in proximum decennium possint liberè, & licitè quorumcumque fidelium ad ipsam Capellam & Ecclesiam confluentium cõfessiones audire, eisq; ab omnib⁹ suis peccatis, nisi talia fuerint propter quæ Apostolica sedes merito consulenda existat, absolutionis beneficium impendere, nec non Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica sacramenta ministrare. Bulla Romæ edita v. Idus Martij pontificatus anno secundo. Eodem anno, quia Concilium multis ex caussis Bononiam Eugenius transferre conabatur, plura cõtra eum ab patribus qui contra nitebantur, decreta, citatusq; ipse ad caussam coram Concilio dicendam aliquotiens. Neque primo cum Sigismundo satis conueniebat, quæ caussa fuit cur tardius ad Vrbem peruenerit. Sed pace facta, cum

A. D. N. CIↃ. CD. XXXII.

sub finem MAI sequentis anni Romam ingressus esset, ab eo Imperialia ornamenta accepit pridie Kalend. Iunij festo die Pentecostes. Adjunxerant se Cæsaris Comitatui eius petitione multi ex Heluetia primores viri. Sed abbas Burcardus, Tigurinique, & nonnulli è Confederatis alij legatos quoque ad Eugenium, ea occasione, destinarunt, qui rogarent, vti apographo bullæ Leoninæ, quòd Heinricus Constantiensis episcopus in *H*eremo educatus, abbasque factus, qui proinde eius omnis antiquitatis diligentissimus fuit habitus, confirmarat, & veluti legitimum, & certissimum publicari, tota sua diœcesi iusserat, suam quoque auctoritatem adjungeret, & indulgentias in eo comprehensas & ab Leone liberaliter, & merito concessas confirmaret, & ratas, & perpetuas haberet. Eius cùm se rei certam notitiam, absumto, vti fatebantur, in cendijs originali, non habere Eugenius respondisset, ne tamen eorum desiderijs obsistere velle videretur, Episcopis Curiensi, & Ceruiensi commisit, & in mandatis dedit, quatenus de memoria literarum dicti Leonis prædecessoris ac de transsumpto *H*einriciano eiusque legalitate, quantaque fides sit eidem adhibenda, Nec non Indulgentijs huiusmodi tam per testes quàm per publicam famam, ac de visu, & per alia sufficientia documenta instructi & edocti se certiorem redderent quantocius, vt eorum ex literis veritate cognita possit deliberare quid cum DEO & salute fidelium sit ipsi monasterio concedendum. Literæ ad prædictos Episcopos sunt datæ Romæ VIII. Kal. Iulij, pontificatus anno tertio Non minus interea Concilij patres Eugenium citabant accusabantque; at ipse haut quaquam his factis consternatus bullam contra Concilium vulgauit Idibus Septembris, qua magis, magisque patres exacerbati sententiam in Eugenium pronunciassent, nisi Imperator, magnis itineribus, Roma Basileam adueniens distulisset IV. Idus Octobris. Quamprimum Basileam venisse Imperatorem Burcardus accepit, nihil prius habuit, quam ad eum quanta maxime celeritate contendere, & priuilegiorum ab eo jam Imperatore confirmationem non solùm petere, & obtinere;

A. D. N. CIↃ. CD. XXXIII.

sed etiam controuersiam, quæ de aduocatione cum Suitensibus supererat, eius auctoritate terminare. Annuitque extemplo imperator quātum ad priuilegiorum ratificationem, veteri, & multa erga eumdem abbatem, & Heremitas propensione, & gratia, eiusque Monasterij iura omnia, regalia, & priuilegia, possessiones, & feuda, non modo confirmauit, sed ne in externa iudicia vocari possint, ipsi, & eorum subditi sanciuit, extorres domo, & exules retinere concesit, idque se facere ad seuerauit iustis, & æquis precibus eiusdem antistitis Burcardi, & habita ratione diuini cultus, qui eo in Heremitarum monasterio, studio indefesso, cura, relligione, pietate exhibetur, perpetuaturque. Denique abbatem, Conuentum, & omnes eis subditos, & connexos, quocumque loco & vocabulo sint, in suam, & Imperij protectionem iterum recepit. Diplomate eadem Ciuitate Basilienſi edito feria VI. ante Luciæ Virginis, & martyris, regni Hungarici anno XLVI. Romani XXIV. Bohemi XIV. Imperij I. Sed ad controuersiam de aduocationis Monasterij iure cognoscendā plures vtriusq; ordinis principes viros adhibuit. Inprimis fuerūt Guntherus archiepiscopus Magdeburgēsis, Cunradus Ratisbonensis, Petrus Augustensis, Ioannes Curiensis, Ioānes Misensis, Nicolaus Lubecensis, Guntzo Olmucensis Episcopi: Gulielmus Palatinus Rheni dux Bauariæ, Ioannes Landgrauius Leuchtenbergensis, Comes Holsij, Ludouicus Comes Oetingæ Cæsarii palatii præfectus, Ioannes Comes Lupodunensis, Landtgrauius Stuelingiæ dominus *H*ohennaci, Gregorius Heimburgensis VI. D. Cunradi archiepiscopi Moguntini electoris Vicarius & legatus, Albertus Varendrappius iuris Canonici, & Heinricus ab Erpelio ciuilis iuris Doctores, Theodorici archiepiscopi Colonienſis electoris consiliarii & legati: Georgius Gulielmus IC. & eques Friderici Marchionis Brandenburgensis consiliarius, & legatus. Adfuerunt etiam Stephanus Cole Norimbergensium, Valterus Schuartzenberge, Francofurtensium, & omnium *H*eluetiorum Confederatorum cum plena auctoritate legati. *H*orum omnium in consessu actione instituta, & auditis

vtrimque

vtrimque testibus, lectis & cognitis literis, instrumentis, priuilegijs, postremo pars vtraque Burcardus suo, & sui monasterij nomine: & Itelius Reding Suitensis officialis suo & suæ Communitatis, totius contentionis arbitrium Imperatori permisere, jure, an ex æquo, & bono sententiã vellet, integra facta potestate. Imperator de procerum, quos supra retuli, doctorumque, & legatorum consilio, ex æquo & bono sententiam tulit, præsentibus, & adstipulantibus partibus. Et primo priuilegium Budæ Suitensibus datum anno 1424. antiquauit; tum verò aduocationem Monasterij Heremitarum interiorem, & præfecturam exteriorem Suitensibus, eodem jure & emolumento concessit, quo possedere principes Austriaci, & vti ab Austriacis ad Suitenses peruenit, sicut ostendunt quæ super eare habent ipsi ab Principibus Instrumenta. Omnem vim, & vsurpationem, iniuriarumq; , eam ob ad vocationẽ, aut propter alia quæcumq; ad eam pertinentia, prohibuit. Heremitarum priuilegia, & jura Suitenses non violaturos ipsos, aut eorum subditos non oppressuros, non detrimento, non molestiæ futuros vllo modo, iuxta & secundum literas quas ijdem Suitenses abbati, & eius Monasterio, in harum rerum omnium fidem & testimonium imperientur, quibus literis pollicebantur Abbati, & eius succcessoribus, Monasterioque, & omnibus eius subditis & annexis, vim nullo vmquam tempore facturos, aut contra eorum priuilegia, jura, vetera instituta aliquid molituros, sed eadem potius omnia sarcta, & tecta habituros, & contra quoscumque fideliter, & benevolenter defensuros, et conseruaturos. Addidit denique Imperator, neq; se, neque Successores alium abbati aut Monasterio advocatum hoc pacto daturum. Acta hæc Basileæ, die et anno supra memorato. Suitenses suæ aduocationis, & protectionis quas promiserant literas dedere anno sequenti, feria 11. Gregorij pontif. Haut multis post diebus, cum ad huc esset Basileæ Imperator, postulauit ab eo Burcardus, vt præfecturas, & Dominia Richenburgi, Kemptæ, Aescentij, et bona, juraque ad eas pertinentia, quæ ipse anteceſſoresue acceperint,

A. D. N. CIↃ. CD. XXXIV.

aut eme-

aut emerint, ſicuti Inſtrumenta teſtantur, in poſterum etiam confirmaret, quod et ſolita in ſe et ſuos propenſione Principis facile impetrauit, pridie Nonas Aprilis eiuſdem anni quarti et triceſimi Hungariæ regni XLVIII. Romani XXIV. Bohemi XIV. Imperii I. Nono poſt die Dominica Miſericordiæ eiuſdem abbatis precibus, quas dederant Suitii advocationis, et protectionis literas reuidit, ſuoque diplomate non modo adprobauit, ſed in id quoque eas incluſit, et perpetuò valere et obſeruari ab Suitenſibus debere conſtituit, pæna indignationis ſuæ, et Imperii in delinquentes propoſita. Neque diu poſtea *B*aſileæ Sigiſmundus moratus, alia ob negotia ampliora, revocantibus in Hungariam Turcis; et Huſſitis in *B*ohemiam. Ratisbonam cum veniſſet, Iulio menſe, cum Bohemis colloquium habuit, eorum magnam partem in fidem accepit, et ad retinendum obſequium pluribus animauit. Fine anni reſignauit Otho epiſcopatũ Conſtantienſem, accepto annuo opulento honorario. Lectus eſt Fridericus II. ex Comitibus Zolleranis, qui triennium non exceſſit. Erant hoc modo tres eodem tempore viui Conſtantiæ epiſcopi, Albertus, Otho, Fridericus. Anno

A. D. N. *CIↃ. CD. XXXV.* triceſimo quinto, *B*ohemi tandem poſt varias agitationes hæreſis abſoluti ſunt, et in gremium Eccleſiæ recepti, inſigni Sigiſmundi Imperatoris opera, et pietate. Tugii III. Martii, eodem anno, ſubſidente paullatim ſolo plateæ vnius, quæ proximè lacum erat, ædibus viginti ſex, præter plura alia ædificia, turres, et mœnia vndis hauriuntur nullo pene ſui veſtigio relicto, mortalibus pluribus abſumtis, et in abyſſum raptis, excepto vnico infante, qui in cunis poſt varias, et longas vndarum euolutiones, et toto pene lacu exagitationes poſtremo ad ripam, haut procul ab D. Nicolai ſacello, ſaluus, cum magna omnium admiratione, et ſtupore, delatus eſt. Cæteri ciues omnes ex opido per metum, et horribilem fragorem, elapſi, in proximos colles profugerunt. Magna

A.D.N. *CIↃ. CD. XXXVI.* et memorabilis miſerabilisq; ea clades fuit. Anno ſequenti iacti belli Tigurini veteris ſemina morte Friderici Comitis Toggenburgi ſuæ ſtirpis poſtremi, de quo quia ingentia

Monaſte-

Monasterio nostro & exitiabilia inde progenerata damna & detrimenta, & postremo magna cura Antistitum nostrorum & opera præcipua in abolendo eo & pacando fuit, pauca supra repetam. Fridericus igitur Comes Toggenburgi, & Vtznaci cùm ex se procreatum heredem non haberet, apud Tigurinos ius Ciuitatis, apud Suitios popularitatis, obtinuit, quod non modo dum viueret, sed quinquennium etiam postquam defecisset cum suis subditis, & hæredibus valere voluit. Rogantibus verò Tigurinis, quem sibi hæredem iuberet, Elisabetham à Metsch Athesinam coniugem ostendit. Sed paucis ante obitum diebus, Suitensibus quos ideò ad se vocauerat, auctor fuit, cum suis subditis, postquam esse desisset, perpetuæ necessitudinis & confederationis ineundæ; Nulla de Tigurinis habita ratione, aut mentione, quibus ob Burgimagistri Rudolfi Stussij iniuriam infestus erat. Sed vbi Comes exstinctus est, Tigurini ad rem attenti, plerosque Friderici subditos pertentarunt, nonnullos in fidem acceperunt, tantumque apud Elisabetham potuerunt, quia heredem credebant, vt in eorum se vrbem receperit, quæ etiam petentibus, & omnia pollicentibus Comitatum Vtznacensem donauit. Id posteaquam Suitenses animaduerterunt, cum sibi haut parvam iniuriam fieri ab Tigurinis iudicarent, quo firmiores essent, Glaronenses in societatem adsciuerunt, & cum Toggenburgiensibus, & etiam Vtznacensibus, licet Elisabetha eos Tigurinis dedisset, perpetuam amicitiam, & societatem vti Comes monuerat, feriere. Ex hac contentione, dum alteri ab alteris in attrahendis, & conciliandis Comitis subditis, iniuriam fieri sibi credunt, suscitatum bellum, quod multo sanguine, & vastitate plures per annos, non modo Heluetiam, sed vicinas quoque prouincias vehementer concussit, & attriuit. Fine eiusdem anni Sexti & tricesimi, abdicauit etiam sponte, accepta tamen pensione Fridericus episcopus. Sublectus Heinricus IV. ex baronibus ab Heuue, Præpositus Constantiensis, & Argentinensis Ecclesiæ Decanus, præfuit annos XXVI. menses VI. qua tempestate, mortuo haut multo ante Alberto,

A.D.N. CIↃ. CD. XXXVII.

berto, rursum tres viui Constantiæ episcopi, Otho, Fridericus, Heinricus. Heinricus etiam Ecclesiam Curiensem administrauit. Anni tricesimi septimi principio, Conuentus Cõfederatorum Lucernæ frequens habitus propter Suitensium & Tigurinorum dissidium. Multis vtrimque agitatis cum arbitri vtrimque lecti de jure sententiam dixissent, secundum Suitenses litem iudicauere. Id multo acerbius tulerunt Tigurini, Confederatis contra nitentibus, vt iudicato acquiescerent, &, si quæ alia volunt, iure, non ferro disceptarent. Illi nihilominus armis quæsituri, quæ iudicio amiserant, copias fecerunt, &, ineunte Maio, in Saragaunenses quos Toggenburgensis pignore ab Austriacis posfederat, & paullo antè, precio pignoris persoluto, Fridericus Austriæ dux senior sibi adseruerat, duxerunt, contra omnium Confederatorum voluntatem, arces Nidberg, & Freudenberg ceperunt, & diruerunt. Præsidia mox contra Suitios Feficone, & vicis lacus vicinis, & confinibus dispositerunt. Vtznacensibus verò, & Castrensibus commeatibus interdixerunt, Suitensibus non nisi certa conditione, & quantitate permiserunt. Suitenses, vice versa cùm Tigurinorum facta omnia vim spectare perspicerent, militem etiam Vtznaci, & per Heremum collocarunt, qui limitem tuerentur, & propinquis Heremo, & Marchiæ locis auxilium ferrent, Tigurinos de jure certatum ex fœdere, quod perpetuum inter vtrosque erat, ad *He*remum prouocarunt, in fauorem quoque sui Sigismundum Imper. adduxerunt, qui literas ad Tigurinos dedit, quibus commeatuum, & commerciorum prohibitionem improbabat, Agriæ proxima feriæ VI. post vincula Petri. Sed frustra hæc omnia fuere, Tigurinis in sententia permanentibus, & injuriam sibi fieri arbitrantibus. Pridie Kalend. Augusti facta interim Basileæ Sessio XXVII. & in ea Eugenius primo citatus additis causis, quod à se datas Bullas infregisset, decreta violasset, contra Concilij patres multa gessisset. At ipse abrogato penitus Basilienſi Concilio, Græcisque ad partes traductis, Concilium nouum Ferrariam indixit, XIV. Kalend. Octobris. Ob ea, & alia pluribus accusatũ patres Basileæ, tamquam inobedientẽ, condemnarunt,

narunt,vti & Conciliũ Ferrarienſe,Seſſione xxviii. Kal. eiuſdem menſis. Quinto Idus Decemb. inſequẽtis vitam,& Imperium poſtremo exuit Imper.Sigiſmundus regni Hungarici li. Romani xxvii. Bohemi xviii. Imperij v. ætatis anno lxx. relicta vnica filia Eliſabetha quæ Alberto v.Auſtriæ Duci nupta vtrumq; ad eum Bohemiæ, & Hungariæ regnum dotem portauit. Multo Sigiſmundũ paterna veſtigia ſequutũ fauore Heremitas,& in gratia peculiari noſtra habuiſſe,quæ ſupra memorauimus,ſatis declarãt.Fuit ſanè princeps optim⁹,reiq; Chriſtianæ amantiſſimus,& ſtudioſiſsimus. Anno triceſimo octauo,Concilij Baſil. Patres Eugenij facta indigniſsimè interpretati,ipſum deniq;, tamquã contumacem,dignitate,& põtificatu priuarunt, Nono kal. Febr. Seſsione xxxi. Ipſe cõtra,præſente Græcorũ Imp. Palæologo, & Conſtãtinopolitano patriarcha Ioſepho,Ferrariæ ſuũ Cõcilium incepit, ingrediẽte Martio,Baſilienſe iterum condãnauit.Eodem tempore conuenerunt Francofurti Electores Albertumq; Auſtriæ ducem,& Hungariæ regẽ Sigiſmũdi generũ Cæſarem ſalutarunt xiii.Kal. April. eius nominis ſecũdum. Sæuiebat prope vbiq; atrociſsima fames,quę infinitos mortales ad extrema perpulit. Repertos ferũt qui ex ſe procreatos liberos in partes diſſecuerint,& ſale in uſum, cibumq; cõdierint, vbi proprij defecerũt,alienos ad eundẽ finem abripuerint. Ea rerum inopia eo acerbius Suitẽſes,& Glaronẽſes contra Tigurinos exſtimulauit, qui eos adhuc cõmeatibus priuatos retinebãt. Conuẽtum Raperſuillæ cũ cæteri Confederati eam ob rem feciſſent, quo etiã plures Imperialium Ciuitatum legati cõuenerant, & nihil effeciſſent,Cæſarẽ Albertũ impulerunt,vt ad Tigurinos grauiter ſcriberet, cõmerciorumq; in Imperio libertatẽ adſereret. Literæ eius datæ Pragæ feria v. ante D.Galli. Secutæ tũ inter partes, ab quinto Kal. Nouemb. ad quintum vſq; Mai conſequẽtis anni induciæ. Interea varij Conuentus agitati Bernæ,Lucernæ, in Heremo, qui vani omnes fuere, vtriusq; partis pertinacia, aut potius conciliantiũ puſillanimitate, & fraude,modo Tigurinis,nunc Suitẽſibus bona verba ſuggerentiũ,& omniũ rationes magis improbãtium,quam alteru-

A. D. N. MD. GD. XXXIIX.

trius laudantium. Festo die D. Thomæ Apostoli, eiusdē anni octaui & tricesimi, mortē obijt abbas Burcardus, egregia sui fama, & memoria relicta. Nam & se tamquā rupes aduersus Suitensiū machinas à principio objecit, & contra id quod ab Sigismundo clandestino, & occulte obtinuerāt diploma aduocationis, se opposuit, peruicitq;. Postremo æquissimis eosdē deinceps conditionibus aduocatos sibi adsciuit, coluitq;: non minus sic quoq; ipse apud eos habitus in honore postea, & veneratione. Priuilegiorū verò confirmationē nō modo apud Imperatorem procurauit, sed etiā pontifices Martinum, & Eugenium, ab hoc etiam nouam Bullam pœnitentiariam obtinuit. Publicas res Monasterij, & priuatas maxima cura administrauit, auxit, & decorauit. Aedē præcipuè DEIPARÆ multa sacra supellectile, casiolis, pluuialibus, ararū sactarum paramētis, mitris, auro, & margaritis precios exornauit. Sacrofagum etiam argenteum fieri curauit, cui omniū Sanctorum nomē fecit, & pluribus Diuûm relliquijs impleuit. Aedificauit vtrumq; latus ambitus monasterij lapide quadrato. Fundamentū abbatiæ posuit & muris ad tectū perduxit. Partem etiā arcis & castri Feficonis instaurauit, quæ ab eo Vveissenburgēsis vocabulum retinuit. Præter mediam partē præfecturæ Eschētij, etiam emit palatium Surbseense cum multis alijs, alijs in locis, possessionibus. Postremo quidquid antecessor numeratæ pecuniæ reliquerat, in hos, & alios Monasterij vsus prudēter, & salubriter impendit, & absumpsit. Erat ex familia à Grenchinge, qui Vveissenburgū arcē tenuerunt, & baronum inde titulū sumserunt. Illud Castrum, haut procul Schaffhausia, in Comitatu Lacobrigensi situm, funditus euertit Rudolfus I. Imp. ob latrocinia, quæ inde frequentia, vt alijs ex locis, per ea tempora, fiebant, cum sex hebdomadas continuas obsedisset, anno Domini M.CC.LXXXI. retinuerunt tamen inde barones nomen, sicuti & jurisdictionem. Electus in Burcardi locum, mense Ianuario anni sequentis Rudolfus eius nominis III. ex Comitibus Saxi Mesauciæ dominis qui tum Custodis munus obibat.

RVDOL-



RVDOLFVS III. EX COMITIBVS SAXI ME-

SAVCIAE DOMINIS ABBAS HEREMITARVM XXXI. PRINCEPS IMPERII DECIMVS QVARTVS.

MAGNA Rudolfum ad primum dignitatis, & Principatus ingreſſum cura ſimul, & anxitudo inceſſit, durante adhuc inter Tigurinos, & Suitenſes contentione, in certum quo pacto ſuos ſubditos, & poſſeſſiones in vtriuſque partis ditione ſitos, ſi in bellum denique erumpant, ab iniuria, & vaſtatione adſereret, conſeruaretque. Conſideratis omnibus, quia jam Monaſterium, & ea, quæ in eorum dominio erant, Suitenſes, tamquam aduocatos, tuta, & inoffenſa præſtituros credebat;

quo ceteros pariter ſecuros, & tectos redderet, cum Tigurinis fœdus, & neceſſitudinē inijt duraturā dum ipſi vita. Conditiones fuerunt, quibus fatebantur Tigurini Abbatem Rudolfum cum eius arce Feſicone, & vniuerſa eiuſdem arcis juriſdictione, & dominio, exceptis, quæ in Suitiorum ditione, & ſummo imperio erant, in hoſpitij, & Ciuitatis cōmunionem recipere, & protectionē ipſum, omnes eius familiares, & domeſticos pro ciuibus habituros, defenſurosq;. Pollicebatur viciſſim abbas arcem Feſiconem in Tigurinorū poteſtate fore, in eam ipſos, & eorum auxiliares recipere, & agitare poſſe, nullo tamen ſuo ſumptu, aut detrimēto; tum vero omnia ſe officia præſtaturum, quæ ab ciue exigi, præſtarique ſolent: huius quoque amicitiæ, & ciuilitatis gratiā quotannis aureos Rheni decem repræſentaturum. Excipit omnia ſua priuilegia, & iura quæ ipſe, aut ſui ordinis præſides in ſuum Monaſterium habent, aut habere debent, & ne hæc conuentio ſibi fraudi, damno, aut moleſtiæ ſit. Factæ vtrimque huius pactionis literæ die natali D. Blaſij epiſcopi martyris, ingredientis Februarij anno nono & triceſimo. Hæc vbi in hunc modum concluſa ſunt, Feſiconem Tigurini forti præſidio munierunt, & biduo, antequam induciæ, de quibus diximus, exirent, omnes ſuos ſubditos, & clientes admonuerunt, parati in bellum eſſent, quandocumque eius gerendi per eaſdem inducias facultas erit. Id vbi ad Suitentes perlatum, & Vtznacenſes ab Tigurinis opprimendos, frequentesque Bubicone, & Rutti, & per proximos lacui vicos diſpoſitos milites, fama addidit, vexillum ipſi quoque ſabbatho pridie S. Crucis inuentæ, extulerunt, ſuosque, opportunis vndique locis, conſtituerunt, apud S. MEINRADI ædem in monte Ecelio caſtra fixerunt, forti præſidio ipſius Ecelij culmen occuparunt, Marchienſibus quoque ducem dederunt, & Vtznacenſibus: hos opidum ſuum ſeruare, illos ad certum locum conuenire iuſſerunt. Poſtero die, qui Dominicus erat, & Inuentioni S. Crucis ſacratus, cum ſuis copijs, priusquam quidquam de Suitenſibus cognouiſſent, verſus Feſiconem Tigurini tetenderunt, ibique caſtra

A.D.N. CIↃ. CD. XXXIX.

poſuerunt,

posuerunt, mox circiter mille ad invadendum Ecelium, ne ex eo Suitenses, suis in Marchia, aut Vtznaci auxilio esse possent, expedierunt. Sed cum ab hoste montem præoccupatum, præter opinionem, animaduertissent, haut procul inde ad montis pedē signa constituerunt. Eodem die Vtznacum Glaronenses concesserunt, die sequenti, eodem Liechtensteigenses, & Incolæ vallis Taurinæ peruenerunt. Sed Suitij eodem die lunæ, non modo Glaronenses ad Ecelium accedere ex fœdere monuerūt, sed reliquos adeo omnes Cōfederatos cum suis copijs aduocarunt. Idem quoque ad Feficonem Tigurini fecerunt: haut deteriorem habere causam, quam contra vulgarent Suitenses. Ad hos etiam literas expostulatorias misere, quibus vim ab ijs sibi fieri, & priuilegia sua violari commemorabant, & ad tribunal Cæsaris prouocabāt, quatenus de Ciuitatum Imperij priuilegijs, nisi coram Cæsare disceptari non liceat. Suitij, acceptis eorum literis, de iure se cum ijs certaturos ex fœderum formula, vti sæpe alias, tum quoq; responderunt, aut certè ex compromisso, & arbitrio reliquorū omnium Cōfederatorum. Cum in proposito manere Tigurini cōstituissent, nocte, quæ proximè secuta est, illas copias quæ Feficone erant, diuiserunt, partē ad illos dimiserunt qui ad Eceliū excubabant: reliquā multitudinem ad Marchiam occupandam. De quibus omnibus, posteaquam paullo ante diluculum certior est redditus Itelius Reding Suitensium ductor, continuo ad Marchienses misit, vt contra aduenientem hostem in promtu essent, suaque curarent; eadem celeritate, omnes, quas tum habebat, copias in Ecelium rapuit, metu, ne dejecto eo, quod ab initio illic constituerat præsidio, monte Tigurini, magno in omnem euentū momento, potirentur. Mane iam facto, ad Suitios legati Vraniorum, Siluaniorumque venerunt, rogaruntque, ne cum Tigurinis tantisper congrederentur, sua mox ad futura signa, & in spe magna esse bellum absque sanguine posse componi. Eadem quoque Lucernenses significarunt, postularuntque. Dum hæc tractantur, & adhuc cū Redingero legati agunt, mox ad Tigurinos,

vt eadem impetrent, profecturi, & interea diſpoſiti Suitenſes ſummo ſilentio excubias tranſigunt, Tigurini, quos in Ecelij radice conſediſſe diximus, ex tanto ſilentio hoſtiũ abitum interpretati, iuuenum manum, qui certius aliquid referrent, montem ſubire iuſſerunt. Hi Suitenſium excubias prætergreſſi ſummo & ipſi ſilentio pene ad ipſa caſtra ſucceſſere: Vbi cum jam amplius tegi non poſſent, in ſtationes pro caſtris agitantes, re inopinata, ſclopetis, & arcubus immiſſis, eadem mox celeritate ad ſuos deuoluti ſunt. Exortus tum totis caſtris clamor ingens, miſſique ſubitò qui Tigurinos per montis, & adiectæ ſiluæ decliuia fugitantes perſequerentur. Cæſique eorum vndecim, alij plerique, abiectis armis, ad ſuos infra montem præſtolantes delati, cùm ex eorum trepidatione aduentum hoſtium crederent, impulſi & ipſi, relicto monte, in planiciem tantùm non fugientes deſcenderunt, illic, reſumtis animis, ſigna fixerunt, & aciem inſtruxere, ſubſequentes, vt rebantur, Suitios prælio excepturi. Neque in Suitijs mora fuit, maturata & ipſi continuo acie, in obſtantes progredi, certareque magnopere deſiderabant, niſi iidem, qui ſupra, Vraniorum, Siluaniorumque legati continuiſſent. Poſtremo Tigurini omnes Feſiconem, Suitij in Ecelium, vnde deſcenderant ſe receperunt. Eodem quoque paucis poſt horis ex fœdere, & monitu Glaronenſes conceſſere, bellumq; Tigurinis indixerunt, tum etiam Vranij, & Siluanij. Haut minus interea, quæ pacis erant, ſummo ſtudio curabant non ſolùm reliqui confederati Bernenſes, Lucernenſes, Salodorenſes, Abbatiſcellani, ſed Imperialium quoque & Auſtriacarum vrbium, Argentinæ, Baſileæ, Rhinfeldæ, & aliarum legati, in primis abbas Rudolfus, ſæpiusque inducias, nonnumquam diurnas, plerumque triduanas interponebant, inter irritatos, & ſui quoſque conſilij, & iudicij pertinaces. Concluſæ denique, ægrè licet, et magno labore, quæ ad feſtiuitatem Dominicæ aſcenſionis anni ſequentis durarent. Caſtra tum vtrimque ſoluta, cum in armis dies quindecim vtrimque agitaſſent. Interea, & dum hæc, armata manu, diſceptantur, ortæ graues Baſileæ in

Concilio turbæ, alijs Eugenium retinentibus, alijs oppugnantibus, binisque Germaniæ Principum has ipsas ob contentiones conuentibus Norimbergæ, & Maguntiaci nihil repertum, quod partes reconciliare posset. Nam Principes plerique Concilium quidem pro legitimo recipiendum credebant, Eugenij tamen priuationem haut perinde approbabant, ne pacis spe omni præcisâ fortè in deteriora prolaberetur. Ipse, orta Ferrariæ hibernis diebus pestilentia, Concilium suum Florentiam transtulerat, primamque illic Sessionem IV. Kalend. Maij celebrarat. Cum hoc pacto nulla spes esset, fore vt Concilio Basilienſi reconciliaretur, qui intercrant patres, eumdem VI. Kalend. Iulij sessione XXXIV. tamquam rebellem, & pacis, & vnitatis Ecclesiæ perturbatorem iterum condemnauerunt, dignitateque, & officio suis sententijs exuerunt. Erat, eodem tempore, grauissima annonæ caritas, ingrueratque, vere jam adulto, pestilentia, vnde auertēdæ Numinis iræ variæ passim supplicationes decretæ. Celeberrima inter alias fuit illa, quam Senatus Basilienſis circiter Idus Iulij ad Heremum nostram, & DEIPARAM Matrem instituit, & ingenti hominum vtriusque sexus multitudine per decem continuos dies frequentauit. Concilij patres ad eam annorum decem indulgentias impertiuere. Post abdicationem Eugenij cum Sessio facta esset noui pontificis caussa, censuerunt patres sexaginta dies interponendos juxta decretum septimæ Sessionis. Caussæ tum, & necessitates priuati Eugenij publicatæ. Vbi dies præstituti effluxerunt, patres tandem conclaue ad id paratum ingressi. III. Kalend. Nouembris Amedeum Sabaudiæ ducem, qui, principatu relicto, se in solitudinem Ripalliæ, sinistra Lemanni ripa, haut procul opido Tonono receperat, pontificem, Nonis eiusdem mensis, pronunciarunt, & XVII. Kalend. Decembres Sessione XXXIX. vnanimiter confirmarunt. Missi ad eum legati electionem XVI. Kalend. Ianuarij sequentis anni denunciarūt, quam cum recepisset, Felicem se V. nominauit, & ad iter se continuò parauit. Hunc annum, super Felicis electionem, insigniuit Alberti II. Cæs. Hungariæ,

A. D. N. CIↃ. CD. XL.

& Bohemiæ regis, Austriæ ducis VI. Kalend. Nouembris obitus, incredibili omnium pene orbis Christiani populorum desiderio, & luctu, tantam de se spem breui tempore vniuersis fecerat. Obierat paucis ante mensibus etiam Fridericus dux Austriæ senior, qui fuit postremus Principum Austriacorum Heremi aduocatus. Anni quadragesimi pars multa in pacis tractationibus, & crebris Confederatorum conuentibus consumta, reliqua in apparatu belli. Tertio Kalend. Aprilis, cùm paullo antè Francoforti conuenissent, Cæsarem electores nominarunt Fridericum Austriæ ducem iuniorem Ernesti F. Leopoldi qui apud Sempacum cecidit N. Octauo kalend. Iulij D. Ioanni Baptistæ sacro tandem Basileam Felix ingressus magno apparatu, & Sabaudiæ nobilitatis frequentia, coronationem suam IX. kal. Augusti celebrauit. Electionem eius probarunt, obedientiamque promiserunt Albertus dux Austriæ Cæsaris frater, Albertus & Stephanus duces Bauariæ, Magnus Magister Borussiæ, Elisabetha Alberti Cæsar. Vidua, cum suis Bohemiæ, & Hungariæ regnis, Sabaudia, Magna pars Insubriæ, Heluetia. Adhærebant etiam Concilio rex Franciæ, & dux Burgundiæ, suisque prælatis, ne ad Ferriarienſe, aut Florentinum Concilium transirent, inhibuerant. Fridericus Cæsar, & omnes Electores, multi alij vtriusque Ordinis Germaniæ Principes, neutrales se ad exitum vsque huius contentionis pontificiæ declarauere. Appetente auctumno, cum multo ante mutua inter se commercia, & commeatus Tiguri, & Suitenses prohibuissent, Tigurini non modo Suitijs & Glaronensibus vindemiationes sua in ditione interdixerunt, sed Monasterijs quoque quæ in eorum dominio sita sunt. Vnde multo maxima animorum ab alienatio consecuta. Suitenses iterum Ecclium armis occupauere. Illic agitantibus, pridie Simonis & Iudae Apostolorum, primo mane, ingens trepidatio allata, Tigurinos Heremum opprimere, & populari velle dispersa voce. Sed medio diei tumultus multo major exortus conclamataque tota Heremo arma, nunciato hostium manum jam ad proximum vicum Schindellege, perrupisse,

incendi-

incendioque villas *H*eremi populari, abigere armenta. Igitur ingens concursus omnium factus. Sed, re explorata, peregrinos Colonienses, & Lotharingos, qui longis, vti ferme mos est, scipionibus, & hastilibus nitebantur, & ad Heremum voti, & relligionis caussà aduentabant esse compererе. Non minus interea reliquos Confederatos Suitij, vti arma coniungerent, hortabantur, & ex fœdere ad se in Ecelium vocabant. Ipsi suos legatos dudum miserant, qui reconciliationem molirentur, diuque in Heremo substiterant, Suitios continentes, ne in Tigurinorum fines inuaderent. Misit & suos legatos cum Concilio Felix pontifex, itemque Friburgenses, Salodorenses, Argentinenses, Basilienses, alij. Sed cum nihil obtinuissent, Suitij, & Glaronenses Tigurinis bellum de nouo indixerunt, & eorum admonitu barones Raronenses, qui tum Toggenburgum materna ex hæreditate possidebant, Vtznacenses, Villani, Veggenses quoq;, & Gersouienses. Nihil hactenus mouerant Tigurini; finitimas solùm arces, & vicos præsidijs armauerant Feficonem, Bubiconem, Elgouiam. Postquam verò de Suitiorum factis, & consiliis, præfectus Feficonensis certiores reddidit, ex vrbe Feficonem quadraginta nauibus properarunt, ibiq; Suitiorum belli denuntiationem acceperunt. Suitii postea nihil cunctati, ruptis in Ecelio castris, cum suas Vranii quoq; & Siluanii copias coniunxissent, ex monte in planiciem, & Tigurinorum ditionem descenderunt, pridie Nonas Nouembris. Nocte sequenti, formata in hostem acie Feficonem rectè tetenderunt. Ad inopinatum Suitiorum aduentum tantus pauor *T*igurinos incessit, vt pleriq; omnes in naues, effusa fuga, se receperint, paucis è proximis vicis ad custodiendam arcem relictis, ductu Ioannis Zolleri, & Ioannis Bruneri. *S*ed Feficonenses, & cæteri circumvicani, postquam Suitios signa ad se ferre, & in *T*igurinis nullam magni præsidii spem superesse perspexerunt, subitò ad Rudolfum abbatem, tamquam legitimum Dominum, miserunt Rapersuillam, vbi se, cùm nonnullis è suis, per hoc bellum receperat, qui ab eo opem, & subsidium implorarent, rogarentquè

garentquè, suâ apud Suitios, & eorum socios auctoritate tantum posset, ne per incendia eorum villæ, & ædes populentur, aut licentiâ militari diripiantur. Rudolfus etsi eosdem vicanos sæpius refractarios, & insolentes antea expertus erat, parumq; in se, & monasterium fidos, & adfectos, tamen solita in suos benivolentia injurias, & ante facta, tam necessario tempore, præteruertēdum ratus, Feficonem accelerauit, ducibusque Tigurinis, qui ad huc aderant, arce decederent imperauit, cùm obsecuti essent, & iam Suitenses appropinquarent, illis obuiam Rudolfus processit, & ne vicos popularentur deprecatus, omnes suos subditos eamdem quam Tigurinis jureiurando promiserāt fidem, Suitijs, tamquam aduocatis, præstare iussit. Hoc modo deditione arcis, & vicorum facta, & Vicanis in fidem receptis, (sacramentum autem Rudolfo, tamquam legitimo Domino, dixerunt, Suitijs verò ea omnia officia, & obsequia polliciti sunt, quæ hactenus Tigurinis exhibuerant) cum firmum præsidium in arce reliquissent, Suitenses cum socijs per vicos Frienbach, & Volrau Richtisvillam processerunt, ibique castra fixerunt, eo reliqui Volruuiæ, & proximorum vicorum incolæ accesserunt, & vti Feficonenses Suitijs iusiurandum fecerunt. Erant verò hi omnes vici, Volrau, Frienbach, Fefico, multique alij vicini Heremo subiecti, & annexi, partim dono Othonis M. Imp. partim hæreditate beati Adalrici, aut rursus precio comparati. Sed dum Richtisvillæ paullum morantur, Lucernenses, iam quoque ad vicum vsque Frienbach peruenisse in eorum auxilium ingenti lætitia cognouerunt. Igitur iam multo ardentiores, cum precibus Hugonis Comitis Montisfortis ordinis S. Ioannis Hierosolymitani per Germaniam Magistri generalis dedissent, vti ab eiusdē vicis Vedisvilla, & alijs temperarent, vlterius Tigurum versus, sinistra laci ripa, progressi, Horgam, Talvillam, & alios vicos, populabundi omnia, nemine resistente, VII. Idus Nouembris Kilbergam peruenerunt, ibique iterum castra collocarunt. Secuti eos Lucernenses, Vranij, & Siluanienses. Eodem tempore occuparunt Tugini liberum offici-

um Tigu-

um Tigurinorum cis Albim situm. Et Bernenses quoq; forti manu Altisvillam ad amnem Sillam signa portarunt, Suititijsque adesse se auxiliares renunciarunt. Ita omnes contra Tigurinos Suitiorum admonitu, & precibus Confederati diuersis locis in armis erant, copiasque contulerant, hominum in præsentia millia sex, & sexcenti. Ab altera parte barones Raronenses, cum Toggenburgiensibus, & alijs, pene totum Comitatum Kiburgēsem in potestatē redegerunt, arce Kiburgi excepta. Grueningam quoque opidum, & arcem deditione acceperunt, quam Bernensibus Suitij dono dedere, quo celerius Tigurini, tamquā tot opibus impares, ad pacem inclinauerunt, induciasque in aliquot dies petierunt, dum colloquio inter se facto de re communi transigeretur. Adfuerunt quoq; tum Imperialium vrbium Basileæ, Constantiæ, Vlmæ, Rauensburgi, Lindaugiæ, Iberlingæ, S. Galli, cum ampla auctoritate legati, Hugo etiam Montfortius, de quo diximus, & Ioannes baro ab Heuue nomine suo, & fratris Heinrici episcopi Constantiensis. His conciliantibus, pax tandem concluſa, multis conditionibus, in quibus fuerunt, Feficonem, Volruuiam, Hurdam, Vfnaugiam, ceteros eius tractus vicos, quia Heremitarum erāt, Suitijs eorum protectoribus, & aduocatis permansuros. Castra mox vndique soluta XI. kal. Decemb. & finis primi belli impositus, quo paucæ factæ cædes, neque enim plures quam duodecim omnino interfecti, sed ingens ditioni Tigurinæ vastitas allata. Anno quadragesimo primo, kal. Iulij Sess. XLIII. institutū in sequentem diem festum Visitationis MARIÆ patrum Basilienſium decreto. Causæ additæ, quia præter quod indies maiores orbi Christiano imminebāt calamitates, quę eo magis omnes ad invocandū, propitiandumq; diuinum Numen accendere debēt, æquū quoq; videbatur singularem DEIPARÆ lætitiam annua memoria celebrare, quam ea potissimū hausit, cum ad cognatam Elisabethā, spiritus sancti admonitu, invisit grauida grauidam, ingenti vtrimq; miraculo, quod & virgo concepisset, & sterilis; illa DEI filium, hæc hominū filiorum omnium præstantissimū, quo etiā tempore Ioānes

A. D. N. CIↃ. CD. XLI.

Christum

Christum seruatorem primus omnium è matris vtero adorauit, insolitoq; motu, quam inde hausit lętitiam manifestauit. Dies huic celebritati, vt diximus, declaratus eiusdem mensis secundus. Ceterum etiamsi Tigurini ditionem suam pene totam receperant, pacemq; cum ceteris Confederatis haberēt, tamē accepta pręterito bello damna haut dū satis concoquere poterāt, & de vlciscendis à longe consilia agitabant, auctoribus maxime Rudolfo Stussio burgimagistro, & Michaële Grafio archigrammateo, quorū auctoritas apud populum nondū euiluerat, etsi prætēritū bellū ex sententia minus processerat, cuius concitores maximè ferebantur. Sed omnia reuoluentibus nullam omnino paria faciendi rationem intelligebant, quam si Principes Austriæ sibi conciliarent, quod non difficilè rebantur, insita principum clementia, & ostensis, ex sua amicitia, & coniunctione, amissa quondam recuperandi varijs commoditatibus. Igitur circiter Kalend. Februarij anni sequētis ad Fridericum Cæsarem legatos miserunt Heinricum Schuendi, eo anno, Burgimagistrum, & quē supra memorauimus Michaëlem Grafium, cum mādatis nihil omitterent donec Principem in suas partes adducerent. Legati Cæsarem Ratisbonæ repertum ad Aenipontem cum secuti essent, & omnia de se, & suis polliciti essent, restitutionem quoq; Comitatus Kiburgiēsis addidissent, & quæcumq; ex domo Austriaca haberent, Cæsarem aliquantum permouere. Igitur cùm se porro comitarentur iussissēt, Francofurtum tetendit, indeColoniam, & Aquisgranum, vbi coronam regni Germaniæ accepit xv. Kalend. Iulij. Eodem die, vti petierant, fœdus perpetuum cum Tigurinis fecit, signauitque multis vtrimque conditionibus. Aquisgrano Francofurtum redijt, frequentemq; Principum, Ciuitatumq; Imperij conuentum habuit. Eo cùm Confederatorum ceterorum legati veniissent priuilegiorum suorum cōfirmationem petituri repulsam tulere, nisi Ergoviam restituissent domui Austriacę cōtra quinquaginta annorum pacem armis ademtam. Salodorenses tamen, quia in ea partem non habebebant, quæ petierunt, obtinuere. Francofurto iterum

A. D. N. CIↃ. CD. XLII.

Rheno

Rheno aduerso, in Elsatiam, & Brisgouiam adscendit, Friburgum, Rhinfeldam, postremo Tigurum XIII. kal. Octobris, mille equis ingressus, ingenti omnium Tigurinorum lætitia, adparatu, & applausu in nostro inibi palatio diuertit. Nono Kalend. eiusdem mensis illi Tigurini obedientiam primo, tamquam Romanorum regi, præstitere, post etiam nouum fœdus jurauere. Iisdē diebus, Sabbatho scilicet post Matthæi Apostoli, & Euangelistæ sacramentum quoq; Tiguri præstitit Friderico, tamquam Princeps Imperij abbas Rudolfus, ab eoq; Regalia, & Feuda Imperialia, solitis cerimonijs, accepit, regni eius anno tertio. Eodem die, & loco priuilegia, jura, instrumenta, honores, & dignitates Monasterij nostri à prædecessoribus suis Romanis regibus, & Imperatoribus, alijsque Principibus, & pijs fidelibus data, & concessa, itemque nostros subditos, annexos, instituta, consuetudines, bona, & possessiones, inprimis ne Heremitæ, & eorum subditi ad externa iudicia vocari, & trahi possint, & proscriptos vti retinere possint, ex Caroli quarti Imperatoris rescripto, vti hactenus possederunt, confirmauit, renouauit, & perpetuo valere, pollereque iussit, auctoritate regia. Postremo quo tutius, & quietius DEO omnipotenti, Virginique eius Matri, seruire, & diuino cultui attēdere melius possint, ipsum Rodolfum, Heremitas, eorum subditos, & quidquid ad Monasterium pertinet in suam singularem, & Imperij protectionem recepit, & nequid contra ea omnia quisquam tentare audeat, pœnam ijsdem priuilegijs, & instrumentis insertam proposuit. Ceterum cùm Tiguri ad pridie vsque kalend. Octobres perduraſſet, & Rapersuillanos, qui ab Concilij Const. tempore in tutela Imperij fuerāt, Domui Austriacæ reuindicasset, Tigurinisq;, quibus cum perpetuo dissidebant, reconciliasset, Vitodurum profectus, & inde Badā, peragrata Argouia, Salodorū, Bernamq; & postremo Friburgum tetendit. Ibi aliquamdiu subsitit. Ibi quoque repulsam Cōfederati, qui eo aduenerant confirmationē suorum rursus priuilegiorū petitū, retulere. Friburgo Losannam, mox Geneuam, & per Burgundiā, Vesontionē, postremo Basileā III. Idus

Nouemb. peruenit. Paucis quoq; diebus Basileæ absumtis, nam parum cùm Basilienſibus, & nouo Pontifice conueniebat, Conſtantiam ſe recepit, & ibi quoq; cum Confederatorum priuilegia confirmare recuſaſſet, niſi Argouia reſtituta, aut lite deniq; coram Imperij principibus, qui in eius comitatu erant, cuicta, ad Oenipontem reuerſus eſt, cum Tigurinos ſuis Præfectis attentius cõmendaſſet. Interquos præcipui erãt Gulielmus Marchio Hochbergæ quem Elſatiæ, Briſiacæ, Harciniæ & adiunctis Auſtriacis provincijs præfecerat; Iacobus Dapifer à Valdburg Imperialis per Sueuiam advocatus, Gulielmus, & Hemmo barones à Grueninberg, Thuringus ab Halvvil, nonnulli alij. Si bellum propter Tigurinos ingruat, Gulielmum Marchionem generalem ductorem nominauit: Tigurinis Thuringum ab Halvvilla deſignauit. Poſtquam Cæſar diſceſſit Marchio Kiburgienſes, nomine Cæſaris, & Principum Auſtriacorum ſacramento adegit XXIII. Decembris. Natalitijs diebus cum Tigurum deſcendiſſet, petentibus Tigurinis, quia haut dubium bellum Confederati minabantur, Thuringum præfecit. Raperſvillanis pariter volentibus firmum præſidium impoſuit. Sacramentum Thuringo præſtiterunt Tigurini IX. Kalend. Februarij anni quadrageſimi tertij, crucesque, belli teſſeram, rubras adſumſerunt, Auſtriacis frequentari ſolitas, cum eo vſque, vti reliqui Confederati, albas portauiſſent. Factum quoque varij conuentus, interpellantibus maximè Bernenſibus, & Salodorenſibus. Frequentiſſimus apud Heremum fuit kalend. Mai. qui tamen etiam vanus fuit, Tigurinis fœdus Auſtriacum retinere volentibus, & reliquis Confederatis contra pugnantibus, maximè Suitenſibus, qui id contra antiqua, quæ ſecum habebant fœdera conceptum, initumque adſeuerebant, proinde Tigurinorum amicitiam, & neceſſitudinem penitus reſpuebant, niſi Auſtriaco fœderi renunciaſſent, aut poſſe habere, jure euiciſſent. Poſtremo tamquam fœderis, & fidei, iuramentique infractoribus Suitij Tigurinis bellum denunciarunt, & ſimul Gulielmo Marchioni, tamquam ſocio, & Auſtriaco Præfecto, Fe-

A. D. N. CIↃ. CD. XLIII.

ficonem-

ficonemque xv. Kalend. Iunij copias duxerunt. Excitatum inde alternis cladibus funestissimum, & diuturnissimum bellum. Suitij celebrem illum Rapersuillensium pontem sublicium incenderunt; at illi proximum Suitiorum vicum Hurdam. Vtrimq; apud vicum Frienbach congressi paucis post diebus, & multi interfecti, repulsi tamen Rapersvillēses. Secutæ quotidianæ postea prædationes, Vulnera, captiuitates, vt inter vicinos, & infensos. Ab altera parte, comperto Tugiensem agrum ab præsidio Hirtzelij Tigurino peruastari, crebrasq; fieri inde excursiones, Tugium signa Lucernenses, Vranij, & Siluanij tulerunt, dejectoque magno impetu, & multis vtrimque vulneribus Hirtzelienſi præsidio, arma longè, lateq; per ditionem Tigurinam circumtulerunt, & pene totam, paucis diebus subegerunt. Inde domum, quia oppugnando Tiguro, & Rapersvilla necessaria deerant, rediere. Austriaci contra & Tigurini Comitatus Badensem, & Toggenburgensem pene vniuersos populati, ingentem prædam pecorumque, & mortalium fecere. Bremgarte etiam opidum prope insidijs obtinuere. Ea res maximè Confederatos rursum domo extraxit. Copijs inter se diuisis, pars Lauffenburgum Austriacum opidum; ceteri Tigurinos oppugnatum concessere: Et hi quidem primo præsidium Tigurinum in Albi positum profligarūt, monteq; dejecerūt, cuius versus vrbem trepidatio & fuga, ita ciues concussit, exanimauitq;, vt omnes subito portis copias in hostē, quem maxime appropinquare fugitiui memorabant, produxerint, & vltra Sillæ pontem in aciem cōegerint. Comissum subitò prælium, cæsique iterum, & in fugam acti Tigurini, sed longè jam ampliori cæde, & strage, parumq; abfuit quin mœnibus, eodem impetu, exuerentur. De hoc prælio varia deinceps scripsere, quæ neque refutauerim, nec adserere estanimus. Pleraq; in medio relinquo. Interfecti è Tigurinis præcipui nominis Stussius Burgimagister, & archigrammateus Grafius, quibus & belli plerique caussam, & stragis culpam attribuerūt. Etsi verò, hac insigni victoria, Cōfederatis patrandi breuiter belli magna spes inciderat, tamē Tigurū, eo tem-

pore, oppugnare reueriti, vastatis & incensis suburbanis, Rapersvillam copias traduxerunt, & IV. Kalend. Augusti circumsedere, oppugnaueruntque plures per dies omnibus machinis, invicta ad has & intrepida præsidij, & ciuium virtute. Tolerauerat Rudolfus abbas initio belli, & interea, ingentes sumtus, & labores pacificandis partibus. Sed posteaquam Rapersvillam valide, & pertinaciter oppugnari, & posse euerti eximium, & sibi obnoxium maxime opidum intellexit, in castra cum Friderico barone ab Heuue accelerauit, pacemque iterum, aut inducias saltem flagitauit. Pacem Confederati, quia Bernenses in eadem caussa erant, neque aderant, recusauere. Inducias tamen instantius petijt, & interim fore tempus iterum de tota cõtrouersia disputandi, operamque in ea re, si opus sit, etiam Heinrici episcopi Constantiensis, ipse, fraterque eius Fridericus promisere. Cum Suitij, & Glaronenses, ante Rapersvillæ exscidium, conditiones quascumque respuerent, reliquos verò Confederatos, quia maximas iam impensas fecerant, inducias non abhorrere Rudolfus animaduerteret, episcopum, qui eadem de caussa Tigurum aduenerat, subito certiorem reddidit eorum quæ apud Confederatos repererat. Igitur in castra breui & ipse episcopus transuectus, sua auctoritate, & abbatis studio, & sollicitatione, inducias inter partes concluſit IV. Idus Augusti ad IX. vsque Kalend. Mal sequentis. Conditiones paucæ fuerunt, in quibus postrema obligabat partes ad conuentum, quandocumque Badam episcopus indixisset. Hoc modo Rapersvillensis obsidio soluta, & egregium opidum Rudolfi cura, & gratia ab præsentissimo exscidio ereptum. Anno quadragesimo quarto ineunte, Heinricus episcopus diem XXII. Aprilis proximi, quo Badæ conueniant, partibus denunciauit, fuitque conuentus Austriacæ nobilitatis frequentia, Principumq; Imperij, & Ciuitatum, Concilij ad hoc Basilienſis, & omnium Confederatorum legationibus longè celeberrimus: sed nullo tum quoq; profectu, eadem, quæ prius, partium contumacia: Tigurinis fœdus Austriacum retinere volentibus, & de ceteris controuersijs

A. D. N. CIↃ. CD XLIV.

jure li-

jure libero, nullisq; fœderum legibus obstricto, apud quamcumque Imperialem vrbem certare paratis: & reliquis Confederatis Austriacum fœdus omnino antiquandum censentibus, & de reliquo ex fœderum formulâ disceptandum. Arma igitur, quam primum induciarum terminus adfuit, vtrimque resumta, & multo acerbius, atrociusque exercita. Griffensee enim opido, & arce, post aliquot dierum obsidionem, ab Confederatis VI. Kalend. Iunij deditione occupata, Ioannem nobilem à Landenberg qui pacto dediderat, & ne qua uis sibi, aut suis adhiberetur; cum vno & sexaginta præsidiarijs, postero die, capitali supplicio adfecerunt, totumque circumjectum agrum igne vastarunt, arces nonnullas euerterunt. Austriaci contra circiter Nonas Augusti, duce Thoma à Falckenstein, & Ioanne à Rechberg opidum Bernensium Bruck, siue pontem Arulæ insidijs invaserunt, direptumque, & populatum incenderunt, opidanos potissimos in arcem Farnsberg captiuos traxerunt, Grueningam ditionem ferro quoque & flamma exciderunt. Sed Farnsbergam Bernenses, Salodorenses paucis post diebus obsedere. Eo quoque reliqui Confederati ab castris Tigurinis auxilia submiserunt. Ita vndique valide obsessi, oppugnati, & pene ad postrema redacti, nisi Rechbergensis ex arce, tabellionis habitu, per hostium munitiones elapsus, opem ab Delphino, quem ex Gallia Austriaci acciuerant, acceleraſſet. Etis, quo cæpta oppugnatione retraheret, X. kalend. Septembris copias Basileæ admouit, partem versus Farnsbergam misit. Confederati intellecto vtrimque periculo, & jam ad Prata lata hostem promouisse, quanta maximè potuerunt celeritate obuiam incessere, fusisque apud Prata lata hostibus, & vltra amnem Birsam profligatis, in reliquam Delphini aciem, quæ in altera fluuij ripa restiterat, impetum fecerunt, magnaq; facta strage, cum è suis etiam fortissimum quemque amisissent, multitudine tamen hostium vrgerentur, vicina ædificia, & muro cinctos hortos munitioni cæpere. Sed exillis etiam locis sagittis, & tormentis ejecti, extremo conatu, & jam vita abjecta, in con-

fertissimas Delphini phalanges procurrerunt, cæsíque omnes sunt & oppressi, nemine inulto. Desideratis è Delphini exercitu multo pluribus. Audita suorum internecione, & qui apud Farnsbergam remanserant, & qui Tigurum oppugnabant, tanrum non fugientes, vtramque obsidionem deseruete. Multæ postea fuerunt excursiones, & populationes, pugnæ etiam; Et apud Erlibach Tigurini cum Suitijs, & Glaronensibus, qui eo nauibus vecti indemias vastabant, multis interfectis, in nauigia eos iterum repulerunt. Interjecta tum quoque pacis Constantiæ tractamenta, Concilij præcipuè auctoritate, & Heinrici episcopi opera, sed exitu vana, militibus limitaneis interim frequentes pugnas inter se conserentibus, & Tigurinis rerum successu elatis. Sequenti anno cum Tigurum Albertus dux Austriæ venisset, magnamque spem feliciter defungendi belli attulisset, Tigurini varios hinc inde excursus, & populationes fecerũt, Aquensem Comitatum vastarunt, opidum sæpius aggressi sunt, ditionem transalbinam receperunt. Tugiorum fines perstrinxerunt, Vilenses ceciderunt. Parata vtrimque ad lacum multitudine nauium, sæpius quoque aquis certatum. Confederati verò vltra etiam Rhenum progressi multos Comitatus, *S.* Petri vicos populati sunt, paucis data pecunia integris remanentibus. Alij Sanctionem oppugnarunt, Saxum Rhinfeldense expugnarunt, Tigurinos apud Volruuilã profligarunt. Nihil postremo toto anno non hostile exercitum, varia plerumque fortuna, sæpius Confederatis aduersa, maximam partem mixta. Anno quadragesimo sexto ineunte, Tigurini apud Vilam cladem acceperunt, repulsi ab opidanis ab mænibus, & infugam acti. Et Confederati Austriacos Rogatij secordius agitantes ex improuiso oppressérunt, magnamq; cædem eorum ediderunt, plures in fugam pulsos Rhenus hausit. Duo hi fuere huius teterrimi belli cõgressus. Postremo componẽdi eius curam suscepit cum Rudolfo abbate Hugo Montfortius Vedisvillæ Commendator, subitoq; cum partibus supra lacum colloquio, inducias aliquot mensium obtinuit. Summam postremo trãsactionis,

A. D. N. CIↃ. CD. XLV.

A. D. N. CIↃ. CD. XXVI.

& pacis

& pacis generalis suscepit Ludouicus palatinus Rheni. Is cõuentu Constantiensi, præsentibus multorum Principum, & Ciuitatum legatis, pacem confecit feria v. pentecostes. Iuris actio inter Austriacos & Confederatos Vlmam: inter Tigurinos, & eosdem Cõfederatos ad Solium Cæsaris translata. Inde apud Heremum, sequenti anno, fœderis Austriaci abrogatione XIII. Iulij finita. Quinto Idus Ianuarij, anni quadragesimi septimi discessit cum aulico suo Comitatu Basilea pontifex Felix versus Lausannam, ducentibus magna celebritate, & frequentia Basiliensibus primo, mox Salodorensibus & Bernensibus. Septimo kalend. Martij sequentis vita defuncto, & pontificatu Eugenio, qui Romæ aderant, Cardinales Nicolaum v. Pontificem declararunt contra Felicem, qui traducto in partes Cæs. Friderico facile dignitatem obtinuit apud vniuersos. Acti tamen adhuc pro reconciliatione vtriusque pontificis aliquot Conuentus, præsentibus Cæsaris & regum Franciæ, Angliæ, Siciliæ legatis. Rudolfus verò abbas pace deniq; in Heremo inter Tigurinos & Confederatos III. Idus Iulij, vt diximus, magno labore, & eius præcipuè auctoritate, & opera comparata & lætitia ingenti, & congratulatione excepta, laudataque, multis exhaustis curis & animi doloribus inter suorum excidia, & sui Monasterij calamitates, ætate jam graui, & valetudine, in morbum auctumno sequenti, incidit, quæ ipsum exhausit, pridie Idus Septembris. Erat Ioannis Comitis Saxi Mesauciæ domini, & Annæ comitissæ Verdenbergensis filius. Præter Geroldum quem in Monasterio eduxit puerum & post etiam præfuit, habuit alium fratrem Heinricum, qui in Comitatu, & bonis paternis successit. Lectus in eius locum Franciscus I. ex Baronibus ab Hohenrechberg.

A. D. N. CIↃ. CD. XLVII.



FRANCISCVS I. EX BARONIBVS AB HOHENRECHBERG ABBAS HEREMITARVM XXXII. PRINCEPS IMPERII DECIMVS QVINTVS.

PACE, vt diximus, inter Confederatos, & fœdissimi belli damnata memoria, non solum Heremitæ ab imminenti periculo metuque paullo securiores esse cæperunt, sed eorum etiam subditi, quos eadem tempestas omnibus modis afflixerat vexaratque, paullo liberius respirare, & ad res suas attendere, incensa ædificia restituere, in agrorum cultu versari, omniaq; ea tentare & moliri, per quæ ad pristinas opes, & felicitatem redire possent. Multum ad id cohortante, & adjuuante abbate

bate Franciſco egregiæ humanitatis, & bonitatis Principe. Sed poſteaquam Nicolai partes amplecti, tuerique conſtituit Cæſar, ſtatim ad Baſilienſes, anno octauo & quadrageſimo, literas dedit, quibus fidem publicam Concilio abrogarent edixit, & cum moras inter ſe diuiſi, & incerti facerent, Alberto fratri pro rebellibus perſequi iuſſit. Quibus rebus adducti Magiſtratus Cæſari obedientes fuere. Et patres, poſtquam Baſileæ conueniendi locus defuit, Lauſannam Concilium indixerunt, XVII. Kalend. Iulij Seſsione XLV. & poſtrema. Lauſannæ IX. Kalend. Auguſti, primam Seſſionem celebrauere. Anno quadrageſimo nono, cum intelligeret Felix Cæſ. Fridericum pro Nicolao magnopere laborare, & eius auctoritate, & exemplo inclinare eo reges Franciæ, Angliæ, Siciliæ, ſponte pontificatum abdicauit, VII. Idus Aprilis, pacis & Eccleſiaſticæ tranquillitatis amore, ſolitudinemque ſuam Ripalliæ Cardinalis titulo ab Nicolao donatus, & poteſtate legati transalpinis in prouincijs, & epiſcopatibus Lauſannæ, Baſileæ, Argentinæ, Conſtantiæ, Curiæ & Seduni, ibique magna ſanctitudinis opinione paucis annis vixit. Vulgatus tum non abſq; Felicis gloria, & omnium applauſu verſiculus: *Luxfulſit mundo: ceßit Felix Nicolao.* Eadem opera vtrique Concilio Baſilienſi, & Lauſannenſi finis impoſitus, octauo decimo, quàm, cæperant, anno. Nicolaus ab Lauſannenſi confirmatus XIII. Kal. Mai. tertia Seſſione. Habuit mox Fridericus Comitia frequentia Aſchaffenburgi, ibique, edicto publicato, Nicolaum pro vero, & legitimo põtifice agnoſci, & in veneratione eſſe omnibus imperauit. Anno quinquageſimo Iubileum Romæ celebrauit, ſed non ea qua priores pontifices frequentia, & concurſu, ſæuiente pene toto terrarum orbe attroci peſtilentia. Anno LI. Caſparus ex nobili Landenbergerorum familia abbas ſancti Galli fœdus fecit perpetuum, & iurauit in Heremitarum arce Feficone cum Tigurinis, Lucernenſibus, Suitijs & Glaronenſibus non abſque opera, & conciliatione abbatis Franciſci, illudque renouandum, & conſeruandum omnibus poſteris iniunxit. Eoſdem protectores, & aduo-

A.D.N. CIↃ. CD, XLVIIX.

A. D. N. CIↃ. CD. XL IX,

A. D. N. CIↃ. CD. L.

A.D. N. CIↃ. CD. LI.

catos S.

catos S. Gallenſis Monaſterij perpetuos adſumſit. Literis huius rei factis, datisque eadem in arce Feſicone feria III. poſt Adſumtionem DEIPARÆ. Cæſar Fridericus hunc eumdem annum in expeditionis Italicæ apparatu conſumpſit. Id vbi Franciſco compertum: & ducem Albertum qui ſuperiores Auſtriacas prouincias adminiſtrabat, haut dubiè fratrem comitaturum, ab eo obtinuit, vt ſuæ apud Nicolaum pontificem legationis, & petitionis fautor, & interceſſor eſſe vellet, haut grauatim, præcipua ducis facilitate, & in Principem noſtrum amore. Anno ſecundo, & quinquageſimo ingrediente, maximo Principum Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ comitatu, verſus Ialiam Villaco Carinthiæ ex opido Cæſar cum adoleſcente Ladiſlao Hungariæ, & Bohemiæ rege, tetendit. Frater Albertus cum Sueua, & Rhenana nobilitate, & vtriuſque prouinciæ Ciuitatum legationibus, per Atheſinos in Italiam deſcendit. Romam VII. Idus Martij, omnibus coniunctis copijs, intrauere. Peracta mox, XVI. Kalend. Aprilis coronatione, memor Albertus promiſſi Franciſco abbati facti, ſollicitantibus quoque, quos ipſe addiderat, legatis, apud Nicolaum pontificem Heremitarum poſtulata oſtendere, & vrgere precibus cæpit. Miram ſubitò aduerſus noſtros demonſtrauit Nicolaus benevolentiam, & propenſionem. Igitur primum x. kalend. Aprilis nonnullas indulgentias conceſſit, certis eius feſtiuitatibus DEIPARÆ Sacellum viſitantibus. Poſtea VII. kalend. Mai, id quod maximè Albertus, & legati Franciſci quærebant, *eiusdem*, vt ait, *ducis Alberti, & Heremitarum precibus inclinatus*, abbatem, Monaſterium, & omnes eius ſubditos, & annexos in annos quindecim proximè ſequentes, ab omni juriſdictione, Dominio, poteſtate, Correctione, Subiectione, & ſuperioritate epiſcopi Conſtantienſis, & quorumlibet aliorum iudicum ordinariorum, & ſuperiorum quorumcumque exemit, eadem omnia ſolis Romanis pontificibus, & eorum Delegatis ſubjecit. Liberos eoſdem & immunes pronunciauit à quibuscumque impoſitionibus, ſolutionibus, & præſtationibus Deci-

A. D. N. CIↃ. CD. LII.

mæ; quin-

mæ, quintædecimæ, ac Datiarum, Gabellarum, Collectarum, nec non charitatiuarum, & aliorum quorumcumque subsidiorum, & onerum, quauis occasione, vel caussa impositorum, vel in posterum imponendorum: Abbatem, Monasterium, subditos, & annexos in suam, & Apostolicæ Sedis protectionem suscepit, sibi & dictæ Sedi immediatè subesse voluit, & decreuit. Vtraque Bulla data Romæ apud Sanctum Petrum anno, & diebus supra memoratis. Pontificatus anno VI. Nonnullas alias Bullas in fauorem Francisci & Monasterij Heremitici Nicolaus edidit, in quarum vna Eugenij quarti Bullam decennalem, in alios annos quindecim proximè sequentes prorogauit, & valere iussit. Neque deinde longa Francisci abbatis vita fuit. Decimo quinto kalend. Augusti sequentis esse desijt. Successore Geroldo Saxensi, S. Geroldi tum Præposito. Rudolfi III. fratre germano.



GEROLDVS I. EX COMITIBVS SAXI ME-

SAVCIAE DOMINIS ABBAS HEREMITARVM XXXIII. PRINCEPS IMPERII DECIMVS SEXTVS.

SED vbi Bulla ea, quam de Indulgentijs Sacellum DEIPARÆ Heremitanæ visitantibus ab Nicolao pontif. impetrarat abbas Franciscus, reddita Heinrico Constantiensi Episcopo, continuo eamdem publicatis in ciuitate, et tota Dioecesi literis, recipi, et obseruari præcepit statutis et mandatis ordinarijs, et alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, XVII. kalend. Decembris. Annus tertius, et quinquagesimus longe memorabilis, atque lamentabilis fuit Imperij

A. D. N. CIↃ. CD. LIII.

Orienta-

Occidentalis excidio. Mahemetes enim II. Turcarum princeps Constantinopolin per dies L. assiduè conquassatam expugnauit IV. Kal. Iunias, vltra quadraginta hominum millia crudelibus modis interemit, in quibus Constantinus Palæologus vltimus Græcorum Imperator, alterum aquilæ caput amputauit, fœda principum Christianorum ignominia. Clades ea Ecclesiæ accepta Nicolaum optimum pontificem adeò adfecit, vt plerique ea ex ægritudine contabuisse prodiderint. Nihil tamen non mouit, vt contra barbari insolentiam, & superbiam Christianos coniungeret. Missis in omnes pene partes literis, & concionatoribus, qui populos ad arma sumenda, & crucem salutiferam induendam cohortarentur. In quibus insignis fuit Ioannes Capistranus ordinis sancti Francisci monachus. Is anno sequenti in Germaniam profectus efficaces, multis locis, conciones habuit, quibus non modo arma aduersus barbaros excitauit, sed multa quoque in moribus emendauit. Aleæ, chartæ lusoriæ passim in ignes publicos coniectæ, vestium luxus compositus. Anno quinquagesimo quinto, defuncto Nicolao successit Callixtus III. Et is eius vestigia secutus multo vehementius omnes Christiani orbis principes contra Turcas sollicitauit; parum efficaciter, plerisque suis rebus intentis, & abcommunitatis bono alienis, aut parum curiosis, quasi, vniuersitate pessumdata, ipsi consistere possent. Eodem anno contulit Geroldus Eberhardo nobili à Rosvvill Maioratum Aeschentij, precibus Heinrici à Rockvvill, qui Rosvvillano filiam collocarat, & ei doti promiserat Maioratum. Sed Mahemetes, expugnata Constantinopoli, & Græcis subactis, omnia sibi prona, & peruia ratus, cum iam Italiam, & vrbium dominam Romam spe, & ambitione deuorasset, in Pannoniam exercitum numerosissimum duxit, anno quinquagesimo sexto, & Albam Græcam, quam & Belgradum vocant, quæ prima se obtulerat, magnis molibus oppugnauit. Sed eruptione facta Ioannes Huniades, adhortante qui aderat Capistrano, non modo hostium vesaniam repressit, fuditque oppugnantes, & fugauit, sed in posterum

A. D. N. CIↃ. CD. LIV.

A. D. N. CIↃ. CD. LV.

A. D. N. CIↃ. CD. LVI.

sterum aliquamdiu continuit. Victoriam longè celeberrimam plerique precibus, & sanctitudini Capistrani retulere acceptam. Anno quinquagesimo septimo frequentes fuere Rapersvillæ inter opidanos dissensiones, diuisa per factiones communitate, alijs in veteri, & Austriaco dominio remanere volentibus; alijs ad Confederatos inclinantibus. Sed anno sequēti ex Constantiensi tumultu, magis quam bello, ob leues iniurias, & ignominiosa Cōstantiensium verba, ab Confederatis illato, cum ex agro Constantiensi Vranij, Suitij, Siluanij, & Glaronenses intra mœnia, specie transitus, admissi essent, facilè Austriacos repressere, & opidum in fidem acceptum suæ clientelæ fecerunt, saluis omnibus eorum priuilegijs, & relicto Reipubl. statu antiquo, indignantibus ad eam iniuriam Principibus Austriæ factam etiam Tigurinis & plerisque alijs Confederatis. Eodem anno, Callixto suffectus Kal. Septemb. Pius II. Is continuo Concilium Mantuam contra Turcarum tyrannidem, & irruptiones indixit. Anno quinquagesimo nono priuauit Pius ducem Austriæ Sigismundum communione piorum, quia Cardinalem Cusanum Brixiæ episcopum iura sui Episcopatus acrius tuentem, & abusus multos tollere conatum, quorundam Ecclesiasticorum studio, & calumnijs in custodiam coniecerat. Mox Confederatos, vt fama fuit, ad bellum inferendum Duci, tamquam rebelli Ecclesiæ, cohortatus est. Illi occasionem amplexi frustra Vitodurum oppugnarunt. Eodem tempore quæ fuerat inter abbatem Monasterij sancti Galli Vlricum, & Abbatiscellanos de finibus controuersia, Confederatorum opera, & Geroldi auctoritate determinata apud Heremum. Sub finem anni condidit Pontifex cum Mantuæ exsequendo Concilio attenderet Basileæ Academiam, priuilegijsque ijsdem, quibus Bononienses vtuntur, exornauit, duabus Bullis quarum prima edita tertia Idus Nouembris: Altera pridie kalend. Ianuarij. Vtraque Mantuæ anno sequēti Quo anno iterum Vitodurum Confederati tentarunt; sed frustra tum quoq; fuerūt, magna Turgouiæ nobilitate possessum. Ludouicus Palatinus Conuētu

A. D. N. CIↃ. CD. LVII.

A. D. N. CIↃ. CD. LVIII.

A. D. N. CIↃ. CD. LIX.

A. D. N. CIↃ. CD. LX.

Constan-

Constantiæ facto, iterum pacem inter eos, & ducem Sigismundum fecit, & inducias annorum quindecim, feria II. post Trinitatis. Gesserat Pius Pontifex cum adhuc in priuatis rebus esset, beneuolum, & propensum erga Heluetios animum, vbi verò pontificatum adeptus est eumdem affectum pluribus modis declarauit. Sed præcipuè aduersus Heremitas optimi, & beneuolentissimi patris officio defunctus est. Petentibus non modo Eugenij IV. & Nicolai V. bullas confirmauit, sed quod constituerant ipsi certorum annorum spatium, perpetuum esse voluit, data abbatibus, & omnibus illis, quos ipsi constituerint, potestate, liberè, & licitè absoluendi quoscumque, qui ad Sacellum DEIPARÆ accesserint, ab omnibus peccatis, criminibus, & excessibus quæ confitebuntur, præterquam Sedi Apostolicæ casibus reseruatis, nec non eis pœnitentiam salutarem iniungendi, ac Eucharistiæ, ac alia Sacramenta Ecclesiastica ministrandi, & si in eiusdem casibus non reseruatis pœnitentia publica foret injungenda, illam in aliam pœnitentiam salutarem commutandi, alicuius licentia superioris minimè requisita. Literas huius rei dedit Romæ perpetuis futuris temporibus duraturas Kalend. Febr. Anno sexagesimo tertio. Paucis postmensibus quarto scilicet Nonas Iunij eiusdem anni, quia ostenderat Geroldus ab primo nostri Monasterij exordio valuisse consuetudinem, vt nisi è nobilibus, & illustribus familijs in id non admitterentur, bullam aliam scripsit conseruandæ Monasterij antiquæ hactenus & receptæ claritudini, qua, auctoritate Apostolica, decreuit, vt nullum in monachum eiusdem Monasterij contra prædictam consuetudinem recipere nostri teneantur, nec ad id invitos compelli posse. Eodem anno fecit Pius cum Venetis, & duce Burgundiæ fœdus, Turcis bellum indixit, exercitus Christiani se ductorem nominauit, omnium Christi fidelium opem imploravit, religiosis etiam bellandi potestatem fecit. Eisdem diebus, mortuo Heinrico successit in Episcopatu Constantiensi Burcardus à Randeck, qui præfuit annos III. Sed Geroldum etsi suum monasterium supradictis, & tot

A.D.N. CIↃ. CD, LXIII.

alijs priuilegijs, bullis, & decretis pontificum, amplisque, & raris Indulgentijs magnopere auctum, & illustratum animaduertebat, duo tamen maxime angebant, vexabantque. Quod eædem Indulgentiæ, nisi episcopi Constantiensis, tamquam Ordinarij, approbatione, & auctoritate publicari non poterant: Et quod Leonis VIII. pontif. à pœna, & culpa bulla ab posteris pontificibus minus clarè sibi videbatur confirmata: simul aliquam etiam ab illis fieri mentionem Angelicæ Dedicationis cupiebat, tot iam seculis creditæ, & tot miraculis comprobatæ. Igitur ad Pium, quatenus jam adeò propensum cognouerat, ipsemet proficisci constituit, adsumtoque centum equitum ampliſſimo comitatu, & relicto in Heremo vicario Richardo è baronibus à Falckenstein, in viam se dedit, anno sexagesimo quarto ineunte. In agrum Senensem cum peruenisset, Petreoli Pontificem qui ad classem contra Turcam proficiscebatur, offendit. Ibi non modo quam antè dederat Pius de peccatorum omnium remissione, & absolutione, exceptis casibus Pontificiæ Sedi reseruatis, bullam perpetuam confirmauit, sed multo latius Angelicæ dedicationis solennitatem ampliauit, & extendit, paucis admodum casibus, quos ipse illic commemorat, Pontifici receptis, Leonis VIII. & omnium anteceſſorum suorum pontificum indulgentias, decreta, bullas, sicuti antea, iterum confirmauit, & in perpetuum valere iussit, *Petreoli quarto Idus Aprilis*, eodem anno. Eodem loco, & die bullam aliam dedit, qua constituit, vt Geroldus, & eius posteri literas Apostolicas omnes, quas impetrauerunt ab summis pontificibus, aut impetrabunt, absque episcopi Constantiensis, tamquam Ordinarij, & eius officialium licentia, vel consensu publicare, & liberè exsequi possit, abrogata hac in parte Ordinarij potestate, & consuetudine, quæ invaluerat, reuidendi apostolicas bullas, antiquata, Episcopis etiam Basilienſi, & Curienſi, Præpositoque Tigurino idem Pius Pontifex mandauit, ne quam Geroldo, & eius successoribus occasione prædictæ abrogationis molestiam

A. D. N. CIↃ. CD. LXIV.

inferri

inferri permittant, contradictores, auctoritate Apostolica, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus priuilegijs, & indultis, seu literis Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscumque. Addidit bullas alias, vnam contra possidentes bona Monasterij iniuste: Aliam qua omnia Monasterij iura, bona, prædia, possessiones, priuilegia, immunitates, indulgentias, libertates quoque secularium exactionum, eidem à regibus, Principibus, alijs Christi fidelibus concessas confirmauit. Suscepit, eadem Bulla, Monasterium cum omnibus suis subditis, & annexis, & bonis in protectionem D. Petri, & Apostolicæ Sedis perpetuam. Quod verò ait pontifex, nonnullis in bullis, conuersus ad Geroldum, *Nos tuis supplicationibus inclinati tibi, qui, vt asseris, de Comitum, & Baronum genere procreatus existis*, haut ex vano adseruit Geroldus. Saxensium enim inter barones Rhætos antiquissima, & clarissima memoria. Tenuerunt verò vltra Dominium Saxi, & Altisaxi vallem Mesauciæ, vnde & se Barones Saxi, & Mesauciæ dominos titulis dixerunt. Inter Comites retulit Sigismundus Imperator occasione Comitatus Bilitionis, quem *Saxenses* Philippo Mediolanensium duci armis eripuerant, & postea Vranienſibus, & Suitijs, cum retinendi spes difficilis esset, vendiderunt, cuius nihilominus titulum pauci postea conseruarunt. Matrem verò habebat Geroldus ex antiquissima, & nobilissima Comitum Verdenbergæ familia procreatam. Ceterum Pius pontif. Petreolo Anconam delatus, cum federatorum auxilia aliquamdiu exspectasset, & subinde febris anxium, & expeditioni intentum inuasisset, visis demum è specula Venetorum, Pisanorumque triremibus, lætus, & exultans, veluti voti compotitus, vita excessit x. Kalend. Septembris eiusdem anni. *Succes*sit Paullus II. annos VI. menses X. At verò Geroldum in Heremo reducem, ingenti omnes lætitia, & congratulatione, campo Monasterio adiuncto, & patenti recepere, vbi postea memoriæ causſa Sacellum S. Crucis posuit, & dedicauit. Sed hæc communis lætitia paullo post in

A. D. N. CIↃ. CD. LXV.

maximam mæstitiam mutauit, absumto Monasterio, per fortuitum incendium, sequenti anno, Dominica Quasimodo, & quidquid in eo ligneum fuit, super supellectilem sacrã, profanam, auream, argenteam, librariam, adeoque, præter muros, in infelices cineres omnibus redactis, & collapsis. Ea clades ad maximam egestatem Monasterium adegit, & inde conflatum ingens æs alienum, quando jam, superiori anno, Italica profectione, sumtus haut tenues Geroldus tolerarat, tanto comitatu, & tam longinquo itinere. Accessit his in supplementum malorum inter Geroldum, & Suitenses dissidium, Suitensibus, advocationis, vt volebant, iure, quid in ærario pecuniæ supereſſet, cognoscere postulantibus, & repugnante Geroldo, nihilque ad aduocationem id attinere perseuerante, & quamcumq; sibi vindicant aduocationem ab Sigismundo ab initio per fraudem acceptam. Coactus tamen importunis eorum diuexationibus Monasterio cedere, in palatium Tigurinum familiam transtulit, & de iure cum ipsis certare constituit, adscitis ad iudicium reliquis Confederatis. Conuentus nonnulli eam ob rem Tiguri facti. Sed & Paullus pontifex causſam Geroldi susceperit, intellectaque expulsionis occasione, eum per Archiepiscopum Maguntinum, & Episcopos Argentinensem, & Basilienſem restitui bulla Apostolica mandauit. Et postremo in Heremum reductus Geroldus. Sed cum tum quoque parum sibi æquos Suitios experiretur, manerequè odium, lite sopita, ad eam, quam prius gesserat, S. Geroldi præposituram redire decreuit, constituto Vicario Cunrado ex Baronibus ab Hohenrechberg, Franciſci quõdam abbatis ex fratre nepote. Cunrado, vbi Monasterij curam susceperit, præcipuum reædificandi studium fuit, templi inprimis, & sacratissimi Sacelli. Etsi enim per tantum incendium Sacellum DEIPARÆ detrimentum nullum acceperat, non absque magno miraculo, quatenus ligno cooperiebatur, & interiora ex eadem materia erant laquearia, tamen in futurum prouidere Sacelli incolumitati, & conseruationi voluit. Accepta igitur ab Burcardo Episcopo licentia, lignea laquearia dejecit, & formicem im-

cem impoſuit lapideum, quoque validius contra quamcumque vim conſiſteret, pilas quadrato è lapide circumpoſuit, anno Sexageſimo ſexto, vſus præcipuè liberalitate Rudolfi à Camo Burgimagiſtri Tigurini, Heinrici ab Hunvilla prætoris Lucernenſis, Itelij Reding officialis, & Iodoci Stadler conſiliarij Suitenſis. His peractis, ad reliqua reficienda animum adiecit, ingentique labore, & induſtria, paucis annis Monaſterium in antiquam claritudinem reſtituit. Sed ad reſtitutionem Monaſterii breuiorem, & faciliorem, maximum adiumentum, & emolumētum attulit, eodem anno Sexageſimo ſexto, ſolito Septembri, Angelica Dedicatio, publicatisque, & longè, & latè fama diſperſis, Pij II. bullis, & ab pæna, & culpa Sacellum Virgineum viſitantibus, & confeſſis, promiſſa remiſsione. Confederati ſanè Tigurum, Berna, Lucerna, Vrania, Suitia, Siluania, Tugium, Glarona, quo clariorem, & frequentiorem redderent, conuentu Tiguri facto, feria III. ante D. Georgij literas ediderāt, quibus publicam fidem, itum, & abitum tutum, & ſecurum omnibus, cuiuſcumq generis, & conditionis, ad Heremum tendentibus, & huius tanti beneficij participes eſſe cupientibus, ante Dedicationem, per eam, & poſt eam, concedebant, & pollicebantur ſuas per ditiones, quas Rheno, & lacu Conſtantienſi circumſcripſerunt. Eo modo, & per Heluetiam, quam maximè exteri reformidabant, vt turbidam, & advenis infeſtam, itinerum ſecuritate promiſſa, ingens omninò ad Dedicationis ſollennitatem concurſus fuit, multa donaria, & ad fabricam perficiendam ſubſidia oblata. Eodem anno obijt Burcardus epiſcopus. Suffectus Hermannus III. ex nobilibus ab Landenberg. Anno ſexageſimo ſeptimo, multas iniurias fecit Schafhauſianis Peregrinus nobilis ab Heudorff Sigiſmundi ducis miniſter, & conſiliarius. Ea cauſſa fuit Confederatis obſidendi, ſequenti anno, VValdeshutti ducis opidi. Pacem inter partes idem qui ſæpius antea Comes Palatinus reconciliauit, adiutantibus epiſcopis Baſilienſi, & Conſtantienſi. Eodem anno, vendidit Geroldo abbati Heinricus ab Boſvvil mediam partem parochiæ

A.D. N. CIↃ. CD. LXVI.

A. D. N. CIↃ. CD. LXVII.

A.D.N. CIↃ. CD. LXVIII.

Aeschentij, quam ab principibus Austriæ pignori acceptam, hucusque rexerat, cum omnibus ad eam pertinentibus. Reseruabat sibi Heinricus arces Freudenfels, & VVildhause. Anno sexagesimo nono, emit Vlricus abbas S. Galli Comitatum Toggenburgensem cum omnibus ad ipsum pertinentibus, simulque arces, & dominia Lutisburgi, & Vvildenhause; huius nomine, quia nostri Monasterij beneficium est, ab Geroldo consensum petijt, & accepit. Reciperea nostris Principibus tamquam beneficium nũc etiam S. Gallenses soliti. Vendiderunt vero barones Raronenses, saluis Toggenburgensium priuilegijs, & cum Suitijs, & Glaronensibus federibus. Fridericus Imper. Romam profectus auxilium contra Turcam inter cetera ab pontifice implorauit. Sed præter literas, quibus principes Germaniæ, ne Imperatori deessent, hortabatur, nihil obtinuit. Eodem anno vniuit, & coniunxit Hermannus episcopus, & eius Capitulum Ecclesiam Burgi Aeschentij Monasterio Heremitano, licentiamque fecit perpetuum in ea Vicarium constituendi, nonnullis sibi conditionibus receptis. Ius etiam patronatus eiusdem Ecclesiæ ab duce Sigismundo, anno superiori, Monasterio dono datum pariter episcopus confirmauit. Anno septuagesimo, Paullo II. successit Sixtus IV. Anno septuagesimo primo Fridericus Norimbergæ comitia frequentia celebrauit, eoque Heluetios vocauit. Legatos, cum petenti contra Turcas ab ijs auxilium, eius se nullam habere potestatem respondissent, infirmatis Regalibus, prope cum ignominia domum remisit. Anno septuagesimo secundo Cometes illustris, ineunte Ianuario, adfulsit, vespere caudam versus Orientem, mane in Occidentem vergebat, maximo per totam noctem fulgore. Eodem anno Hermanno Constant. episcopo successit Otho ex Comitibus à Sonnenberg contra Ludouicum ex nobilibus à Friberg qui in schismate demum Romæ obijt. Annus septuagesimus tertius maturus, & siccus. Mense Februario floribus passim comptæ arbores: Exeunte Iunio vuæ concoctæ, & ante D. Ioannis messis confecta, non ea

A. D. N. CIↃ. CD. LXIX.

A. D. N. CIↃ. CD. LXX.

A. D. N. CIↃ. CD. LXXI.

A. D. N. CIↃ. CD. LXXII.

A. D. N. CIↃ. CD. LXXIII.

quidem

quidem per siccitatem opulenta, at sufficiens. Cæterum tantus passim æstus, vt non nullis locis siluæ sponte exarserint. Mense Octobri, iterum efflorverunt arbores; cerasa ad festum D. Martini esui idonea, ceteri fœtus ad maturitatem pervenire non potuerunt. Fridericus Imperator cum Maximiliano filio Basileam venit, initio Septembris: inde Treuirim abijt, nuptias MARIÆ Caroli Burgundiæ ducis filiæ Maximiliano conciliaturus. Cùm verò Carolus Burgundiæ Rex coronari, Romanique Imperij Vicarius nominari expetijsset, Fridericus eius potentiam reueritus, siue petitionem iniquam ratus, re inopinata, secundo flumine versus Coloniam discessit. Carolus exspectatione, & voto elusus in Alsatiam, & Comitatum Ferretanum, quas prouincias cum Rheni vicinis opidis ab Sigismundo duce pignori acceperat, transijt. Heluetij, & aliquot Imperij Ciuitates de fœdere contra Carolum feriendo, si aliquid moliretur, aut vim tentaret, Basileæ consultarunt, festo Luciæ. Anno septuagesimo quarto, quia Petrus ab Hagenbach, quem Alsatiæ, & Sequanis præfecerat Burgundus, insolentius, & superbius, quam ferre possent, se gerebat, adeoque tyrannidem in sibi subiectos, in vicinos, & alienos habebat, conuentum contra eius violentiam fecerunt Basileæ, dux Sigismundus, *M*archio Badensis, Comes Palatinus, Episcopi Basilienſis, & Argentinensis, Heluetij Confederati, & aliæ Alsatiæ, & Rheni vrbes imperiales circiter XIV. Kalend. Februarij. Dein Constantiæ VIII. Kalend. Aprilis. Ibi primum hereditarium fœdus cum domo Austriaca, & Heluetijs Confederatis sancitum. Ludouicus rex Franciæ quoq; ibidem primus omnium Galliæ regum fœdus cum ijsdē Heluetijs fecit. Bellum Burgundo decretum postremo feria III. ante Simonis & Iudæ, & Aricurtum, vnde frequentiores erant eruptiones, & excursiones obsessum, expugnatumque, profligato, cæsoque, qui auxilium obsessis ferebat, Comite Blaumontano. Anno septuagesimo quinto, Confederati Basileæ conuentum habuerunt de perse-

A. D. N. CIↃ. CD. LXXIV.

A. D. N. CIↃ. CD. LXXV.

quendo

quendo Burgundico bello, quia Imperator eorum subitam cessationem post Aricurti deditionem, improbabat. Ipse noua auxilia contra Burgundum ab Imperij statibus implorauit. Nonnulli misêre. Heluetij in Comitatum Burgundiæ profecti Pontem Arlim cæperunt, aliaque opida Cisiurana, quæ *B*urgundorum procerum erant, Granſonium, Vrbam; & mox, quæ ad Duces Sabaudiæ pertinebant, Lauſannam, Rollum, Neuidunum, & quidquid *G*eneuam vſque fuit, quia commeatum, & militem hoſtibus Sabaudi præbebant. Carolus interea pace cum Friderico Imper. apud Nuſsium facta, in Lotharingiam duxit, breuique pene totam ſubegit. Anno ſequenti, cum ex Burgundiæ Comitatu in Heluetiam deſcendiſſet, Granſonium primum eius opidum obſedit. Sed inde profligatus maximam rerum ſuarum, ſed & famæ detrimentum accepit. Reſtauratis viribus cum Moratum copias deduxiſſet inde quoque ab ijſdem Confederatis Auſtriacis, Heluetijs, Rhenanis, repulſus eſt, ſed multo maiori facta cæde. His duabus victorijs Heluetia, Alſatia, Sequani contra Burgundi impetum, & minas, odiumque recepti, & ſtabiliti. Cum ſic quoque animum Carolus reſumſiſſet, media hieme, in Lotharingiam redijt, quam dux Renatus Confederatorum auxilio, poſt ſuperiores pugnas, receperat, & Nancium omnibus copijs circumſedit, vbi tertio prælio victus, & interfectus Burgundico bello finem impoſuit, anno ſeptuageſimo ſeptimo ineunte. Anno ſeptuageſimo octauo fecit Sixtus IV. fœdus cum Heluetiis aliquot annorum, nonnulla honoris inſignia miſit. Idem fruſtra Maximilianus archidux per Archiepiſcopum Maguntinum expetiuit. Bella præterita ſecuta peſtilentia atrociſsima, quaſi eo flagello quidquid ſuperfuerat, deperdendum eſſet. In Heluetia vix tertia pars incolumis remanſit. Anno nono & ſeptuageſimo, multi fuere Tiguri conuentus, variis de cauſſis, Principum, & Confederatorum. Anno octogeſimo primum omnium in Galliam regi militatum profecti Heluetij, menſe Februario. Sequenti æſtate, terribilis aquarum illuuies pleroſque vndique flu-

A. D. N. CIↃ. CD. LXXVI.

A. D. N. CIↃ. CD. LXXVII.

A. D. N. CIↃ. CD. LXXVIII.

A. D. N. CIↃ. CD LXXIX.

A. D. N. CIↃ. CD. LXXX.

minum

minum pontes euertit, & abripuit: Anno octogesimo primo controuersiam inter Confederatos Heluetios propter diuisionem prædæ Burgundicæ exortam beatus Nicolaus heremita Siluanensis composuit. Friburgum, & Salodorum in fœderis societatem à ceteris recepti, eiusdem heremitæ suasu, & auctoritate. Eodem anno Dominica ante D. Galli obijt abbas Geroldus, sepultusque est apud sanctum Geroldum cuius Præposituram hactenus administrauerat, curatore apud Heremum, vt diximus, relicto Cunrado. Post eius mortem suscepit abbatiam, & principatum Heremitarum, auctoritate maxime Vlrici sancti Galli abbatis, idem, qui prius curauerat, Conradus ex Baronibus ab Hohenrechberg.

A. D. N. CIↃ. CD. LXXXI.

CVNRA-



CONRADVS III. EX BARONIBVS AB HOHEN-RECHBERG ABBAS HEREMITARVM XXXIV. PRINCEPS IMPERII XVII.

A. D. N. CIↃ.CD. LXXXII.

ANNO octogesimo secundo grassabatur adhuc passim pestilentia. Et Tiguri absumtus flammis est ob hæresim cum famulo Richardus ab Hohenburg, aut Hochburg Argentinēsis. Vnde inter vrbem vtramque bellum pene exortum, nisi suam Confederati auctoritatem interposuissent. Anno octogesimo tertio pax tandem facta inter Ludouicum Galliæ regem, & Maximilianū archiducem. Possidebamus hoc adhuc tempore mediam decumarum Riegolis in Brisgouia, Nam cete-

A. D. N. CIↃ.CD. LXXXIII.

ros domi-

ras dominia, iura, prædia, & possessiones, quæ nobis, vt patet, ex superioribus Ottonum præcipue donationibus, amplissima fuerant tota Brisgouia, adeoque magnam eius provinciæ partem comprehendebant, aliquot iam ante seculis primo Duces Zeringiæ, deinde Barones ab Vssenberg ad se ferme traxerant, veluti Chenzingam, Venelingam, Endingam, Lielam, Rotvvillam, alia, violentia, & fraude ne, an nostrorum voluntate, & beneficio haut dum satis compertum habeo. Vbi Barones ijdem defecerunt, occupauere eadem prope omnia Marchiones Hochbergenses: deniq; maiorē partem cōtra eos Austriæ principes partim iudicio, & jure euicerunt, partim Baronum vltimorum testamento. Sed hoc quoque crediderim haut pauca loca ab nostris Antistitibus per temporum necessitates oppignerata, in plurium, & diuersorum potestatem peruenisse, quo difficilior postea redemtio fuit. Alia etiam Ludouicus maxime abbas à Thierstein, vt ambitioni suæ satisfaceret, varijs dono dedit. Sed hoc ad huc tempore, vt diximus, mediam decumarū Riegolis partem possidebamus, eam mediam partem vendidit hoc eodem anno octogesimo tertio Cunradus abbas cum suorum consensu abbati Ettenheimiano Hessoni ab Thiersberg, potestatemque illi fecit redimendi Riegolis vici, qui nostri Dominij erat, sed pignore ab alijs tenebatur, & cetera ad eum pertinentia; sola sibi, & suis Cunradus reseruauit Patronatus Ecclesiarum jura, collationes sacerdotiorum, & capellarum eorundem locorum, & reliqua eo spectantia. Acta hæc eo, quo supra, anno, feria 11. post Dominicam Misericordiæ Domini. Atq; ita quidquid ferme in Brisgouia nobis superfuit, ad alios peruenit, nobisque præter locorum nomina nihil remansit. Nam eodem hoc anno, paucis post mensibus etiam dono dedit Cunradus abbas Hessoni eidem Ettinheimiano antistiti, Ecclesias, & præbendas Chentzingæ, Tanningæ, Endingæ, Schælingæ, & Riegolis, item Capellanias vnam Endingæ, & Riegoli duas cum jure patronatus, & omnibus ad eas pertinentibus. Pro quibus tantis beneficijs promiserunt idem Hesso, & eius Conuentus se sin-

gulis annis, vt minimum semel, feria III. post Festum Bonifacij, pro salute animarum donatorum, & etiam eorum, qui à principio easdem Ecclesias & beneficia Heremitis dederũt, duo sacra facturos, alterum pro fidelibus defunctis, alterum in honorem DEIPARÆ Matris, cuius rei testes esse suas literas voluerunt, datas Etenheim munster XX. Iulij, Supra memorato anno. Receperunt etiam Heremitas in fraternitatẽ, & communionem omnium orationum, missarum, bonorũ operum, promiseruntque pro defunctis fratribus singulis, si reddantur ea de re certiores, se missas, Vigilias, aliasque preces habituros. Anno sequenti tanta vini copia, vt plerique locis tantum vini quantum vasa vacua quæ petebantur capiebant, pro vasis largirentur. Multi præconis voce vinum in Eleemosynam cuilibet petenti promiserint, dederintque, maximè Tiguri. Eodem anno Sixto IV. successit Innocentius VIII. annos VIII. Anno octogesimo quinto Solis eclipsis notabilis fuit, cooperto sideris toto corpore, & tenebris per diem nocturnis densioribus, horæ quartam partem, plerisque ad rem vulgo inopinatam maximè attonitis, & confusis. IV. Idus Martij Anno octogesimo sexto, Maximilianus Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, & Brabantiæ Francofurti regijs comitijs Cæsar est declaratus, XV. kal. Martij, coronatus Aquisgrani IV. Idus Aprilis. Fridericus pater, eodem tempore, toto Imperio, pacem decennalem promulgari curauit. Anno octogesimo septimo petitum ab Maximiliano Cæsare fœdus Tigurini, Bernenses, Tugij, Saladorenses recepere, & ab eo regalium suorum confirmationem. Paullo post ab Brugẽsibus captus Patris Friderici opem implorauit, qui, conuentu Norimbergæ principum facto, promisit, &, anno sequenti magnis toto imperio factis copijs, tulit. Eodem anno Sueuici fœderis initium, in quod plerique *G*ermaniæ principes, nobiles, vrbes iniere, auctoribus Friderico Imper. & Cæs. *M*aximiliano. Durauit annos XLII. Obijt ipso quoq; anno postridie D. *B*enedicti patroni nostri Nicolaus à Rupe, quondam officialis Siluanensis, qui cum se in solitudinem recepisset, & in ea annos viginti,

A. D. N. CIↃ. CD. LXXXIV.

A. D. N. CIↃ. CD. LXXXV.

A. D. N. CIↃ. CD. LXXXVI.

A. D. N. CIↃ. CD. LXXXVII.

A. D. N. CD. CIↃ. LXXXIIX

haut

haut procul à Saxula Sarnensium vico, nullo humano cibo vixisset, sola sacratissima Eucharistia, quinto decimo die susceptа, miraculis, & prophetiæ dono clarus patriam, & vniuersam Heluetiam maximè illustrauit. Anno Octogesimo nono, renouauit Carolus rex Galliæ fœdus cum Heluetijs paternum, duabusq; eorum legionibus accitis, & virtute Gallici equitatus Britaniæ ducem apud S. Obinum, magno prælio, superauit, eiusdem ducis filiam Maximiliano Cæs. post Mariæ mortē, sponsam rapuit, & matrimonio sibi copulauit; Margaritam eiusdē Maximiliani filiam, quā dudum duxerat impuberem, repudiauit. Eodem anno, Ioānes Vvaldman Burgimagister multis criminibus contra Remp. & priuatos admissis, postulatus, Tiguri publico iudicio capitali supplicio adfectus est VIII. Idus Aprilis, deinde aliquot senatores, multo vrbis, & totius ditionis concursu, tumultu, & partium factione. Anno nonagesimo, monitu abbatis S. Galli, Tigurini, Lucernenses, Suitij, & Glaronenses opidum S. Galli obsederunt, quod adsumtis Abbatiscellanis, nouum ab abbate exstructum Rorschaci monasterium euerterant, contra fas, & obsequium. Secundo obsidionis die, deditionem fecere, veniam, & pacem precati. Illa statim concessa, huius conditiones apud Heremum dictæ, in eunte Februario, & magna omnes pecunia multati: Abbatiscellani etiam Rheguscа ditione. Eodem tempore obijt Otho episcopus. Lectus Imperatoris fauore, & ambitu Thomas eius Cancellarius, Maximiliani Cæs. quondam literarum Latinarum Doctor, & Curator, annos sex. Is animo liberandi ab ære alieno, quo grauissimè premebatur episcopatus, census sacendotum peregit, onera, & collectas imposuit, Innocentij pontificis auctoritate, quæ etsi erant in bonum publicum, tamen quia eius parua plerumque cura, priuatis indulgens, maximam ei ab suis subditis inuidiam, & postremo odium conciuere. Anno nonagesimo primo, constituit abbas Cunradus in Heremo curatorem, & vicarium Barnabā ex Comitibus Saxi. Ipse ad S. Geroldum concessit, ob venationis cōmoditates, qua supra sui ordinis dignita-

A. D. N. CIↃ. CD. LXXXIX.

A. D. N. CIↃ. CD. XC.

A. D. N. CIↃ. CD. XCI.

tem adficiebatur, & exercebatur. Comitia eadem tempestate frequentia egit Fridericus cum filio Maximiliano Norimbergæ. Annus nonagesimus secundus celeberrimus fuit Americæ, siue noui orbis inuentione, Christophoro Columbo nauigationis auctore, & duce. Eodem anno cõuentum frequentem Constantiæ Maximilianus habuit, multisq; Caroli regis iniuriã simul, & ignominiam sibi, & Imperio factam exaggerauit. Eo quoq; vocati Heluetij; qui sententiam rogati, Summi hac in re pontificis officium, & decretum esse dixerũt. Si sacris regem interdixerit, suum erga Cæsarem auxilium numquam defuturum. At Innocentio ijsdem diebus defuncto, successit Alexander VI. ann. XI. Is Ferdinandum, anno sequenti, Arragoniæ, & Castilliæ regem, & eius posteros legitimos noui orbis dominos pronũciauit bulla edita IV. Nonas Mai. Ita tamen vt Euangelij, & Christianæ, & Catholicæ relligionis, & pietatis præcones, & doctores eo mittãt, & ab idololatria, & dæmonum cultu eos populos abducant. Primus noui orbis Apostolus Builius Catalanus nostri ordinis. Hoc ipso anno contulit Curator Barnabas Eberhardo à Mundbrat ciui Constantiensi *M*aioratum Aeschentij, accepto ab eo iuramẽto, fore fidum & obsequẽtem. Anno quarto & nonagesimo, susceptit Carolus rex Galliæ expeditionem Neapolitanam, conductis Heluetiorũ octo, aut, vt alij, decem millibus. Cùm Romam pridie kalend. Ianuarij perveniſſet, paucis post diebus, profligato Alfonso rege Neapolis, & Ferdinando eius filio Calabriæ duce, Neapolim magnifico triumpho ingressus est, anno sequenti ineunte. Sed redeuntem in Galliam victorem Italiæ coniurati Principes apud Forum nouum pridie Nonas Iulij excepere, quibus propulsatis, Heluetiorum maxime virtute, qui robur, & spes totius regij exercitus erant, teste Cõminæo, in regnum tamen euasit. Ex illa expeditione Neapolitana primum in Germaniam, & Galliam morbus ille contagiosus, quem Neapolitanum, aut Francicum vocant, translatus. Eodẽ anno habuit Cæs. *M*aximilianus Vormatiæ principum conuentum contra Turcam, & etiam *G*allorum in Italia, vt vul-

A.D.N. CIↃ. CD. XCII.

A. D. N. CIↃ. CD. CXIII.

A.D. N. CIↃ.CD. CXIV.

A.D. N. CIↃ. CD. XCV.

go fereba-

go ferebatur, tyrannidem. Anno nonagesimo sexto, Thoma defuncto, successit in episcopatu Constantiensi Hugo ex nobilibus ab Hohenlandenberg, annos xxxv. Anno nonagesimo septimo & sequēti, multæ in Sueuia, & Heluetia turbæ fuere, propter confederationem Sueuicam, quam Heluetij ingredi respuebant. Rheti hac quoque occasione, & quia cum Austriacis de finibus contendebant, cum Heluetijs fedus perpetuum, conuentu Tigurino, fecere, Idibus Decembris anni octaui & nonagesimi. Igitur quod reliquum erat in bellum partes secessere. Heluetij, & Rheti contra Sueuicum fedus vires coniunxerunt. Sed hoc sane bellum omnium acerrimum fuit, quam vmquam Heluetij tolerauere, siue apparatum, & vires, seu varijs in locis in Heluetiam irruptiones creberrimas cōsideres. Omnes enim Imperij principes, antistites, ciuitates, nobiles in vnum conuenerant, ne Heluetiorum vnum fedus, vnus animus esset. Sed longè aliud est pro alterius Imperio, & pro sua libertate bellare. Multæ vtrimque, & diuersis locis pugnæ, Confederatis Heluetijs pleræque prosperæ. Pacem tandem fecit Galeatius Vicecomes Mediolanensis Basileæ x. Kal. Octobris. Quo tempore Ducatum Mediolanensem occupauit, pulso Ludouico Sfortia, Ludouicus Rex Galliæ, qui cum *Heluetijs*, mēse Martio præterito, fedus annorum decem fecerat. Anno millesimo quingentesimo renouauit Maximilianus Cæs. fedus hæreditarium cum Tigurinis, Bernensibus, Tugijs, & Salodorensibus. Anno primo post quingentesimum defunctus est vita, & curatione Barnabas Saxensis. Eius opus laterales superioris Basilicæ fornices, & multa alia. Gessit enim curatorem cum laude, etsi per annorum sterilitates perpetuas, & annorum præteritorum clades haut pauca debita confecerit. Eius etiam exstat apud nos statua S. IVSTI pæne cubitalis ex argento insigni arte fabre facta, cui caput eiusdem Diui nostri tutelaris incluſum. Post eius mortem curam commisit Cunradus abbas, Ioanni Ort, quo palatij præfecto, & scriba etiam vsus fuerat, & postremo Theobaldo ex Baronibus à *Geroldseck* admodū adolescenti. Eodem anno, Basilea

A. D. N. CIↃ. CD. XCVI.

A. D. N. CIↃ. CD. XCVII.

A. D. N. CIↃ. CD. XCVIII.

A. D. N. CIↃ. CD. XCIX.

A. D. N. CIↃ. D.

A. N. D. CIↃ. DI.

& Schafhausia inter Confederatos relatæ, & vestibus passim omnium pene vtriusque sexus cruces liuidæ apparuere, non nullorum etiam in corporibus, magno stupore. Anno se-
A. D. N. CIↃ. D. II. cundo pestilētia sæuissima exorta ob præteritorum maximè annorum famem, & inediam. Et hoc quoq; tum notatum in eos maxime sæuijsse, qui, anno superiore, cruces habuere.
A. D. N. CIↃ. D. III. Maximilianus iterum contra Turcam comitia Norimbergæ habuit. Anno tertio, cum Alexandro VI. Pius III. successisset, nec pontificatum vltra diem sextum decimum gessisset, nominatus pontifex Iulius II. annos IX. mens. III. dies XII. Cruces iterum in vestibus animaduersæ, nonnullis in locis etiam in pane. Anno quarto maxima vbique rerum omnium
A.D.N. CIↃ. D. IIII. inopia, varij, ex victu obegestatem insolito, morbi. Multis locis, contabescentibus omnibus pene colonis, defuere qui terras colerent. Anno quinto celebrauit Maximilianus Coloniæ omnium principum & ordinum Imperij frequentiss. conuentum, in eoque pacem, & concordiam, toto Imperio, constituit, pœna læsæ Maiestatis propositā infractoribus. Anno sexto cometes, mense Augusto, inter Sep-
A. D. N. CIↃ. D. VI. temtrionem, & Occidentem; ostentum, vt plerique crediderunt, mortis Philippi Austriaci Hispaniæ regis, Maximiliani Cæs. filij vnici. quæ XV. kalend. octob. accidit, magno patris, & omnium subditorum Hispanornm, & Belgarum, Germanorumq; mœrore, & luctu. Anno septimo Comitia Ma-
A. D. N. CIↃ. D. VII. ximilianus Constantiæ habuit, consilia de bello Venetis inferendo agitauit, operam ab Heluetijs petijt, qui promisere. Ibidem exsequias Philippi filij magna frequentia, & pompa obiuit. Magna vētorum, turbinumq; tempestas, quæ non modo arbores, sed templa etiam, & ædes, aliaq; ædificia evertit III. kalend. Iulij. Paullo ante grando pleraque loca attriuerat, vnde maxima iterum penuria exorta. Annus octauus
A. D. N. CIↃ. D. VIII. nobilissimus fuit frequentissimorum orbis principum contra Venetos federe, Iulij pontificis, Cæs. Maximiliani, Ludouici Galliæ regis: Ingentibus ad hæc per Germaniam,
A. D. N. CIↃ. D. IX. & Italiam terræ motibus. Anno nono, incendium in pistoris domo forte excitatum totum Heremi vicum paucis

horis,

horis, absumsit; mox inde flammis vagantibus, & ex vicinorum ædificiorum alimento acrioribus, *M*onasterium inuasit, & pene totum rursus hausit, excepta Abbatia, & paucis iuxta ædibus, sacra præterea supellectile, & ornamentis omnibus reseruatis, & in tutum raptis, v. Nonas *M*artij. Ferunt abbatem Cunradum, igne maximè sæuiente, in Sacellum DEIPARÆ ingressum ad aram Virginis preces calidissimas effudisse, mox, finita oratione, elata voce, DEIPARAM compellasse, præsenti exitio *M*onasterium, & quæ in eo erant eripere dignaretur, ad ipsam omnia pertinere, & quidquid perierit, ipsi periturum esse. Inde Sacello egressum, curare cetera ceteros iussisse, sibi Abbatiam, & suas circa ædes tutas, & securas adfirmasse. Quod, vt diximus, euenit, omnibus reliquis ædificijs flamma corruptis, præterquam abbatis palatium, & quatuor monachorum Capitularium iuxta sitas ædes, postremo & Capellanorũ, quæ extra *M*onasteriũ erant, domibus ab ea clade ereptis. Sed ex hac quoq; calamitate, necessitateque magna hinc inde vis pecuniæ fænore sumta, æreq; alieno *M*onasterium, quod ex priori incendio vix respirarat, grauiter oppressum. Eodem anno, Bernæ quatuor Prædicatorũ ordinis monachi in DEIPARAM Virginem impij flãmis exstincti sunt, pridie Kal. Iunias, præsentibus Aimone Lausanensi, Matthæo Sedunensi, Achille Castelli episcopis Apostolico Legato, insigni, & immortali Bernensium DEI, & eius intemeratæ Matris vindicum, & vltorum claritudine. Et quia decursum erat federis decennium, Ludouicus rex nouum ambiuit; Sed cum pensionibus solitis adijci postulassent Heluetij, ipse superbiæ id, & insolentiæ intolerabili attribuisset, quasi eorum præcipuè auxilijs &, & fide *G*alliæ niteretur incolumitas, rescidit, amicitiamque renunciauit, quam incredibili postea precio, & precibus frustra redemtam expetiuit. Venetorum, eodem tempore, imperium, & resp. Maximiliani, & federatorum armis, prope modum ad extremũ redacta. Anno decimo fecit Iulius pont. fedus cum Heluetijs annorum quinq;, opera Matthæi Sedunẽsis episcopi Lucernæ, mense Ianuar. *M*axi-

A.D.N. *CIↃ.D.X.*

milianus Augustæ comitia frequentissima agitauit, quibus belli Veneti continuatio confirmata. *M*orbus eodem anno insolitus inuasit, varijs passim nominibus celebratus, qui per *G*alliam, *G*ermaniam, Heluetiam infinitos miserè habuit, plurimos absumsit. Pituita, & catharri caput veluti obstupefaciebant, fluxuque in membra inde continuato, paralysin inducebant, maximo omnium ciborum, & potionum tædio, & nausea. Anno vndecimo renouauit Maximilianus Cæs. fedus hæreditarium cum Heluetijs suo, & nepotis Caroli, qui imperauit nomine, Aquis VII. Idus Febr. mox Comitia iterum Augustæ celebrauit, auxiliaque contra Venetos ab ordinibus Imperij exegit. *G*alli Lugani tabelliones duos vnum Suitensium, alterum Friburgensium, quia literæ penes eos repertæ Sedunensis Episcopi, in proximum lacum præcipites dederunt. Eam iniuriam cùm ferre Friburgenses nollent, & Suitenses ægerrimè tolerarent, suorum exitium vlturi reliquos Heluetios ad arma concitarunt, & Idibus Nouembris, atrocissima hieme, in Insubriam descenderunt, multas arces euerterunt, pagos direptos incenderunt, omnia vsque Comum populati sunt, Gallorum etiam equitatum conciderunt, pridiè kalend. Ianuarij domum redierunt. Inclinabant, eodem tempore Constantienses in Confederationem Heluetiam, sed piscatorum tribus contra nixa præualuit. Anno duodecimo, excommunicauit Iulius pōtif. regem Ludouicum, & omnes eius sectatores, omnibusque eum hæreticorū, & schismaticorum pœnis devinxit, potestatem occupandi regni cuilibet fecit. Heluetij eiusdem pontificis rogatu in Italiam profecti, prælio Rauennensi interfuere. Sed post cladem Rauennatem multo maioribus copijs in Insubriam delapsi sunt, mense Maio, pleraque Flaminiæ vrbes in potestatem redegerunt. Ticinum cæperūt, octauo obsidionis die, & postea omnes pene vrbes deditionem fecerunt, & in ijs caput Insubriæ Mediolanum. Ita breuissimo tempore tota Insubria electi Galli, duodecimo anno, quàm occuparant. Præsidijs toto ducatu dispositis, reliqui Heluetij insigni laude domum redière,

A. D. N. CIↃ. D. XI.

A. D. N. CIↃ. D. XII.

exeunte

exeunte Iunio. Pontifex Iulius liberatæ ab Gallorum tyrannide Italiæ illis ferens acceptam gloriam, vnicuique Ciuitatum & etiam Communitatum vexillum Christi liberatoris nostri passionis mysterijs insignitum, & in commune duo, alterum suo, alterum totius Ecclesiæ nomine donauit, itemque gladium, & pileum, vtrumq; auro, & gemmis pretiosum, & commemorabili titulo Defensores, & Protectores libertatis Ecclesiæ nominauit, Bulla Romæ data III. Nonas Iulij. Duo illa communia vexilla omnium Cõfederatorum consensu delata ad Basilicam nostram tamquã locum totius Heluetiæ celeberrimum, & frequentissimũ, vbi etiam nunc è fornice supra altare maius dependent. Ipsi Heluetij circiter Idus Octobres Romam legatos miserunt, qui gratiam pro donis, & gloriæ titulo agerent, pollicerenturque omnium verbis eum se titulum pro viribus cõseruatutos, defensurosque. Iisdem legatis petentibus, confirmauit Iulius Cunrado Abbati Bullas Pij II. quoad potestatem audiendi confessiones, atque absoluendi intra, vel extra Dedicationem Angelicam, cum omnibus clausulis in eisdem contentis. Idque indultum vult perpetuis durare temporibus, nec sub vllis reuocationibus debere comprehendi. etc. Romæ pontificatus anno X. Paucis post diebus aliam etiam bullam cõfecit qua eundẽ Cunradum, & eius etiam successores, & Monasterium cum omnibus ad id iure pertinentibus ad annos quindecim ab omni iurisdictione, potestate, correctione, subiectione, & superioritate episcopi Constantiensis exemit. Romæ, eodem anno, duodecimo, XII. Kal. Ianuarij. Neq; Iulio deinceps longa vita fuit. Obijt anno sequenti IX. Kalend. Martij, successore Leone X. Ludouicus rex, vt prius antea, sic tum quoque nihil intermisit, vnde Heluetios sibi conciliaret. Conuentus in hanc rem Lucernæ habitus, festo Matthiæ, Tremollio regis legato præsente, sed nisi Cremonæ, & Mediolani arcibus, quas solas retinebant Galli, præsidia deducat, negata omnia. Ad Venetos deinde se conuertit, eosque in societatem perpulit. Sed nihilominus, Heluetiis multis per munera, & promissa clancularío tentatis,

A. D. N. CIↃ. D. XIII.

mox cor-

mox corruptis, alium Conuentum Galli, media Quadrageſima obtinent, ſed nihilo plus impetrant. Tunc omnium Confederatorum decreto Galli omnes finibus Heluetiæ intra præſtitutum diem cedere iuſsi. *Maximilianus* dux *Mediolani* contra *Gallos*, qui iam in Italiam redierant, quinque Heluetiorum millia in Inſubriam vocauit, quibus octo poſtea ſubmiſſa, ſed antequam ſuis jungerentur, iam Ducem *Maximilianum*, & Heluetios Triuultius, & Tremollius Nouariæ circumſederant, varièque oppugnabant, murorum magnam partem dejecerant, quos lectorum linteaminibus tranſuerſa pertica ſuſpenſis, in *Gallorum* contemtum, incredibili ferocia, Heluetij veluti reficere oſtendebant, ſæpius per hiatus ingentes vti ingrederentur magnis, & ignominioſis clamoribus provocabant. Cum Galli non mouerentur, quantumuis Heluetij aduentare ſibi valida ſubſidia compertum haberent, ſua tamen fortitudine indignum exſpectare ea præſidiarij iudicarunt, mœnibusque eruptione facta, ingentem in hoſtium caſtra impetum fecerunt, cæſosque maxima clade profligarunt, captis tormentis, caſtris, & impedimentis, & Gallis iterum tota Italia eiectis, VIII. Idus Iunij. *Mediolani* etiam & Cremonæ arcibus deditis. *Multæ* interim per Heluetiam turbæ propter factiones, non paucis auro Gallico corruptis. Tiguri omnes, qui in ſuſpicione erant, magiſtratibus abire coacti, & grandi pecunia multati. Alibi ſubditi, & agreſtes, facto tumultu, vrbes quique ſuas obſedere, deditionem eorum omnium flagitantes, qui muneribus regijs patriæ libertatem & famam vendidiſſent. Id accidit Lucernæ, Salodori, ſed maximo periculo Bernæ, direptis aliquot primorum ab ruſticis ædibus. Circiter Idus Auguſti expeditio Burgundica ſuſcepta hortatu Cæſ. *Maximiliani* qui paullò ante fœdus fecerat ſingulare dum viueret, & annum poſt mortem. Diuio obſeſſa, & quorundam tum quoque fœda auaritia, & Ludouici *Tremollij* vrbis præfecti, fallacia, re infecta, deſerta XIII. Kalend. Octobris. Eodem anno

Abbatiſ-

Abbatiſcellani tredecimum Confederationis Heluetiæ locum impleuerunt pridie Kalend. Ianuarij. Anno quarto & decimo concluſit cum Heluetijs fœdus LEO pontifex dum viueret duraturum. Anno decimo quinto, Ludouico Regi ſucceſsit eius gener Franciſcus Valeſius. Is, ineunte anno, legatos continuo in Heluetiam, qui de pace tractarent, miſit. Sed cum ſe literis, quas ſcribebat, Franciæ regem, & ducem Mediolani præfixiſſet, ne auditi quidem ſunt, adeòque non ſine vitæ periculo, nulla mora Heluetia cedere coacti ſunt. XVI. kalend Februarij Maio ſequenti quatuor Heluetij millia Mediolanum in præſidium miſerunt, quos, menſe Iunio, mox alij ſecuti. Caſtra Franciſcus rex eodem tempore apud Marignianum Vicum fecerat, & ibi Venetorum auxilia præſtolari conſtituerat. Heluetijs, qui Mediolani erant, pugnandi neceſsitatem fecere quorumdam dubiæ, aut potius corruptæ mentes. Quinto igitur & decimo kal. Octob. Mediolano egreſsi, inclinante iam die in hoſtem ſeſe effuderunt, egregiamq; victoriã reportaſſent, interfectis nobiliſſimis Gallorum ducibus, & Centurionibus, niſi nox interueniſſet. Per noctem quoq; variè pugnatum, & mane congreſſus redintegratus. Sed Galli Venetorum aduentu, & copiarum coniuctione multo validiores. Vnde poſtremo Heluetij, deſperata victoria, edita hoſtium ingenti cæde, compoſito ordine, in vrbem rediere, amiſsis ſuorum millibus quinque & interfectis Gallorum millibus duodecim. Triuultius ſanè nobiliſsimus dux belli, & experientiſſimus, pugnam hanc poſtremam non ab hominibus pugnatam, ſed Gigantibus adfirmauit, & decem & octo prælia, quibus omnibus non vno loco interfuiſſet, ſæpius præfuiſſet, ad hoc vnum collata puerilia fuiſſe ludicra, ſatisque conſtitit, Venetorum medio prælij concurſu, turbatos Heluetios victoriam è manibus amiſiſſe. Poſtridie prælij, orta inter Heluetiorum duces diſſenſione cum pacem alij cum rege mallẽt, alij ferendam obſidionem, & noua petenda, exſpectandaque auxilia cenſerent, non invito demum Maximiliano duce domos rediere, plerique mox redituri,

A. D. N. CIↃ. D. XIV.

A. D. N. CIↃ. D. XV.

maioribus

maioribus copijs, ex decreto cõuentus Tigurini, ob eam rem facti, animis in Gallos nimis infestis, & exacerbatis, nisi arcem dedisset dux Maximilianus IV. Nonas Octobris, acceptа ab rege contra annua pensione. Sed hostibus Heluetijs, Mediolanum retinere omnino quietum Franciscus diffidens, modis omnibus, pacem, fædusque solicitauit, eoque tandem perpulit, vt Geneuæ primo, dein verò Friburgi multis vtrimque articulis pax perpetua cum Corona Franciæ concluderetur, repudiato in tempus fædere. Ex eius pacis formula, sumtibus belli persoluit rex Heluetijs aureorum septingenta millia, opida, & arces Luganum, Locarnum, Mendrisium, vallem Madianam, aliaque reliquit, tanti victor ab victis pacem redemit XIII. Kalend. Decembris anni decimi sexti. Anno sequenti, curauit Leo pontifex toto Christiano orbe, remissionem peccatorum promulgari ijs qui corpore, aut fortunis contra Turcas, arma iuuarent. Eius promulgationis cura data per Germaniam Alberto Maguntino archiepiscopo. Is præfecit Ioãnem Tetzelium Dominicanum, quod ita iniquo animo susceperе Augustiniani, & Staupitius eius ordinis per Germaniam Vicarius generalis, itemq; Martinus Lutherus in Academia Vvirtenbergensi eiusdem ordinis Theologus, vt mox contra disserere, scriptisque, & propositionibus eas oppugnare non dubitarint, ostensis, qui ex ijs nascebantur, abusibus. Hæ ad fraudem illecebræ fuere: multique ab initio haut quaquam mali animi, aut aduersus sedem Apostolicam contumacis odij seducti, abiecto postea veneno, ad sanitatem rediere: Alij sibi inde ad famam, & lubidinem materiam corripuerunt. Inquibus Vldaricus Zuinglius fuit. Is integrum biennium quidem in Heremo, ad quam pulsus Glarona concesserat, & parochi munus obtinuerat, ita vixit, vt nullum luxuriæ, insolentiæ, fædæ lubidinis, & petulantiæ exemplum prætermiserit, contracta maxima, ex morum similitudine, cum Theobaldo curatore necessitudine, & amicitia. Sed ad eius destinata persequenda, & euulgandum, quod dudum conceperat, nouitatis venenum, Angelica,

A. D. N. CIↃ. D. XVI.

A. D. N. CIↃ. D. XVII.

hocan-

hoc anno, Dedicatio optimam occasionem attulit. Itaque adsumtis in eamdem operam duobus alijs Capellanis Leone, & Luca, artium magistris, & Curatore Theobaldo ad omnem libidinem, & licentiam incenso, & præcipiti, primum suæ vesaniæ specimen publicis concionibus inter Angelicæ consecrationis festiuitatem edidit, tectè ipse, & fraudulenter, adeò vt ægrè etiam prudentiores fraudem cognoscerent, metu Suitiorum, siue faciliorem, eo pacto, viam institutis sperabat. Multo apertius, & impudentius Lucas, & Leo. Illi non modo publicè Indulgentias, & ad loca sacra, & pia peregrinationes, vota, & donaria ridere, & calumniari, sed Sacellum DEIPARÆ non alio loco habendum, quàm quod libet è campestribus blaterare, Deum esse vbique, neque certis locis retineri: Quicumque honos DEIPARÆ Matri defertur, auferri eumdem, & detrahi DEO omnipotenti. Postea, his veluti fundamentis, ad alia delabi, & falsiora pro certis adfirmare. Quemlibet sacerdotem papam esse, et episcopum; et rursus quemlibet laicum esse sacerdotem. Sacrum ordinem nullum esse. Nulla præterquam tria sacramenta. Antecessorum animas cælo omnes, aut inferno receptas. Nullum purgatorium. Vanas proinde, & aniles pro defunctis memorias, benefacta, et sacrificia. *M*issæ officium rem mendicariam, varijs è centonibus contextam. Quo monasterijs, & locis pijs plura offeruntur pietatis, & relligionis amore, aut obligatione, eo maiora suppetere monachis, & presbyteris in luxum, et nequitiam. Frustrari enim laicos si credunt ab ijs aliquid ideò præstari. Nullum fraudulentius, et deterius aliud hominum genus, quam falsos presbyteros. Numquam Euangelium antea rectè annunciatum, omnes ad id tempus veluti infideles, et paganos vixisse. Postremo tamquam vno verbo omnem relligionem euertere conarentur, Nihil interesse adseuerant, quid quisque crederet, et perinde Platonem, Aristotelem, Hippocratem, Ouidium, *M*artialem ad æternam beatitudinem ad missos esse. Hæc erant ferme noui eius Euangelij dogmata, eo plausibiliora, et gratiora, quo ad om-

nem licentiam ianuam patentiorem omnibus aperiebant. Acceſſit incolarum *H*eremi, quorum hactenus magna pietas, & hoſpitalitas viguerat, repentina arrogantia, leuitas, & aduenarum, & externorum contemtus, & deſpicientia, quaſi, eodem tempore, veluti tabe, omnibus pariter corruptis, quidquid veteris moris, & relligionis fuerat, curruiſſet. Quæ omnia, vt inſolita, & noua, fædaq; , & inopina, peregrinantes admodum attonitos, & incertos reddiderunt. Igitur multi eorum conciones, tamquam Lutheranas (id enim tum vocabulum ab auctore Luthero dabant) reſpuere, & queribundi, minacesque palam deſerere: alij cereos, donaria, & alia quæ voti, aut relligionis cauſſa detulerant, domum reportare. Multi intellectis, quæ gerebantur, medium iter interrumpere, plurimi peregrinationem intermittere, repetito interim ſæpius veteri veriverbio, Eo nequiores homines, quo loca, quæ incolunt, ſunt ſanctiora. Omnes denique ad tam inopinatam, & repentinam, deteſtabilemq; rerum conuerſionem obſtupeſcere, & abhorrere. Addiderunt his alia ſacrilegia. S S. Eberhardi, & Gregorij abbatum ſacras relliquias, è ſuis feretris, manibus impijs, auulſas, quia Conditores primi, & illuſtratores Heremi fuerant, loco eo abdiderunt, quo parochus nempè audiendis confeſſionibus adſidebat, dubium in contemtum, an quo eorum memoria penitus obſoleſceret. Tabellam etiam in Sacelli Virginei frontiſpicio collocatam, in qua ſcriptum eſt HIC EST PLENA INDVLGENTIA, ſæpius deiecerunt, &, cum requireretur, per formidinem repoſuerunt. Nihil adeo intermiſerunt quod ad DEIPARÆ contemtum, Indulgentiarum, confeſſionum, donationum, precum, facere videbatur. Quæ etſi omnia in maximum Monaſterij detrimentum cedebant, quatenus DEIPARÆ præcipuè, eo in loco, præſentia, & cultu, & indulgentiarum gratia, & abundantia, piorumque inde largitionibus, in eam claritudinem euaſerat, nihili tamen pendebantur, dum ſuæ quiſque dementiæ ſatisfaceret. Hæc adeò ex more ſuo, & ingenio, per tales miniſtros auſus Sathanas. Ne-

que enim alio in Heluetia frequentiori, aut illustriori loco, suæ nequitiæ, & inveterati, & perpetui aduersus DEIPARAM odij impia instrumenta exponere potuit, quam in Heremo, ad quamnon modo, tota ex Heluetia, sed ex remotissimis quibusque partibus confluere mortales perspectum habebat, & nulla in alia intentiorem Virginis Matris venerationem. Qua ex re fieri credebat vt per eiusmodi sacrilegos buccinatores, & eius coniuratos hostes, MARIÆ cultus labefactaretur, aut planè concideret; & simul ad plures suæ malitiæ, & fraudulentiæ labes peruaderet, adeoque inde reportarent venenum, vnde petitum medicinam prius aduenerant. Sed Zvinglio, pro insita ambitione, & vanitate, dudum angusta Heremus videbatur, magnumque diffundendæ mentis insaniæ campum anhelabat. Angebant subinde sacrilega, & pudenda cum maritatis, monialibus, alijs virginibus admissa facinora, quæ, vt in vico haut magno, tegi, & occultari non poterant. Perstrepebant ad hoc Suitensium minæ omnem in relligione nouitatem aspernantium, & repulsantium. Tigurum opportunissimum credebat, vrbem in Heluetia capitalem, incolis copiosam, & aduenis per multitudinē legatorum regum, & Principum, illa tempestate, in ea habitantium celebrem, & frequentem. Igitur eo maximè animum aduertit, intenditq;, tantumq; potuit per amicos, & fautores, maximè viros militares, quos sibi inprimis devinxerat, accepta iam ante ab summo pontifice Iulio pensiones, quas ex federe promiserat, distribuendi Glaronæ facultate, vt paucis post Angelicam Consecrationem mensibus, Tigurini pro concionatore Maioris Basilicæ receperint, anno octauo & decimo, tantum nō ex Heremo profugum vti ante biennium eiectum Glarona. Pulsi etiam paullò post Lucas, & Leo, eodem concessere. At vero Abbas Cunradus, intellecto, quæ apud Heremum euenerant, turbonum illorum petulantiam, & insaniam, sui Monasterij magnopere debilitasse dignitatē, & frequentiā, ipsumq; nouitatis studio, & veterum indulgentiarum, & priuilegiorum despectu, Monasterium grauiter labore, simul

A. D. N. CIↃ. D. XIIX.

præteritorum ex licentia, & fallacia, insoleſcere, & debita, ſolitaque officia, & obſequia detrectare, & aſpernari Heremi pleroſque incolas, quo præſentiori remedio, gliſcenti morbo occurreret, ad Maximilianum Cæſar. legatos ad Aenipontem miſit, qui ab eo veterum priuilegiorum Monaſterij, & ſui ſimul in Heremo Principatus confirmationem poſcerent. Vtramque Cæſar annuit duobus diplomatis. Et Principatum ea conditione, vt intra certum tempus priuilegio definitum, vice ſua *M*atthæo tit. S. Potentianæ Cardinali Epiſcopo Sedunenſi obediẽtiam præſtaret, fidum, & obſequentem fore, tamquam Imperij Principem, & fiduciarium promitteret. Prius diploma datum Aenipõte VI. Non. Mai. Anno Domini CIↃ. D. XVIII. regni Romani XXIII. Hungarici XXIX. Alterum poſtero die, eodem loco, & anno. His impetratis legationem aliam ad Leonem pontif. deſtinauit, ad obtinendã non ſolùm omnium præteritorũ pontificũ bullarum, & decretorũ, Leonis præcipuè VIII. Nicolai V. & Pij II. Iulij que etiam II. confirmationem, ſed perpetuam ab Epiſcopi Conſtantiẽſis iuriſdictione, & poteſtate liberationem. Præſtitit vtrumque pariter Leo pontifex, ſingulari quodam, vt ex Breui ad ipſum alias miſſo apparet, Cunradum adfectu proſecutus duabus & ipſe Bullis, Romæ vno, eodẽque die datis, ſcilicet IV. Idus Decembris, eodem anno decimo octauo. Priori, vt petierat Cunradus, Indulgentias, remiſsiones, & Indulta, ac conceſſionem, nec non ſingulas literas prædeceſſorum ſuorũ Leonis VIII. Nicolai. V. Pij II. & Iulij. cum omnibus, & ſingulis in eiſdem literis contentis clauſulis, auctoritate apoſtolica, & ex ſua certa ſcientia adprobauit, & perpetuæ firmitatis robur obtinere decreuit, nullis omninò obſtãtibus ſuſpenſionibus, aut reuocationibus, quarumcumq; Indulgentiarum, etiam durante Indulgentia pro fabrica baſilicæ Principis Apoſtolorum in vrbe, & cruciata à ſe conceſſa, quomodolibet, & ſub quibuſcũq; formis, & verborũ expreſſionibus, ac clauſulis, ac derogatoriarum derogatorijs factis, aut pro tempore faciendis, etc. Altera bulla, vt diximus, Abbatem, Monaſteriũ, & omnia omnino ad ipſum pertinentia

quocum-

quocumque loco, & nomine, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, correctione, visitatione, subiectione, ac superioritate episcopi Constantiensis, ac aliorum iudicum ordinariorum, & superiorum quorumcumque, eorumq; officialium, & Vicariorum tunc, & pro tempore existentiũ, nec nõ à quibuscumq; impositionibus, solutionibus, & præstationibus Decimæ, quintædecimæ, dationibus gabellarũ, collectarum, caritatiuorum, ac aliorum quorũcumq; subsidiorum, & onerum, quauis occasione, vel caussa impositorum, & imponendorum pro tempore, in illisq; faciendis cõtributionibus perpetuò eximit, ac totaliter liberat, ac sub beati Petri, Sedis Apostolicæ, atque suæ, & successorum Romanorum pontificum pro tempore existentium protectionem suscipit, illosque, & illa sibi, & eisdem successoribus suis, nec non Sedi huiusmodi perpetuò immediatè subijcit, ac exemptos, liberos, susceptos, ac subiectos fore decernit. Romæ apud S. Petrum eodẽ, quem notauimus, anno, & die. Ceterum Maximilianus Cæs. ab Aeniponte Augustam profectus comitia frequẽtia habuit de auxiliis cõtra Turcam, de successione in Imperio Caroli nepotis, deq; Luthero reprimendo, præsente Sedis Apostolicæ legato Cardinali Caietano. Eodem anno, populante Germaniam atroci pestilentia, maximè Austriam, multi è Viennensi Academia, occlusis Gymnasiis, in Heluetiam rediere Doctores, & artium Magistri, in quibus fuere Ioachimus Vadianus S. Gallensis, Georgius Binder acuficis filius, & Schelerus chartarum lusoriarum opifice generatus, vterque Tigurinus. Hi, nouarum rerum lubidine, repertos per viam Lutheri libros, & coemtos passim publicabant, ingerebantq;, improbantes ipsi pariter, vt est procliuis ad deteriora mortalium lapsus, honorem, & intercessionem DEIPARÆ, & beatorum cælitum, Indulgentias, & alia, quæ Lutherus tunc insectabatur, ijs se Zvinglius adiungere, consilia communicare, eodem modo in Lutheri notitiam, & discipulorum peruenire. De Luthero tamẽ adhuc pauca in publico intermiscere, quia odiosum, vt nouum, & monstrosum intelligebat, doctrinam solum-

modo admirari, & puram putam Euangelicam prædicare, ab eodem post mille annorum cursum latam tandem in medium, & pro dignitate promulgatam, & adsertam. Haut pauca interim de suo interijcere, & literis etiam ad amicos patefacere, eadem ipsa in re eorumdem studiosorum, Magistrorumq; operam, & suffragia adhibere. Quibus modis efficiebat, vt non paucos impotentes, superbos, ambitiosos, cupidos, curiosos, vtriusque sexus, viros, & feminas in sententiam prius adduxerit, quam pro concione quidquam attigerit, vnde suspicio suboriri posset hæresios, aut nouitatis. Vbi postremo se satis firmum intelligit, & auditorum, fautorumque copia adfuit, Kalend. Ianuarij anni sequentis decimi noni primam contra veterem, & indubitatam relligionem concionem habuit, sed tum quoque eatenus, vt Ecclesiæ abusus, quibus indulgentias admiscebat, criminaretur, tum in Republ. libera, regum, & principum pensiones, tamquam inhonestas, sanguinarias, exitiosas: eadem occasione, in pontifices Romanos inuehebatur, qui darent, dedissentque, eo, credo, acerbius, quia ipsum, ex quo Glarona pulsus erat, pensione annua pontifex priuauerat. Atque ista etiam Zvinglianæ sectæ, & nominationis prima fundamenta, & exordia fuere, de qua, & inde secutis effectis præstat tacere, quam pauca, aut plura dicere. Eodem anno ineunte, obijt Imperator Maximilianus I. pridie Idus eiusdem Ianuarij, & Electores æstate sequenti Francofurtum conuenientes successorem illi in Imperio legerunt v. kalend. Augusti Carolum ex Philippo filio rege Hispaniarum nepotem, eius nominis Imperatorem v. Is, anno vicesimo, in Belgium ex Hispania delatus Aquisgrani Germanici regni coronam accepit IV. Idus Octobris, & Vormatiam conuentum principum in sequentem annum ingredientem indixit, ingraueſcentibus per Lutherum in Germania de relligione turbis. Anno vicesimo primo, Conuentu Vvormatiensi, suæ ipse Cæsar fidei professionem Principibus obtulit, mox grauissimum contra Nouatores edictum promulgauit. Fine anni obijt LEO pontif. cui successit v. Idus Ianuarij anni se-

A. D. N. CIↃ. D. XIX.

A. D. N. CIↃ. D. XX.

A. N. D. CIↃ. D. XXI.

quentis

quentis Hadrianus VI. Caroli Cæsar. literarum latinarum institutor, & tum Hispaniarum, regia auctoritate, gubernator, magnæ eruditionis, & virtutis. Sed non longa eius pontificatus gloria fuit. Cæsar, eodem tempore, frequentem Norimbergæ Conuentum principum habuit, in quo actum de pace inter ipsum, & regem Franciæ, de bello Turcico, in primis de remedijs contra hæreses, & sectas multo atrocius insurgentes. Sed magna iam Tiguri Zvinglij auctoritate, & multis per Heluetiam locis fama, motus Curator Geroltzeckius, quod dudum animo versauerat, Tigurum proficisci, & eo Monasterij res trahere constituit, fecitque hoc anno, omnibus quæ in Tigurinorum ditione erant Monasterij bonis, & decumis, eorum auctoritate, & auxilio sibi vindicatis, palatium Tigurinum insedit, magnaque in vulgus pompa, & largitione haut exiguum Zvinglij rebus momentum attulit, abbate interim apud S. Geroldum agitante, senecta, & valetudine adfecta, & proinde his impediendis, aut exstinguendis impare. Anno vicesimo tertio, lectus pontifex Clemens VII. qui cum Venetis, vicerege Neapolis, & aliis Italiæ principibus, & rebuspubl. fedus contra Gallos fecit, tamquam status, & tranquillitatis Italiæ perturbatores. Eodem anno, publicarunt Tigurini de relligione colloquium ad diem IV. Kalend. Februarias anni sequentis. Eo in colloquio interfuit Ioannes Faber Vicarius, missu Episcopi Constantiensis, & nonnulli alii clara eruditione viri, sed adeo nihil contra Zvinglij versutias, tergi versationes, & fabulas, scommata, & ludibria profectum; vt anno quinto & vicesimo Tigurini nouam, & ab eo prolatam, fictamque relligionem iureiurando confirmarint, omnia penè veteris, & melioris monumenta exsciderint, multum contra indignantibus, & scribentibus, dehortantibusque reliquis Confederatis. Tum demum monachi, & monachæ mutuis sese coniugiis copulauere, simul altaria, & baptisteria, diuorumque imagines, & cultus abolita, & deiecta. Zvinglius, eodem anno, librum edidit, quem de vera, & falsa relligione inscripsit, & Francisco regi Christianiss. dedicauit.

A. D. N. CIↃ. DↃ XXII.

A. D. N. CIↃ. D. XXIII.

A. D. N. CIↃ. D. XXIV.

A. D. N. CIↃ. DↃ XXV.

At ipsum Franciscum VI. Kalend. Martias prælio Papiensi captum in Hispaniam victores transportauere. Facta eodem tempore Tiguri cum Anabaptistis disputatio, & Lutherus vtriusque nouam famam, tamquam suæ offuturam, ferre nolens, Zvinglium, & Oecolampadium, ne animas seducere pergerent, scripto admonuit, seque, aut ipsos Sathanæ ministros esse adfirmauit. Anno sexto & vicesimo mortuus tandem Abbas Cunradus, admodum senecto, & exhausto corpore, postremus non modo familiarum illustrium, sed adeò, eo tempore, in Heremo monachorum. Neq; enim quemquam post se apud Heremum reliquit religioni, & Ordini P. N. S. Benedicti initiatum. Eduxerat sanè duos nobilissimis familijs oriundos Theobaldum, de quo diximus, ex Baronibus à Geroldseck Alsatam, & Heinricum è Comitibus Saxensibus *Me*sauci dominis, sed alter ad Zvinglium, abiurato monachismo, defecit, alterum ob homicidium fædè, & barbarè commissum perpetuis carceribus Cunradus condamnauit. Pauci seculares Sacerdotes diuina officia in Monasterij sacra æde, & DRIPARÆ sacello curabant. Ipse plerumque apud S. Geroldum habitauit, venationis insana libidine, et vitæ solitariæ amore, relictis in Heremo vicarijs, qui, veluti mercenarij, aut magis lupi, Monasterium ad extrema adegere, exstincta iam et profligata omni monachica disciplina, et quidquid veteris, et sincerioris cultus, et pietatis in Heremo tot præteritis seculorum decursibus viguerat, obtinueratque. Sui præcipuè in Heremo memoriam seruauit Cunradus, Sillana ex valle; quam paterna ex hereditate ampla, et luculenta coemit magni nostro Monasterio vsus, et commodi. Eam ipse præcipuè equis alendis, quibus haut minus delectabatur, destinauit, egregiamque inde sobolem externis etiam, maximè Italicis Principibus, commendatam, et expetitam propagauit, et posteris reliquit. Erat natus ex baronibus ab Hohenrechberg quorum adhuc in Sueuia multæ opes, et præcipua claritudo, Franciscì I. abbatis ex fratre nepos. Cæterum postquam Cunradus exstinctus est, et nemo præterea in

A. D. N. CIↃ. D. XXVI.

monaste-

monasterio nostri ordinis adfuit, Suitij, iure advocatiæ, curatorem imposuere è suis expræfectum Krienſium, qui vnà cum Ioanne Ort, cuius supra meminimus, Heremi gubernationem aliquandiu exercuit, donec postremo, multis, & assiduis reliquorum Confederatorum precibus, & admonitionibus ijdem Suitij è S. Gallo Ludouicum postulauere, Monasterij ibidem tum Cellarium, & veluti Vicarij munus cum laude fungentem, & ob id notum, & commendatum.

Sed hucusque Monasterij Heremitani acta, memorabiliaque, suis quæque annis quæsisse, & digessisse juuat, vtrumque haut exigua cura, & labore. Cetera in compendium referam. Non enimuero quin amplissima suppetat singulis pene annis deinceps materia, Neque enim ullis prope crediderim antea temporibus, aut peregrinationes fuere ad Heremum frequentiores, & illustriores, aut miracula rariora pariter & crebriora, aut postremo oblationes, & donaria insigniora, et opulentiora, quasi resuscitata, & adaucta relligione, et laudabili certamine cum vetusta pietate, et magnificentia instituto, siue Beatissima cælorum regina, electa vt sol, pulchra vt luna, quo densiores contra obtēduntur, pugnantque nebulæ, tenebræque, eo magis emicat, præpolletque, Sed quia dicendis, componendisq; temporibus pontificum, regumque, et Imperatorum gestis nullum aliud feracius seculum fuit. Et sic quoque Abbatum sequentium, quorum profectò haut minor virtus fuit in restituēda Monasterij nostri dignitate, quàm in condendo, et augendo antecessorum primorum animus exstiterat, præclara facta, et merita non intermittam. Et miracula, et peregrinationes, et donaria, quia quotidiana, et innumera, melius, et rectius Diurnis Monasterij comprehenduntur:

Siue etiam de ijs alia, & singularis tractatio erit.

LVDO-



LVDOVICVS II. ABBAS HEREMITARVM XXXV. PRINCEPS IMPERII DECIMVS OCTAVVS.

MAGNAM ad primum in Heremum ingreſſum offendit Ludouicus rerum omnium confuſionem, & deſolationem. Nulli ordinis amplius aderant, & præter exhauſtum, & ſpoliatum Monaſterium nulla pene priſci cultus, & diſciplinæ monimenta. Pauci, & vndique adſciti cappellani curam Sacelli Virginei adhuc gerebant. Incolæ Heremi, veluti excuſſo iugo, nemine regente, omnium obediẽtiam, & obſequium aſpernari videbantur. Grande ad hoc æs alienum, & potiſſimæ Monaſterij decumæ, poſſeſſiones, iura, & emolumenta

vtraque lacus Tigurini ripa, & in Turgouia ab Nouatoribus, & transfuga Geroldseckio retinebantur. Nec spes recuperandi, tantis vndique turbis, & commotionibus, mutationibusque supererat. Postremum, & pessimum malorum pene omnibus finitimis iuxta, & disitis in horrorē, & abominationem Heremus verterat, ob recentem effusi primum in ea ab Zvinglio veneni fædissimi, & contagiosissimi memoriam. Quæ omnia ita grauia, & intoleranda Ludouico apparebāt, vt penè susceptæ dignitatis, & regiminis pœnituerit. Et sanè proximum quinquennium maximos inter labores, curas, & contentiones, angustiasque exegit. Postquam verò apud Capellam pugnatum, & cum Zvinglio Geroldseckius occidit, victisque datæ sunt leges, paullo quietius, & moderatius omnia se habuere. Tum & quæ ad lacum recepta, & de cæteris haut vana fiducia suborta. Itaque, verso ad restabiliendam primo monachicam disciplinam animo, quatuor bonæ spei adolescētulos in monasterium adsumsit, quantūq; fuit probatos, & vestitu, cultuq; apud S. Gallum visitato, cultos, ex ijs binos in Sueuiā ad capiendū ingenij, & regularis disciplinæ cultū trāsmisit, Ochsenhausiam alterum, alterum Hirsaugiam, quibus in monasterijs præcipuè adhuc vetera nostri ordinis constituta conseruabantur: reliquos apud se continuit, & haut minori cura bonis literis, et moribus imbuit. Sed quo firmius se in omnem euentum haberet, cognito Imper. Carolum apud Ratisbonam comitia regni frequentia celebrare, ad quæ & ipse, tamquam Princeps Imperij vocatus erat, ad eum è suis Ioannem ab Amberg cum potestate expediuit, qui confirmationem priuilegiorum Monasterij peteret, & suis verbis, tamquam Imperij Principis, Imperatori obsequium, & fidelitatem polliceretur. Imperator, accepto, more solito, ab Ioanne nomine Ludouici, fidei sacramento, *M*onasterij omnia priuilegia confirmauit, Ludouicoque, tamquam vero, & legitimo domino, omnes *M*onasterij subditos, et annexos obedire iussit, diplomate dato. *Ratisbonæ* v. *Nonas Iulij*, *Anno* CIↃ. D. XXXII. *Imperij* XII. *regnorum* XVII. Accepit, eodem tempore, sicuti

A. D. N. CIↃ. D. XXXI.

A. D. N. CIↃ. D. XXXII.

petierat,

petierat bullam ab Clemente VII. Ludouicus, qua Episcopalibus ipsum insignibus exornat, benedicendi populum, cruces, imagines, corporalia, campanas, vasa sacris destinata, reconciliandi Ecclesias, & coemiteria sibi subiecta, postremo inaugurandi monachos suos caractere clericali, eisque minores ordines conferendi potestatem amplissimam impertit. Sed hæc tum rara, & expetenda ab Romana Sede priuilegia, multis partibus Clementis successor Paullus III. auxit, & locupletauit. Confirmatis enim, & innouatis omnium prædecessorum suorum pontificum bullis, & decretis, Ludouico, & eius successoribus abbatibus concedit, durantibus in Episcopatu Constantiensi hæresibus, omnem illam iurisdictionem, & potestatem in suos, quæ de iure alioquin ad Episcopum Constantiensem pertineat, ita vt de sententia ab abbate lata appellare grauatis non liceat ad Episcopum, sed solummodo ad Sedem Apostolicam, aut eius legatum. Ius quoque præsentādi sui monasterij beneficia parocho Suitensi, quam præsentationem recipere, & instituendos instituere teneatur, itemque facultatem conferendi sacramentum confirmationis, primam tonsuram, & primos ordines, vtendi pontificalibus, supplendi defectus natalium in suis, chrysma sacrum petendi ab quolibet Episcopo Catholico, aliorum plurium. Bulla data *Romæ apud S. Petrum die* XIII. *Decembris. Anno* CIↃ. D. XXXVII. *Pontificatus quarto.* His Pontificum, & Imperatoris priuilegijs, & nouis ornamentis haut parum dignitatis, & firmitudinis Ludouicus, resurgētibus iam, & paullatim in antiquum splendorem emergentibus Monasterij rebus, comparauit, magnamque de se apud omnes opinionem virtutis, & industriæ, & penes vtriusque ordinis Principes fauoris, & auctoritatis præbuit. Erat è nobili Blarerorum stirpe quidem natus, primus tamen qui citra Baronum, aut Comitum dignitatē monasterio præfuit. Ceteri hucusque omnes Heremitarum abbates è Baronibus, aut Comitibus, vel etiam Ducibus, & Regibus originem habuere. Sed ea inciderunt tempora quæ primo in fide, & relligione discidium parturiere, mox antiquos mores,

A. D. N. CIↃ. D. XXXVII.

& proba-

& probatos, receptosque penitus conculcauere, pessum dederuntque, Clericos hinc, & sacerdotes pro vanis, & lurconibus: monachos, & relligiosos pro fanaticis, & tenebrionibus habuerint, omnes pro monstris, simijs, hienis, asinis, lupis, pardocamelis, et si quid fædius, aut tetrius natura creat, duxerint, & vulgo summo contemtu, & odio depinxerint, & circumtulerint. Vnde quis non intelligit nobilia quoque, & perlustria ingenia in tanta vastitate, & confusione corrumpi, & contaminari debuisse, quæque tanto opere maiores eorum sinceræ fidei cultores, & antiquæ relligionis vindices, & propagatores, probauerunt, eadem sordescere, aut etiam in contemtum venire necesse fuisse. His tamen nihil obstantibus, profecto in Heremo deinceps præfuere, qui qualemcumque originis obscuritatem incredibili virtute animi, nō modo cooperuerunt, sed nobilissimis quibusque natalibus se dignissimos præstitere, adeò nihil illis generositatis, magnificentiæ, pietatis, & industriæ, auctoritatis, & gloriæ apud suos, apud exteros pleriſq; defuit. Obijt Ludouicus Anno Domini nostri, Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo quarto. Quarto Kalend. Februarij, relictis in Monasterio quatuor, quos eduxisse diximus, monachis, Rudolfo Brunoldo Rapersvillensi, Ioachimo Eichorn Vvilensi, Ioanne Buocher Heremitano, & Heinrico Kindelmann Rapersuillensi. Omnium natu minimus Ioachimus succedere iussus, ætatis suæ anno XXVI. feria sexta post dominicam lætare.



IOACHIMVS I. ABBAS HEREMITARVM XXXVI. PRINCEPS IMPERII DECIMVS NONVS.

HIVIVS Abbatis tanta coniuncta cum fecilitate virtus extitit, recuperandis Monasterij pignoratis, aut alienatis bonis, & possessionibus, in regulari disciplina constabilienda, nouisque ædificijs ex suscitandis, vt prope secundi fundatoris nomen, & gloriam promeruerit. Præsidente eo, vnus & viginti in nostro Monasterio professionem relligionis fecere, & plerique omnes non in eo solum, sed ad alia Monasteria adsciti, ad amplissimas dignitates, & officia peruenere. Decumas Milani, Stefæ, Menidorffi, arcem, & iurisdictionem Feiconis maxi-

nis, maxima pecunia, partibus varijs obligatas, & detentas, repræsentata ſumma, exemit pignore, & noſtri iuris reddidit. Officium Aeſchentij amplum, & opulentum, ſed per relligionis nouitates, & diſcidia in diuerſa raptum, & prope ad nihil redactum, iudicantibus octo Cantonibus, ingenti animo euicit, & recuperauit. Colonos qui poſſeſsiones, decumas, aliaque debita, pro ſua lubidine, vendiderant, alienarant, commutarant, abligurrierant, ab Nouatoribus ſeducti, & circumuenti, qui, noua relligione recepta, omnes decumas, & eiuſmodi obligationes aboleri in vulgus ſpargebant, tollique omnia talia obſequia, & onera, liberosque omnes fore qui ſua dogmata ſequerentur, iactitabant, ad officium compulit, ſententia, & auctoritate eorumdem Cantonum. Fortem, imperterritum, conſtantem, & aſsiduum, contra quoſcumque aduerſarios, qui & multi, & diuerſi è ſubditis, & pariter externis, ſe ſemper præſtitit, nihilq; quod ad ſuum Monaſterium pertinere de iure credebat, intermiſit, egregij Principis, & optimi Oeconomi officium impleuit. Neq; enim ſolùm ea quæ deſiderabãtur vindicauit, ſed multo alia plura mercatus eſt, quæ ſibi idonea, & opportuna videbat, in quibus fuit media vici Aeſchentij pars, & Maioratus cum omnibus ad vtrumq; pertinentibus, quæ ab Ioanne Iacobo nobili ab Liebenfels emit, & exſoluit. Quantam verò apud omnes auctoritatem obtinuerit, quantam de ſua eruditione, & integritate opinionem præbuerit, clarum ex eo argumentum quod ordo Eccleſiaſticus totius Heluetiæ, conuentu Raperſvillenſi, A. D. N. C 1 O. D. LXII. dignũ præ omnibus, & potiſſimũ iudicarint, quem ſuo nomine, ad Conciliũ Tridentinum mitterent. Sed pontifex ipſe Pius IV. quanti eum fecerit bulla ſua, quam motu proprio edidit, manifeſtè declarauit. Cum enim intellexiſſet Pontifex Ioachimum cupere præcedentium pontificum priuilegia, decreta, Indulgentias, & remiſsiones, etc. Apoſtolica auctoritate, ab ipſo, & dicta Sede confirmari, & approbari. *Nos*, inquit, *erga eumdẽ Ioachimum, & ſucceſſores ſuos gratioſum, & liberalẽ exhibere, ac diuini cultus augmẽto & dicti Monaſterij ſubleuatio-*

ni intendere volẽtes singularum literarum prædictarum, aliorumq; hic de necessitate exprimẽdorum veriores tenores præsentibus pro expressis habentes, ipsumq; Ioachimum specialibus fauoribus, & gratiis prosequentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisquè Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harũ serie absoluentes, & absolutum fore censentes, Motu proprio, non ad eiusdem Ioachimi abbatis, seu alterius pro eo Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, omnia, & singula, Indulgentias, & peccatorum remissiones, absolutiones à pœna, & à culpa prædictam Ecclesiam, & Capellam visitantibus, illarumq; confirmationes, & approbationes, nec non nouam concessionem huiusmodi singulasque gratias, indulta, exemptiones, immunitates, subiectionem, suppositionem, singulasque prorogationes, extensiones, ampliationes, & advocationes, ac commissiones causarum eiusmodi per eosdem prædecessores nostros concessa, nec non omnes, & singulas literas, super præmissis, per supradictos prædecessores nostros quomodolibet factas, ac prout ea concesserant, omnia, & singula in his contenta, & inde secuta quæcumque quatinus sint in vsu, dicta auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisq; perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adijcimus, eaque omnia valida, & efficacia fore; suosque plenarios effectus sortiri debere decernimus, & declaramus. Datæ Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo secundo. Quinto Idus Februarij. Pontificatus nostri Anno IV. Ne ad finem vsque Concilij Tridentini perduraret valetudo impedijt, quæ ex multis laboribus contracta, & perpetuis curis aggrauata denique ad plures, & sanctiores deduxit, Anno Domini. CIↃ. D. LXIX. Idibus Iunij, ætatis L. Principatus XXV. cuius confirmationem, vti & regaliorum ceterorum Monasterij impetrauit primo ab Ferdinando I. Imper. Anno LIX. regni Romani XXIX. ceterorum XX-

rum XXXIII. Viennæ V. Non. Octob. & omnium nomine, ex edicto Cæsario, Abbatibus Vvingartensi, & Ochsenhausano, vice Cæsaris, fidei, & obsequij iuramentum præstitit, anno LX. quarto Kalend. Decembris, Vvingartæ. Dein etiam ab Maximiliano II. Augustæ Vindelicorum Anno sexagesimo sexto, Non. Aprilis, regni Romani IV. Hungarici III. Bohemi XIIX. Erat Ioachimus Villæ Turgouiæ opido natus honestis magis, quàm claris parentibus. A prima adolescentia sub Ludouici antecessoris sui disciplina in *Heremo* doctus, & educatus talem se præbuit, vt maioribus suis non modo, sed ordini nostro Benedictino vniuerso virtute sua illuxisse videri potuerit. Lectus abbas, etsi inter collegas esset minimus natu, disciplinæ præcipuè incubuit. Clausuram Monasterij ab aliquam multis annis neglectam primus omnium restituit, & seueriſſimè seruari voluit, comperto monachum extra monasterium non secus se habere quam ex vnda piscem. Vt reliqua pariter per Heluetiam non modo, sed etiam Sueuiam monasteria ad priscam viuendi formulam reuocarentur magnopere laborauit, haut ignarus quantum corrupti Ecclesiasticorum, & relligiosorum mores ansam in eos inuehendi, ac sæuiendi Nouatoribus præbuerint. Plurima eius eximia extant ædificia. Præcipui nominis Monasterium Faræ, & Præpositura S. Geroldi, quæ pene ex fundamentis restituit. Feficone Sacellum, & cellam condidit: In Heremo inferiorem Basilicam fornicato opere illustrauit: Sacellum Principale S. Michaëlis exstruxit, circuitûs ad hoc monasterij maiorem partem absoluit, alia infinita erexit, vt ex eius passim insignibus numquam interituris videre licet, super tot diuersis locis, & vicis Monasterio subiectis è nouo pariter eductis, aut reparatis ædificijs. Post eius obitum lectus Abbas Adamus Heer Rapersvillensis. XXVI. Iunij. Electionem adprobauit sub annulo Piscatoris Pius Papa V. Romæ quo se haut multo post electionem, vt inauguraretur, Adamus contulerat.



ADAMVS I. ABBAS HEREMITARVM XXXVII. PRINCEPS IMPERII DECIMVS NONVS.

AVCTVM, & opulentum, omnibusque rebus, quæcumq; siue ad necessitatem, aut etiam decus, et splendorem pertinere videbātur, instructum, & florens, magnificumque monasterium Adamus suscepit, conseruauitq; quantum humanæ vires potuere. Vbi non amplius prævaluerunt, & primo ingens domi calamitas invasit, post etiam ab aduocatis odium res aduersas comitari solitum impulit, ita fortunæ cessit, vt numquam victricem agnouerit, aut postea timuerit. Nono regiminis ano, Christi Domini nostri Septuagesimo septimo, post mil-

lesimum,

lesimum, & quingentesimum, VIII. Kal. Mal. feria v. circiter meridiem ortum ex fornace tegularia incēdium pauciſſimis horis non modo vicum vniuerſum, ſed etiam Monaſterium abſumſit, ſolo Sacello Virgineo, & vtraque Baſilica reſeruatis, & paucis admodū è ſacra ſupellectile ornamentis, & omnibus tamen ſacris relliquijs. De tantæ cladis auctore dubitantibus diu ſuſpicio in tegulario hæſit, alias Tigurino, & ſub ipſum ſtatim incendium profugo. Poſtea Rhineci, & Pfulloduri capitali ſupplicio adfecti homines ſceleratiſsimi, tam infame, & impium facinus in ſe tranſtulere, accepta ab Capitaneo Stoerero Biſchoffcellenſi homine hæretico, & omnibus bonis infeſto, pecunia, eam operam pollicitos, auſosque, abſtruſis ſecreto per vici plures domos ignium fomentis, qui ex tegularia deinde flammis excitatis, in vicum vniuerſum, & monaſterium ſpargerentur, & vtrumque funditus abolerent. Sed idem quoque Stoererus ſuæ impietatis, & ſcelerum breui pariter pœnas exſoluit. Curiæ enim Rhetorum vſtulatus paullo poſt & ferro laceratus, fractis artubus, rotæ incubuit. Abſumto, eo quo diximus modo, Monaſterio, & omni ſuppellectile, officiales & monachi triduum proximum in vicinis S. Gangolfo mapalibus delituere; poſtea hi, præter Parochum, & Cuſtodem Feficonem tranſlati in Sacello arcis diuina officia continuauerunt. Aduenerunt ſubinde è propinquis Communitatibus, vrbibus, & opidis qui non modo cladem commiſerarentur, ſed etiam ſubſidia adportarent. Inprimis fuit Suitenſis Communitatis nomine Chriſtophorus Schornerus Officialis poſtridie incendij D. Marco Euangeliſtæ dicato. Eodem quoque die Tigurinæ reipubl. legati adfuerunt Ioannes Keller, et Cunradus Dentzler, qui ſimul frumenti modios ducentos aduexerunt, haut contemnendum, & perneceſſarium egeſtatis tantæ, et tam inopinatæ leuamentum. Poſtea aliæ pleræque omnes (exceptis Bernenſibus) Heluetiæ ciuitates, vrbes, opida, Comitatus, Reſpublicæ, municipia, Abbates, Præpoſiti, Antiſtitæ, Regum, & Principum legati, maximus ad hos priuatorum numerus vtriuſque ordinis, et ſexus, qui tanta in

calamitate ſuam & erga DEIPARAM deuotionem, & noſtrum Monaſterium adfectum factis, & operibus patefecerunt, adprobaruntque. Supellectilem ſacram, profanamque, quæ hoc incendio in cineres abijt, aut in rudem materiam redijt, longum eſſet enumerare, et perdifficile. Campanæ decem defluxerunt, vnica parua ſuperſtite; quæ conflagrante ſumma turri Sacelli Virginei in fornicem baſilicæ concidit, magis miraculo, quam fortuito ſonorem illæſum conſeruauit. Vtraque in ſacrorum vtenſilium Cuſtodia, Sacriſtiam vocant, infinita ornamentorum, et veſtium ſacrarum copia exuſta, paucaque admodum flammarum voraginem euaſerunt, alijs in locis retenta, aut magna feſtinatione per medios ignes æquali periculo erepta, et in tutum ſublata. Quæ damna etſi grauiſsima, et penè incredibilia, tolerabilia tamen, quando piorum, et DEIPARÆ maximè cultorum liberalitas, et magnificentia, munificentiaque eo ſe deinceps prouexit in ornamentorum, et vtenſilium ſacrorum copiam, et abundantiam omni genere, varietate, elegantia, apparatu, et precio, vt in incertum habeant multi, an plura, et meliora præterita, et cinefacta eſſe potuerint. Bibliothecæ damnum irreparabile eſt: corruptis, aut penitus abſumtis pulcherrimis nobiliſsimorum ſcriptorum exemplaribus, tantæ, et tam exquiſitæ, et eouſque ſumma cura deductæ, et propagatæ antiquitatis memoria ſimul poſtremo cum hoc incendio exſtincta, et omnibus prope priſcæ eruditionis, ſtudij, et diligentiæ, et diſciplinæ monumentis, vno pene momento, in miſerabiles cineres diſperſis, et collapſis. Ceterum abbas Adamus, accepta intra paucos dies in ſubſidium haut pœnitenda pecunia, & concurrentibus vndique operarijs, tamquam ad præſentaneum lucrum, animum ad fabricandum extremo applicauit, breuique vtramque baſilicam contexit, campanaſque decem fudit quæ turribus imponerentur, diuinæ rei vtrumque reſtituendæ, & continuandæ. Hinc Monaſterij muros in quadrum directos accelerauit, & pauca interius habitacula in vſum tum quidem fabricantium, mox monachorum,

poſtremo

postremo alia magis necessaria domesticis, & ministerialibus. Interea simultas cum Suitijs oborta eo processit, vt Monasterio, auctoritate Ioānis Francisci Bonhomij Episcopi Vercellensis, Sedis Apostolicæ Nuncij, interim relicto, in S. Geroldi Præposituram secesserit, A. D. N. Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo nono, substituto Curatore Vldarico Vveitvillero Decano. Mansit eo modo apud S. Geroldum ad sextum vsq; annum, veluti patientia euicturus Aduocatorum in se conceptam malevolētiam, & si tanto temporis decursu saltem mitigarentur. Cum id frustra euenisset, postremo abire magistratu planissime decreuit. Non deerant qui id dissuaderent amici, dicerentque haut temere faciendum esse, iuribus, & libertati Monasterij præiudicare, rem in exemplum posse trahi, aduersæ parti ausum, & animum dari, augerique simile quippiam in successoribus attentandi: paucos aliquos esse qui incesserent, reliquos magis veluti contagione trahi, quam voluntate. Iure potius ageret, non defuturam meliorum partem, alia adferre, prout cuiusque adfectus, aut iudicium. Ille contra obniti, nihil sibi grauius hoc ipso onere semper visum, disciplinam in regimine ancipiti laxari, simultatem præsentia, & perseuerantia increscere, rem perire, dum partes fieri, aut alia necesse sit. Quæ tempore, consilio, arte frustra corrigere conatus sis, prudentiæ esse si suo tandem cursu labi patiare, cedasque malignitatis, & scandali caussa, & respectu periculi maioris, sumtuumque grauiorum. Postremo quietis, & vitæ priuatæ cupidinem apud se prævalere. Neque tamen propterea libertati Monasterij, aut iuribus, hoc suo facto, præiudicatū arbitrari, cum non coacte, & vi subactus, sed vltro, sed sponte, & libere, more plurium suorum antecessorum, dignitate, & officio ab eat. Abbatiam igitur, & cetera sollennia Adamus in manus Capituli plane, & plene resignauit A. D. N. L XXXV. supra CIↃ. D. reseruata sibi S. Geroldi Præpositura, quam ad annum vsque CIↃ. DC. X. qui ei fatalis fuit, haut inferiori laude, etsi impare dignitate, tenuit. Obijt eodem anno, IV. Mai, plenus dierum; Nam quinquaginta duobus annis

sacerdo-

sacerdotio venerabiliter functus est, vt Lupus ille Trecensis episcopus, cuius in martyrologio XXIX. Iulij memoria. Erat Adamus origine, & stirpe Patricius Glaronensis, sed maiores, ob mutationem inibi Catholicæ relligionis, Rapersvillam fortunas transtulerant. Pater Ioannes vxores duas habuit primam ex familia à Grut, alteram Blareranam à Vvartense, vtramque nobilem, ex prima Adamum suscepit, & in Heremo educandum tradidit. Gregorius XIII. pontif. confirmauit, eo petente, omnia, & singula Bullis superiorum pontificum comprehensa, & decreta, maximè verò de verbo ad verbum ferme repetita Pij Papæ IV. Bulla, exceptis, si quæ Concilio Tridentino repugnare videbuntur. Apud S. Marcum pontificatus anno secundo. Postquam vero Adamus abdicauit suffectus XVI. kalend. Nouembris Vldaricus Veituillerus Rorschacensis Acronianus.

Ceterum sub Adamo, vt alias plerumq;, multa certe præclara in nostra Heremo evenere miracula, vnum ex tot, & tãtis omittere haut queo de puella paralytica, quod vniuersam prope Europam peruasit, & admiratione sui impleuit. Id vero haut quaquam meis, sed ipsius Vdalrici tunc Administratoris, & Decani, & postea in abbatia successoris, verbis exprimam, qui præsens interfuit, remque totam non modo summa diligentia, & cura peruestigauit, sed veluti pertractauit. Eius igitur hæc verba sunt ex Epistola quam scripsit super toto miraculi huius successu ad Ioannem Franciscum Bonhomium tunc in Heluetia, & conterminis diœcesibus Nuncium Apostolicum. *Operatus est dominus hoc anno* CIↃ.D. LXXX. *die* X. *Aprilis, quæ erat Dominica in Albis, in quadam virgine, quæ iter ad hoc Sacellum beatissimæ virginis instituerat, tam insigne, ac illustre miraculum, vt merito ad gloriam* DEI, *eiusdemque cælorum, & terræ Reginæ honorem ab hæreticis vindicandum, simul & ad fidei Catholicæ confirmationem præceteris, quæ in magno fiunt numero, quantum potest, evulgari, ac toti mundo denunciari debeat. Id est huiusmodi. Vtznachium opidum est, & Comitatus apud Heluetios ad caput lacus Tigurini, inter Comitatum Tog-*

genburgen-

genburgensem, & dominia Vindeckense, & Marchiense situ, sex circiter horas ab hoc nostro Monasterio distans, qui olim Comitum Vandelburgensium fuit, modo Suitensibus, & Glaronensibus paret. In illud opidum ante annos circiter septem puella quædam Anna nomine ad hospitale S. Antonij ibi enutrienda amore DEI deducta est, quam parentes adhuc infantem viæ publicæ expositam reliquerant. Vnde neque adhuc aut patriam, aut parentum nomina, genus, aut conditionem comperta habet. Erat hæc puella ab infantia adeò incuruis & contortis pedibus, neruisque contractis, vt paullo grandior, non nisi complicatis genibus, & pedum digitorum extremitatibus serpendo summa tamen cum difficultate progressum facere posset, nec vllo se modo in pedes erigere, aut subsistere quiret. Ideoque, quantum memoria assequi potest, aliquot annos varijs locis Comitatuum Turgouiensis, & Toggenburgensis, antequam ad dictas S. Antonij ædes duceretur, de loco in locum ad Xenodochia, vti in eius generis hominum miserorum, & egentium vsuvenire solet, equis, aut curribus transuectabatur. Vixit vero postmodum annis septem in prænominata S. Antonij domo pie, ac honeste. Interim summo desiderio visendi DEIPARÆ Matris in Monasterio nostro Sacelli æstuabat, loci celebritate ex multorum relatione cognita. Nec quietem prius reperit, quam quod in votis multo tempore habuerat, re ipsa, DEO iuvante, perficere constituit. Quamobrem, Anno, & Dominica prædictis, mane circa septimã diei horam, ceteris domesticis partim in templo ad diuina officia existẽtibus, partim alias absentibus, itineri se accingẽs, nemine conscio, & sui instituti gnaro, per opidum versus Heremum DEIPARÆ repere cepit. Quod vbi seruus quidam forte animaduertit, & quo cuperet ex eius verbis intellexit, eam à proposito dehortatus est, ostensaq; rei, & itineris impossibilitate, si tamen pergere velit, se postero die fore comitem spopondit. Verum illa morã impatiens cæptum iter continuat, cumque iam per paludem opido adiacentem transiret ancilla prænominatæ Antonianæ domus Elisabeth Guggelin nomine de ea re facta certior, puellam indignabũda secuta est,

domum

domum reductura, cui etiã casu intervenit eius dẽ domus seruus Heinricus Sigelin dictus. Js vna cum ancilla, eam domũ reuocans, ni pareat minabatur curaturũ ne proximũ fluuium traijcere queat. Puella adista amarissimas profundere lacrimas, vehementer tristari, lamentari, atq; eiulari, adeo vt fletibus commoti, victique eam vlterius progredi passi sint. Igitur traiecto fluuio, Lindemago est nomen, qui ex Glaronensibus alpibus ortus in lacum Tigurinum haut procul inde incidit, ad antiquum castrum Grinouium peruenit, in eiusdem fluminis ripa situm Svitensium ditionis. Eo in loco à templo ex pago Tuggiano redeuntem obuium habuit cum vxore Barbara Vveberina Ioannem Ianserum Suitensem eiusdem castri præfectum, ac fluminis nautam. Hi, vt eius pariter audiuere propositum miserti puellæ eam difficilis, ac asperæ, longæque viæ, propriæ quoque miseriæ, atque impotentiæ commonefacientes frustra vt gradum reuocaret persuadere conati sunt. Perrexit itaque puella vlterius, & ab illa hora leuamen aliquod & in progrediendo facilitatem quamdam persensit. Cumque iam fere ad medium paludis inter castrum Grinouium, & pagum Tuggianum sitæ venisset, ecce subito ipsi nihil minus cogitanti, aut prævidenti, sit obuius, vti videbatur, vir honestus, longa, eaque alba veste indutus, non admodum promissa, at nigra barba. Contigit vero hoc circa horam duodecimam, quæ Germanis in meridie est, tãtumque puella itineris quinque horis summa diligentia, & labore, difficultateque perfecerat, quantum quiuis integris pedibus vnius horæ spacio facilè emetiri potest. Is vir, vbi ad eam peruenit, primum salutat, deinde & de itinere ac animi voto inquirit, tum manus, salutantis instar, ei porrigens in pedes erectam surgere iubet. Negat illa se hoc posse, conata tamen erigere se, pedes contortos, & contractos nulla ratione extendere valet. Ibi tum continuò vir prædictus læua pedes corripit, dextroque palmo eos à genibus demulcet, deorsum versus, &, cum clara voce protulisset, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, eam manibus attollens è terra ita in pedes erexit, vt iam recta, ac integra, sanaque assi-

stens, vl-

stens, vltra commode incedere posset. Puella præ gaudio, & admiratione obstupefacta ob rei nouitatem se cunctis mortalibus proceriorem existimabat. Nec tamen viri conditionem, aut nomẽ requirere ausa, sui veluti nescia lacrimabatur. Tandem tamen quo signo huius rei hominibus fides facienda sit interrogat. Ad ea vir DEI, haut dubie ex angelorum, aut sãctorũ uumero aliquis, leuiter manu sua dextrũ puellæ poplitẽ percutiens carnis quamdam insolitam circa genu mollitiem reliquit, ac si ossa in carnem conuersa fuissent, quam in hunc vsque diem retinet, atque hoc rei gestæ signum euidens futurum adseuerauit. Post hæc omnia ei denuo manus porrigens & bene precatus, vale dixit, ac iter cœptum ad B. Virginem Heremitanam conficere iussit, simul DEVM sedulo colat, sacro missæ officio, præcipue Dominicis diebus, interesse serio admonuit, hac promissione verba sua confirmans, fore, cum ita se gesserit, vt DEVM semper, dum vixerit, habeat propitium, ac beatissimam eius matrem adiutricem, & advocatam experiatur. His dictis, factisque puellam lætam, sanam, & erectam, aliqualem tamen, propter neruorum subitam extensionem, in eundo difficultatem, quæ paullo post etiam omnino cessauit, persentientem à se dimisit. Cumque vix triginta passus progressa, se rursus, quo vir ille tenderet visura, in tergum vertisset, ecce contra loci naturam, quippe qui amplus admodum est, & arboribus, domibusq;, aut aliis latibulis, quo se quis recipiat, latissime destitutus, eum nullibi apparere, sed prorsus suis ex oculis euanuisse animaduertit. Perrexit itaque agili, ac recto gressu, & illo adhuc ipso die, vastum, horridumque, & altissimum montem Ecelium adscendit, ibique in hospitio à latere Sacelli, quod S. MEGINRADVS annos septem incoluit, sequentem noctem peregit, nemini indicans quid sibi euenisset, multa tamen viatorum probra, & reprehensiones perpessa, quod ita breuibus, ac curtis vestibus impudicè contra quam honestam, & probam deceret virginem, incederet. Vestis enim quæ, ea adhuc humi serpente, ad terram vsque protensa erat, vbi erectum adepta est statum vix ad genua pertingebat. Ea deinde vestis memoriæ,

& miraculi causſa ad Sacellum Virgineum appenſa eſt. Sequenti die lunæ, qui erat XI. Aprilis, ad Heremum B. Virginis peruenit, & in officialis Monaſterij Ioannis Zinggij nomine, domo, quod cum cognoſceret, diuertit. Is vehementer admiratus eam propriis pedibus ſuſtentari, quam prius non vſu modo pedum, ſed omnino pedibus ipſis carere crediderat, rem diligenter perueſtigauit, &, vt geſta, ex ipſa percepit. Poſt hæc puella, vt idem iuſſerat officialis, ad cœnobium ſe conferens, ſacerdotibus ibidem degentibus ſe præſentauit, confeſſioneque de peccatis P. F. Andreæ Zuierio pœnitentiario loci facta, & ſacra Synaxi accepta, totius hiſtoriæ ſeriem per octiduum ibidem permanens omnibus, tam incolis quam aduenis, & peregrinis, clericis, & laicis quam plurimis, ſæpe, & vniformiter palam, & conſtanter declarauit, donec ad ſupradictum S. Antonij Xenodochium, ſana, recta, integro cum pedum vſu reuerſa eſt, vbi etiam ab innumeris hominibus per multum tempus viſitata, ſemper ſibi ſimilis in verbis hactenus eſt reperta. Hæc ſumma eſt miraculi. Et quia factum adeò clarum, & manifeſtum eſt, vt nemo quantumuis hæreſi infectus, quales ſunt circum circa plurimi, illud inficiari, aut negare poſſit, ſunt tamen multi, qui de modo, & circumſtantiis multa mentiuntur. Aliqui monacho albis veſtibus induto adſcribunt, ignari hoc omnium mortalium vires longe ſuperare, & non niſi à ſolo DEO naturæ auctore fieri poſſe. Mentiuntur alij, & vt à DEO factum concedant, ideo tamen in itinere ſanatam, ne ad locum illum idololatricum, vt impie loquuntur, ipſa accederet, ſed illo vnde abierat, remigraret, contra ipſius puellæ claram, & publicam confeſsionem, quæ non tantum non domum redire, ſed iter ſuſceptum porro conficere ab eo viro DEI iuſſa ſit. Neque tamen etiam defuerunt maioris impietatis rei, qui, vt olim Chriſti liberatoris noſtri miracula Iudæi, cacodæmoni hoc quoque adſcribere non ſint reueriti, qui tamen eadem naturæ leges propria virtute infringere, aut miracula naturæ vires excedentia patrare minime poteſt, & non modo ad pietatem incitare neminem ſolet, quin potius nihil non moueat quo homines ab ea abſtrahat, & impe-

diat. Ex-

diat. Excepta sunt hæc ex ore puellæ, & bona fide annotata à nobis F. Huldrico Vuituuilero Administratore, & Decano, ac toto Capitulo Cœnobij B. Virginis Mariæ in Heremo Heluetiorum, die festo S. Georgij martyris, eodem quo supra Anno Domini nostri M. D. LXXX. Hucusque Administrator noster, & paullo post Abbas Vldaricus. Sed vbi hanc epistolam recepit Nuncius Bonhomius rei nouitate, & miraculi magnitudine attonitus, mox erga DEIPARÆ cultum, & gloriam magis, magisque incensus subito calamum & ipse arripuit, & insigni latino poemate, qua erat vena, & facundia, totam hanc historiam commendauit, & ad Carolum Cardinalem Borromæum archiepiscopum Mediolanensem, quem modo inter sanctos magnis eius meritis colimus merito, & veneramur, transmisit, super alias, ea maxime de caussa, quod paucis ante annis simul, cum non pauca Longobardica nobilitate hanc eamdem nostram Heremum voti, & relligionis caussa visitauerant, & in recenti memoria, & veluti ante oculos eius situm, & loci deuotionem habebant, & prædicare numquam satis poterant. Sed hanc ipsam etiam historiam prosa oratione, eodem ferme tempore, tradidit, publicauitque Antonius Guarnerus Canonicus Bergomensis, sparsaque eius est quam longissime, & latissime fama. Alia fuerunt, vt diximus, plura sub idem tempus, & deinceps, admiranda miracula, quæ volente Deo, alio in opere commodius explicabuntur. Eiusdem quando prope ingratitudinis est, qua vna omnia simul vitia comprehenduntur, DEI omnipotentis, & eius glorioſissimæ matris tam rara, & insolita erga genus humanum beneficia, & contra naturæ vim, cursumque opera non agnoscere & confiteri, quam agnita, & manifesta, quantum humana mens capit, non celebrare, & meritis laudibus attollere, atque propagare.




VLDARICVS III. ABBAS HEREMITARVM XXXIIX. PRINCEPS IMPERII VICESIMVS PRIMVS.

ADMINISTRAVERAT Vldaricus parœciam Heremi annos XXII. Decanum egerat biennium, &, postquam Adamus secessit, Curatorem Monasterij eiusdem legati Apostolici auctoritate, sexennium cum cura, & industria, quo faciliorad Principatum aditus fuit. Sixtus V. pontifex eius dignitatem ratam habuit absque precio. Consecrauit frequenti vicinitatis conuentu Balthasarus episcopus Ascalonensis Suffraganeus Constant. nono kalend. Septembris, Diui Bartholo-

mæi Apostoli memoriæ consecrato A.D.N.CIↃ.D.LXXXVI. In Principatus initio eamdem quam prius, cum Curatorem ageret, reædificandi Monasterij, & vtriusque basilicæ curam habuit, magnamque partem perfecit, mox istas preciosis omnis generis ornamentis, & clinodijs illustrauit. Postremo æri alieno dissoluendo, quod antecessores, aut ipse ad mitigandas necessitates contraxerant, operam impendit, eius haut minimam summam expunxit. Interea & per ista augendi Conuentus, & bonarum literarum haut inferiorem rationem habuit. In huius album plures eximiæ spei adolescentes cooptauit, numquamque frequentiorem, aut ornatiorem multis retro actis temporibus Conuentum Monasterium habuit, etsi maxima incidisset eosdem per annos annonæ caritas. Ex ijsdem adolescentibus alios in Germaniæ Dilingam, Friburgum Brisgoiæ; alios in Italiæ Academias Mediolanum, Papiam, Bononiam destinauit, nonnullos in Heluetia retinuit, & in Societatis IESV Gymnasijs literas colere iussit, nullis hac quoque in parte parcens sumtibus, licet ingentes impensæ per fabricam, & instaurationem, ornatumque continuarentur, & procederent. Prorsus singulari pietatis, prudentiæ, mansuetudinis, & industriæ cõmendatione annum Principatus decimum quintum impleuit. Obijt anno seculari Millesimo, Sexcentesimo, Sexto Idus Octobris. Electus post eum magno consensu Augustinus Hoffmann Aquensis, qui Decanum gerebat, non sine summa approbatione, lætitiaque, & congratulatione Ioannis ex Comitibus Turrianis Episcopi Veglienſis, Nuncij per ea tempora in Heluetia, & vicinia Apostolici, qui vt Heremi nostræ eximius semper fautor, & amator exstitit, ita de tota Heluetia, vniuersisque suæ curæ, & muneri commissis diœcesibus promeritus est, vt facilius sit eius laudes admirari, quam verbis exprimere, adeo in eo omnia fuere, & sunt, quæ ad magni antistitis, neque nostri, sed illius antiqui, & purioris, sanctiorisque æui gloriam, & commendationem pertinent, siue oris facundi-

diam, morum, & vitæ integritatem, munificentiam, & liberalitatem, postremo & cum admirabili comitate incredibilem auctoritatem intueare, cuius proinde apud nos gratissima, & glorioſissima memoria iure merito semper erit. Electio Augustini facta XV. Octobris sequentis, ætatis eius anno XLIV. cum Subpriorem annum vnum, Decanum X V. egregia cum laude, & omnium satisfactione egisset. Confirmauit sequenti anno Clemens VIII. pontifex max. Infula induit, inunxitque idem Ioannes Episcopus Veglienſis Apostolicus Nuncius. Quo etiam anno priuilegiorum, & regalium confirmationem ab Rudolfo II. Imper. impetrauit, illique, & Imperio Pragæ per legatum fidei, & obsequij sacramentum, tamquam Princeps Imperij, præstitit VIII. Octobris.



AVGVSTINVS I. ABBAS HEREMITARVM XXXIX. PRINCEPS IMPERII VIGESIMVS SECVNDVS.

PERVENIMVS ad te, AVGVSTINE Reuerendissime, & Illustrissime Pater, & Princeps, cuius maximè auspicijs hoc tantum æquor arandum sumsimus, & tibi placendi, obsequendique cura irremissa, & cupiditate immensa tandem confecimus, non paucis interea, vt scis, paruisque negotijs, & auocamentis, tamquam importunis vadis, & infestis scopulis retenti, conflictatique. Fuerit sanè tuorum hac in dignitate antecessorum in excolenda, ornandaque Heremo, tectis con-

stituendis,

ſtituendis, aut ampliandis labor haut exiguus, & impẽdium, dum tua non ſit opera, gloriaque inferior. Tu nempe illorum memoriam, geſtaque, & ellogia denſiſsimis obliuionis tenebris, maxima ex parte, condita, ac ſepulta, in clariſsimum, & numquam interiturum literarum ſplendorem efferri, prodique, & meritis laudibus celebrari voluiſti. Quo facto, & honoranda ipſorum memoria nõ modo confirmaſti tuam, ſed penè incertum feciſti, plus tu illis debeas, qui Heremum ab ijs talem acceperis; an illi tibi, qui, ne in Heremo incogniti, & incerti, & ignobiles penè omnes jacerent, effeceris. Sed poſteaquam ſuper alia præclara ædificia, & ornamenta eximia, etiam Bibliothecam locupletiſſimam, & exquiſitiſsimam magno ſumtu, & ſtudio exædificaſti, comparaſtique, tum vero demum huic nobiliſsimo corpori, quod vnum poſt tot infeſtiſsima incendia, quibus librariæ opes magnæ, ac raræ pariter in cineres abierunt, hactenus deſiderabatur, veluti animam omnium pulcerrimã infudiſti, illudque conſecutus es, vt cum aliorum ædificia, monumenta, & opera finem forte metuere poſsint, tua memoria vna cum literis immortalitatem promeruerit, & jam adepta ſit. Tu ab prima adoleſcentia in Heremo eductus, & inſtitutus per omnes penè honores ita virtutis viâ enixus es, vt jam tum ſupremæ dignitatis capacẽ iudicarent, cum in inferioribus verſarere. At verò vbi Principatum obtinuiſti, ea tui nominis fama præualuit, vt in exornanda, augẽdaque tua dignitate nihil ſummi terrarũ monarchæ Pontifex Maximus, & Imperator invictiſsimus, & Imperatoris fratres Sereniſsimi intermiſerint, tamquam ſui erga te amoris, & adfectus certamen inſtituiſſent. Macte his geſtis, & laudibus, Pater, & Princeps optime, perge, vige, proſpera, & vna cum literis literarum columen, literatorum Patronus flore, & perenna, decori, & amori tuorum, præſidio literatorum, literarumq;, & tuæ perpetuitati.



VITA S. MEGINRADI EX ANTIQVISSIMIS MANV SCRIPTIS MEMBRANIS NOSTRAE BIBLIOTHECAE SVMTA, ANONYMO QVIDEM, SED, MEO IVDICIO, BERNONE AVCTORE.

DICTVRVS venerabilis viri MEGINRADI heremitæ, & martyris paſsionem, & obitum, libet parumper reflectere ſtilum, atque quo tempore doctus, vbi, & vndè, quo, vel cui traditus primum ad diſcendas litteras, ſub quo Abbate monaſticam vitam ſubierit ſeruandam, qualiter etiam à fraterna acie ſingulare certamen Heremi adierit breuiter prælibare. Regrediar ergo ad ſingula quæ propoſui reſoluenda plenius.

Temporibus Caroli glorioſiſſimi Imperatoris Fran-

corum, qui primus inter ipsos Cæsaris nomen accepit, prædictus vir in Alemannia natus est in pago, quem ex villa Sulichgeuue vocauit antiquitas. Parentes vero eius ex Alemannis fuerunt morum nobilitate magis conspicui, quam diuitijs perituris. Qui cum iam eam attigisset ætatem, qua aptari posset litterarum studijs, à patre ducitur ad insulam, quam veteres Sindlochesaugiam vocabant, à nomine cuiusdam presbyteri, qui Sindloch appellatus, primo in ea habitacula monachorum constructit, & secum Pirminium cum socijs ad habitandum eò induxit, iussu Berchtoldi nobilissimi Alemānorum Ducis, temporibus Pippini Regis Francorum, suoque ex nomine nomen indidit insulæ. Huc ergò puer præfatus a patre ductus, commendatur viro per omnia honestissimo Erlebaldo monacho: qui etiam prædicto puerulo propagine carnali affinis fuit. Is cum infantulum bonæ indolis conspiceret, gratanter nutriendum suscepit, studiose docuit, atque eo vsque imbuendo perduxit, vt sanctarum scripturarum scientiam infudisset. Nam puer à primæua ætate iocos, atque errores, quibus tenerior ætas implicari solet, vitauit, atque ad ea mentem occupauit suscipienda, quæ docuerat magister. Cum autem vicesimum quintum ætatis annum attingeret, ad Diaconatus officium, & non multum post ad presbyterij gradum, faciente eodem suo magistro, sublimatus est. Fuit autem tunc temporis, regnante Ludouico Cæsare, filio Caroli, in ipsa insula abbas nomine Hatto, vir valde in doctrina, & operibus bonis, morumque nobilitate fulgens, qui & Basileensis Ecclesiæ præsul extitit. Quo actuosæ vitæ negocia respuente, atque ad contemplatiuæ vitæ pulchritudinem se transferente, præfatus Erlebaldus cum licentia Ludouici Cæsaris electus ab omnibus, prædictæ insulæ, & fratribus præficitur, atque in abbatis officium substituitur. Qui statim hac potestate susceptа, iam sæpe dictum virum venerandum MEGINRADVM, suasit iugum suscipere, normamque monasticæ vitæ subire tenendam. Consensit ergò salubri consilio, & promissionem fecit, atque omni intentione studuit promissa seruare,

promptus

promptus semper ad obediendum, in jeiunando strictus, in oratione assiduus, in misericordiæ operibus largus, & maxime humilitate substratus omnibus. His dum polleret moribus à præfato abbate destinatus ad cellulam quamdam, ad iam dictum monasterium pertinentem, sitam iuxta lacum Turicinum, quem interfluit Lindemacus fluuius, vt ibidem scholæ præesset, & talentum, quo ipse ditatus erat, ad lucra Dominica in plurimos dispergeret. Aliquantulum temporis fluxerat, eo in his detento. Quadam die sumpsit secum scholasticos, quos nutrierat, & prædictum lacum transnauigans intrauit Heremum, quæ ipsius laci littori adjacet, & vsque ad Alpes Penninas tendit, atque ad villam Chama, caussa piscationis, & ad loca Heremi intuenda. Perueniunt itaque ad fluuium quemdam, qui in ipsa decurrit solitudine: ibique vir beatus, ad piscandum occupat comites, ipse vero in consideratione solitudinis solus spaciebatur. Accensus enim erat nimium amore solitariæ sedis. Qua consideratione dum mentem diu pasceret, redijt ad socios, invenitque eos non parua præda piscium oneratos, quos taliter affatur: *Gratias largitori qui nos suis misericorditer ditauit donis. Iam filij, si placet redeundum est proprios inuisere lares.* Regrediuntur, villamque deueniunt non longe à littore sitam. Ibi cuiusdam matronæ hospitium intrantes, paululum quieuerunt reficientes se cibo, & potu. Vir autem DEI prædictam matronam cernens DEI timore plenam, & ad obsequendum hospitibus promptissimam, ardorem sui animi occultum ei aperuit, his verbis incipiens. *O cara Christo femina, si velles audire secretum cordis mei, tibi manifestarem: sed antequam id agam posco vt verba mea, atque voluntatem occultes, quousque cernas, si possit opere compleri, quod credo me devota mente concepisse. Habitatione huius Heremi vltra omnes diuitias delector, cuperemque iam in ea collocare mansiunculam meam, vt familiarius possem precibus vacare, si quempiam reperirem, qui necessaria corporis mihi ministrare ob* DEI *amorem vellet.*

Sed quia ad huc hoc ſolatio defraudor, poſco interim occultari, quod cupio.

Illa à DEO inſpirata (vt credo) reſpondit. *Secretum tuum nulli te nolente reuelabo: noueris autem, ſi in cæpto perſiſtere vis, me neceſſaria propter Dominum tibi miniſtraturam, & quantum poſſum tuo voto ſatisfacturam.*

Ille promiſsis rependens gratias repedauit ad cellam vnde digreſſus eſt, ibique ieiunijs, & orationibus continuis à DEO popoſcit, vt quidquid de hoc negocio ei placuiſſet, in ſuo animo confirmare dignaretur. Tandem confortatus diuina inſpiratione reliquit cellam, ſcholamque cui præerat, & reuiſit hoſpitam ſuam, explorare volens vtrum in ſua promiſsione perſiſtere vellet, an non. Quam dum in præbendo ſibi promiſſo ſolatio perduraſſe ſenſiſſet, non longe ab ipſa villa, in qua eadem femina cõmanebat, in Heremo ſibi habitaculũ conſtruxit, atq; ibidem ieiunijs, & orationibus indefeſſus creatori ſeruiuit, neceſſaria præbente ei prædicta matrona, nec non & alijs religioſis viris. Ibi dum per ſeptem annos ſuperni regis militiam exegiſſet, multitudinem populi ad ſe venientis ferre non valens, mutauit locum, atque à prædicti laci litore quatuor millibus diſtantem reperit planitiem inter montes acceſſu valde difficilem. Ibi adiuuantibus viris religioſis, & maximè quadam abbatiſſa * Heilvviga, nomine, neceſſaria voti ſui conſtruxit habitacula, atque in eodem loco, quod reliquum erat vitæ permanſit, ſemetipſumque maximis macerans ieiunijs, & quantum humana fragilitas permiſit ſine intermiſſione orauit.

* *al. Hildegarda.*

Quæ ſibi à fidelibus viris, & feminis mittebantur, cuncta ad ſe venientibus in eleemoſinam erogauit. Accidit autem inter hæc, vt, quadam die eo orante tanta multitudo dæmonum circa illum vndique diffunderetur, vt nec ipſam lucem diei, hiſdem tenebrarum miniſtris obtenebrantibus, cernere poſſet. Qui cum eum minis terribilibus, & horrore nimio fatigarent in oratione proſtratus, vt res poſcebat, cum omni ſtudio ſe pio Domino commendabat. Quod cum diu ageretur, cernit ab Oriente lucem, quam lu-

cem ſe-

cem secutus Angelus, ad ipsum, vbi in oratione iacebat, in medio malignorum spirituum peruenit magna auctoritate agmini nefando præcepit vt discederent, nihilque tentationis, & terroris ei vltra inferre auderent. Discedentibus itaque hostibus prædictus eum Angelus amicabiliter consolatus, discessit, acque ab ipso die (vt vir venerabilis referebat) nil terroris vltra à malignis spiritibus sustinuit. Accidit etiam postea, vt quidam Frater de prædicto monasterio cum visitationis gratia adierit. Quem benignè suscipiens cum socijs, qui cum illo venerant, cuncta, quæ hospites decebant, quantum possibilitas permisit, benigne exhibuit. Cum vero iam tempus vespertinum venisset, & sidera splendentia suaderent somnos refecerunt se dulcibus collationum colloquijs, atque post Completorium ierunt dormitum, in loco seperato frater qui advenerat, seorsum etiam eius comites; nec non & ipse venerabilis vir in priuata mansiuncula.

Paululum ergo reficiens corpusculum somno vir DEI surgit, atque assuetis incubat pervigil precibus. Prædictus etiam frater licet in strato quiescceret, penè insomnem duxit noctem. Dum autem huc, vel illuc, iuriosè verteret oculos, cernit puerum in albis vestibus ab ipso oratorij loco progredientem miræ pulchritudinis, vt ei visum est ætatis septem annorum, qui ingreditur ad virum ipsum DEI, & cum eo orante orabat, & diuersa cum eo loquebatur. Cuius collocutionis licet prædictus frater vocem audisset sensum tamen eiusdem vocis non percipiebat. Qui etiam puer ipsi fratri plene vigilanti astitit, atque de quibusdam monuit, quæ omnino frater ille sibi interdicta esse ne in palam proferret, dicebat. Supprimo multa breuitati studens, quæ de eo miranda plurimorum narratio certa demonstrat.

Cum ergo in ipsa Heremo vicesimum sextum annum ageret seruiens Domino in iejunijs, & abstinentia cunctarũ mundaliũ rerum, contigit eo inspirante, qui serpẽtem intrauit, & per os eius protoplastos decepit, & de paradiso eiecit, duos homines caussâ eum occidẽdi cellam illius properare.

Qui cum veniſſent ad villam quamdam, in Tigurini laci littore ſitam, rogauerunt ſibi monſtrari quæ pars pervia eſſet adeundi cellulam eius. Quod cum eis monſtratum eſſet, mature per noctem ſurgentes aggreſſi ſunt monſtratum ſibi iter, agitante qui eos impleuerat, teterrimo ſpiritu. Diu tamen erronei à recto tramite, ducēte ad ipſam cellam dæmone, tandem vexati, quo volebant, peruenerant, maxima iam parte diei elapſa. Ipſe vero ſolitis orationibus incubans miſſarum deuotè ſolennia libabat creatori. Prius autem quam in ipſam cellam maligni intraſſent (quorum vnus vocabatur Richardus, eratque genere Alemannus: alter vero Petrus, qui Rhetianorum natione procreatus eſt) pulli, quos vir venerandus eodem in loco nutrierat, eos in proxima venire conſpicientes, quaſi à vulpe inſequerentur, per Heremum diffugerant, clamore inſolito, & ſtrepitu inaudito ſiluam reſultante echo complentes, ita vt etiam ipſi latrones hac de re multum mirarentur & obſtupeſcerent, atq; ad prodigium hoc pertinere, propriæ mentis decernerēt iudicio. Attamen à cepto non diſtracti, aggrediuntur capellam, in qua vir DEI, vt prædictum eſt, orationibus Dominum ſibi placabat profuſis, corpusque Dominicum vt præſcius futurorum ad viaticum obitus ſui puro corde, ac devota mente ſuſceperat. Iamque vir DEI vt ſenſit adeſſe peremptores ſuos, non tamen ſe eis ſtatim præſentauit, ſed modicum adhuc differens clauſum oſtium ipſius capellæ non aperuit, vt aliquantiſper in oratione adhuc demorari potuiſſet. Strenuè ergo orationem compleuit, capſasq; ſingulas reliquiarum manu ſuſcipiens, & deoſculans cōmendabat agonem ſuum Domino, & ſanctis, quorum reliquias complectebatur reuerenter.

Hoc qui aduenerant maligni per foramen quoddam parietis eum agentem inſpiciebant. Iamq; athleta fortis, DEO confortante, pugnaturus egreditur, præſentiamq; ſuam non negat occiſoribus. Ac primum ſalutationis verba ad eos proferens; poſt intulit. *O ſocij cur tam ſero veniſtis? Quare non maturaſtis venire ad audiendū paruitatis meæ miſſam, vt pro vobis communem Dominum deprecarer?*

Sed

Sed vel nunc intrate, poscituri placabilem nobis fore Dominum, & sanctos eius, ac postea reuertimini ad me, vt quid donante DEO *vobis benedictionis præbere valeam, impertiar pro eius amore, sicque complete opus, ad quod agendum venistis.* Intrantes igitur oratorium, non ad id, ad quod suadebantur, intenti; sed ad malum, ad quod venerant perpetrandum continuo regrediuntur ad eum. Quibus vir DEI tunicam, & cucullam suam dedit, panem insuper, ac potum addidit, dicens. *Hæc de manibus meis percipite, postquam vero compleueritis, ad quod agendum venistis, potestis horum quæ adsunt, per vos tollere, quod cupitis. Scio enim quod ad occidendum intrastis, sed vnum à vobis posco beneficium, vt dum præsentis vitæ cursum in me terminaueritis candelas, quas inspicitis, quas etiam ad hoc ipsum formaui, vnam ad caput meum ardentem, & aliam ad pedes ponite, & cito postea ab hoc loco discedite, ne à superuenientibus, qui me visitare solent, constringamini pœnas luituri sceleris vestri.* Confestim igitur Richardus prædictus, pollutis manibus, beatum virum medium comprehendit, ac tenaciter maceratum ieiunijs corpusculum brachijs strinxit, socioque minaciter iussit, vt sanctum fuste percuteret. Qui cum diu eum feriendo circa latus, & suras debilitasset, sancto extendente palmas ad Dominum alter intulit dicens. *O segnis cur eum in caput non percutis vt plagam mortalem suscipiat. Quam si tu tardas inferre ego citissime illaturus sum.* Confestimque fuste apprehenso ictum librabat in caput vehementissime. Hoc modo vir sanctus plagatus semiuiuus in terram corruit, & illi continuo in eum irruentes guttur eius suffocant manibus, quousque exhalasset spiritum. Egrediente autem iam anima, in ipso tractu nouissimæ exspirationis, tãtæ suauitatis odor prodiens, totum cellulæ locum compleuerat, ac si omnium pigmentorum odoramenta ibi diffusa flagrarent.

Postea vero nudauerunt eum veste, qua erat indutus, & portantes posuerunt in lectulum, quo vir DEI requiescere

solebat. Nudo suppositorum filtrum, supponentes etiam & quædam fragmenta, atq;, vt viuens vir DEI rogauerat, candelas sumpserunt, vnam ponētes ad caput, cum alia currebant ad ipsam capellam, lumen inde allaturi, quod in eodem oratorio iugiter ardebat. Repedantes vero ad corpusculum defuncti, invenerunt clare ardentem, quam posuerant, candelam extinctam. Tantus autem eos continuo invasit timor, vt nihil contingere de rebus ad altaris officia pertinentibus auderant. Vestes, ac stramenta quædam lectuli eius sumentes, festine repedabant vnde digressi sunt. Eis autem inde fugientibus, corui qui more solito ad famulum DEI viuentem venire consueuerant, ac præbendam de manibus eius suscipere, quasi vindicare cupientes extinctum, sequebantur latrones, vocibusque grandisonis replebant siluas, & quam proxime poterant capitibus eorum aduolantes, prodebant perpetratum nefas. Non multum post ipsi maligni comprehensi sunt, & quod occulte perpetrauerant, patefactum est scelus, nolente DEO differri peccati pœnam, quam meruerant in occisione serui DEI. Etenim iudicibus, & populo Christiano sub Comite Adalberto eos ad hoc decernentibus viui incensi sunt. Candela autem, quam ad caput viri DEI posuerant, & quæ cælitus accensa est, ardebat vsque ad stramenta, quæ superposita fuerant defuncto corpusculo. Quorum etiam partem ipse ignis invasit, & peruenit vsque ad membra defuncti. Quæ dum attigisset, sicut deuinitus accensus fuerat, ita etiam DEI nutu extinctus est. Ilico autem diffamatur de morte eius. Qua comperta, venerabilis abbas VValtherus, & fratres sub ipso degentes, corpus viri DEI, exipsa Heremo auferentes, atque ad monasterium Augiam deferentes, ibi digno sepelierunt honore. Passus est autem S. Martyr duodecimo Calend. Februarij, anno ab incarnatione Domini octingentesimo sexagesimo tertio, regnante Ludouico Rege in orientalibus Francis, anno vicesimo octauo regni eius.

VITA

VITA S. ADELHEIDIS IMPERATRICIS OTTONIS I. IMPERATORIS CONIVGIS, QVAE CVM MARITO PRAECIPVA FVNDATRIX MONASTERII nostri exstitit.

Ex ms. codice Biblioth. nostræ Heremitanæ.

IN huius igitur ætatis nostræ temporibus cuncta disponens, totius honoris, & honestatis largitor Dominus, primo Ottone in sceptris feliciter agente, Romanæ Reipublicæ in fæmineo sexu præstitit venerabile decus. Multorum etenim bonorum tunc accidentium, atque virtutum post DEVM auctrix, diuæ, celebrisque memoriæ Adalheida exstitit imperatrix. Quam cum memoriæ succedentium scriptis commendare

satagimus

satagimus, timeo ne digne reprehendamur, ideò, quia tantæ nobilitatis atque virtutis materiem, minus idonei paupere stylo explicare conamur. Quisquis nos reprehenderit, vt pote reprehensione dignos, siue propter incultum sermonem, seu propter rem nouiter incœptam, & propter naturalis eloquij simplicitatem, sciat procul dubio, sciat, quia non invitauit nos ad hoc humanæ laudis appetitus, sed veræ, & sinceriſsimæ charitatis affectus. Si abhorrere vis, vt quippe merito debes, lector, noſtri ingenioli ruſticitatem, attende ipſius, quam commendare cœpimus, mentis, & corporis nobilitatem. Si enim exſpectare vis virum tanta eloquentia, vel ſapientia præditum, qui huius feminæ poſſit conuenienter deſcribere vitam; neceſſe eſt aut Cicero Rhetor reuocetur ab inferis, aut Hieronymus presbyter tranſmittatur ex ſuperis. Si enim ille ſanctus, & incomparabilis in diuina, & humana ſacer Hieronymus fuiſſet iſtius Auguſtæ temporibus, ſi Paulam, & Euſtochium, Marcellam quoque, & Melaniam, Fabiolam quoque, & Bleſillam, Lætam, & Demetriádem ſepties percuſſam commendare curauit libris, & epiſtolis, commendaret vtique iſtam haud voluminibus paucis. Si enim deeſt talis vt Hieronymus, aut aliquis alius, liberalibus diſciplinis adeo eruditus, qui poſſit digne tantæ feminæ mores, & vitam deſcribere adgrediamur nos indocti, DEO iuuante, pro poſſe.

HÆC Regio, & religioſo ſtemmate orta, cum adhuc iuuencula eſſet, & ſextum decimum ætatis ſuæ ageret annum, DEO donante, adepta Regale matrimonium iuncta ſcilicet Regi Lothario Hugonis ditiſsimi regis Italici filio, ex cuius contubernio filiam habuit, ex qua Lotharius Rex Francorum Ludovvigum Regem genuit, qui ſine liberis mortuus, regio more, Compendio dignoſcitur fuiſſe ſepultus. Supradicto vero Lothario, ante annum circiter tertium, poſtquam dominam Adalheidam duxerat, defuncto, remanſit ipſa viduata viro, deſtituta maritali conſilio. Affuit ei perſecutio mordax, quæ ſolet purgare electos velut aurum fornax.

Non er-

Non ergo accidit ei tale quid proprijs exigentibus meritis, sed, vt credimus, potius ex accidentibus diuinæ prouidentiæ donis. Affuit ei, vt vere fatear, nutu diuino, exterius corporalis afflictio, ne intus cremaret eam, vt pote iuuenculam incentiua carnis libido. Voluit enim eam Dominus tot verberibus atteri, ne secundum sententiam Apostoli Pauli, *viuens esset vidua in deliciis mortua.* Voluit enim eam paterno affectu tot pati pericula, ne esset indigna illa filiatione diuina, de qua loquitur scriptura: *Castigat Dominus omnem filium quem recipit.* Sæpe etenim inde DEO gratias referebat, & cum familiaribus conferebat, quanta, & qualia tunc temporis passa fuerat, & quam misericorditer eam Dominus de manibus inimicorum suorum liberauerat. Iudicabat enim opportunius sibi fuisse, vt ad tempus temporalibus fuisset occupata anxietatibus, quam viuens in delicijs perpetuæ mortis esset subdita legibus.

Postquam enim mortuus esset Lotharius vir eius, honorem Italici regni adeptus est quidam vir nomine Berengarius, qui habebat vxorem nomine VVillam; à quibus innocens capta diuersis angustiata cruciatibus, capillis cæsariei distractis, frequenter pugnis exagitata, & calcibus, vna tantum comite famula. Ad vltimum tetris inclusa carceribus liberata diuinitus postmodum, ordinante DEO, Imperialibus est sublimata culminibus. In ipsa nocte qua educebatur de carcere, incidit in cuiusdam harundineti paludem, vbi per dies, & noctes sine cibo, & potu mansit perseuerans, auxilium à DEO sibi subuenire deposcens. Tali cum esset detenta periculo, venit quidam subito piscator cum limbo, deferens in nauicula piscem, qui vocatur sturio. Quas cum vidisset, interrogauit, quæ essent, aut quid agerent ibi. Dederunt sibi responsum secundum instantem necessitatem satis congruum. *Videsne quod hic humano consilio destitutæ, & quod durius est solitudine periclitamur, & fame? Si potes, aliquid victus nobis impende; sin autem minus, solatium nobis præbe.* Qui misericordia motus super eas, sicut ipse, à quo mittebatur, fuerat quondam super pauperesin

deserto

deserto fame periclitantes Christus dixit eis, *Nihil nobis adest ad victus necessaria, nisi tantum piscis, & aqua.* Habebat ignem secum, sicut solent illi, qui piscationis exercent negotium. Accensus est ignis, præparatus est piscis, sumpsit cibum Regina, seruiuit piscator, & famula. Dum hæc ita agerentur, superuenit quidam clericus, qui eius fuerat captiuitatis, & fugæ socius, nuncians adesse exercitum militum armatorum, qui eam cum gaudio accipientes deduxerunt secum in quoddam inexpugnabile castrum.

Postea enim consultu Italicorum Principum, præueniente DEI gratia, de solio regni peruenit ad arcem Imperij. Hæc enim Augustarum omnium Augustissima nominari, & venerari est digna. Nemo ante illam ita auxit Rempublicam, ceruicosam Germaniam, ac fœcundam Italiam, has cum suis Principibus, Romanis subdidit arcibus. Ottonem Regem nobilem Romæ præfecit Cæsarem, ex quo genuit filium imperio digniſsimum. De nobilitate carnis satis dicta sufficiant. Nobilitatem verò mentis quo modo, vel qualiter excreuit, nemo mortalium dicere sufficit. Sed vt pro modulo compendiosè loquar,

Spes, fide certa, gemina caritate referta,
Justa satis, fortis, prudens, nimiumque modesta
Extitit, & vixit felix, dum secula rexit,
Auxilio Domini moderantis climata cosmi.

Prolata tamen Salomonis sapientis famina, huic sanctissimæ conueniunt feminæ. *Manus suas*, inquit, *aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis. Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi, byssus, & purpura vestimentum eius. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. Fortitudo, & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Considerat semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam. Multæ filiæ con-*

gregauerunt diuitias tu supergressa es vniuersas. Hæc enim quæ de ea dicimus, non modo auditu, sed & visu, & experimento cognouimus. Multa ab ea salutis verba audiuimus, plurima dona suscepimus. Sæpe enim indigentes nummo, fecit esse diuites auro, carentes enim aliquando cottidianis sumptibus, fecit esse claros honoribus. Hæc enim ad decorem mundi, primi,& maximi Ottonis, toto orbe famosisisima coniunx, , & ad profectum multorum Imperatorum genetrix illa meruit benedictione potiri, quam meruisse legimus Tobiam in eiusdem patris volumine perfrui, videlicet, vt videret filios filiorum vsque in tertiam generationem.

Postquam enim Augustissimus Otto vniuersæ carnis ingressus est viam, Augusta cum filio Romani Imperij, feliciter diu gubernauit Monarchiam. Sed postquam, diuino nutu, ipsius Augustæ meritis, & industria solidatum fuerat Romani principatus imperium non defuerunt viri iniqui, qui inter eos nisi sunt disseminare discordiam. Quorum deceptus adulatione recessit corde Cæsar à matre. Si commendaremus litteris, quanta, & qualia tunc passa sit temporis, derogare videremur speciem tanti generis. Non enim debemus perstringere stylo, quod cito sedauit humilis satisfactio. Filium diligens, auctores discordiæ ferre non valens, secundum Apostoli præceptum, dans ad modicum iræ locum, paternum decreuit expetere regnum, vbi à fratre, scilicet, Rege Chonrado, & nobilissima Mathilde eius coniuge benigne,& honorabiliter est suscepta.

Tristabatur de absentia eius Germania, lætabatur in aduentu eius tota Burgundia, exultabat Lugdunum quondam Philosophiæ mater,& nutrix, nec non & Vienna nobilis sedes regia. Postmodum vero Cæsar Otto ductus pœnitentia, direxit regi auunculo legationem, & sanctæ recordationis patri Maiolo sub celeberrima festinatione, obnixius deprecans, vt gratiam matris, quam, proprijs exigentibus culpis, perdiderat, eorum interuentionibus promereri posset, orans iterum, & obsecrans, vt quantocius possent,

vna cum Augusta matre Papiam ei studerẽt occurrere. Tantorum enim virorum vsa consilio, apud Papiam tempore constituto occurrit mater filio. Quo cum mutuo se cernerent, flendo, & lachrimando, toto corpore solo prostrati, humiliter se salutare cæperunt. Affuit in filio humilis pœnitudo; erat in matre liberalis remissio; permansit in vtrisque de cetero perpetuæ pacis connexio.

Non post multum vero temporis vnico orbata est filio, cui successit tertius ex Græca genitus Otto. Igitur recidiuis diu afflicta verberibus, non possumus enarrare per singula, quot, qualiaq; post mortem filij sibi successerunt incõmoda.

Licet illa Imperatrix Græca, sibi, & alijs fuisset satis vtilis, & optima, socrui tamen Augustæ fuit ex parte contraria. Ad postremum vero cuiusdam Græci, aliorumq; adulantium consilio fruens, minabatur ei quasi manu designando dicens, si annum integrum supervixero, non dominabitur Adelheida in toto mundo, quin possit circumdari palmo vno. Quam sententiam inconsulte prolatam diuina censura fecit esse veracem. Ante quatuor hebdomadas Græca Imperatrix ab luce discessit. Augusta Adalheida superstes, felixque remansit.

Perseuerabat autem discrimina mundi lugens, & deflens, curam tamen Romani Imperij necessario gerens. Otto vero tertius vnici sui filius à primatibus regni felicissime, & honestissime educatus, nihil erga illam egit, nisi quod illum, & illam decuit. Idcirco meritis auiæ, & industria Primatum Romani Imperij adeptus est principatum.

Ab ipsa enim ætate primæua iam dicta Imperatrix multa ab extraneis, siue à domesticis fuerat perpessa, vt possit dicere cum Propheta: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea*, & ceter. Dicebat enim sæpe illud Apostolicum: *Existimo enim quod nõ sunt condignæ passiones huius tẽporis ad superuenturã gloriã, quæ reuelabitur in nobis*. Et alio loco, *Si cõpatimur, & cõregnabimus*. Et iterũ, *si fuerimus socij passionũ erimus & consolationis*. Multis bonum pro malo reddidit, & secundũ Apostoli præceptũ peccantibus in se ante solis occasum dimisit.

Nihil

Nihil ex obiectis iniurijs sibi reseruabat, sed totum Domino committebat; sciens esse à Domino dictum per Prophetam; *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Parcite, quæso, quibus pepercit, & dicamus pro tempore quibus in aduersitatibus, quibusue studijs in prosperitatibus seruire contendit. Quot enim inprimis cum Cæsare, inde cum filio, & filij filio, Ottonum, videlicet, & Augustorum, & Cæsarum, DEO annuente, possederat regna, tot ex proprijs sumptibus ad honorem Regis Regum condidit monasteria. In patris vero Rudolphi, videlicet, & nobilissimi regis, & Domini Chonradi fratris regni loco videlicet Paterniaco, vbi matrem reginam vocabulo Bertham DEO in omni humilitate deuotam, sepulturæ tradidit, in honorem DEI genitricis monasterium condidit, & sanctissimo Patri Maiolo, suisque successoribus, sua munificentia, & fratris sui Chonradi regis præcepto ordinandum perpetuo commisit. Postmodum in Italia iuxta Ticinensem vrbem monasterium à fundamentis incæpit, & ad honorem Saluatoris mundi honorifice, imperiali auctoritate, & sua largissima donatione perfecit, ac iam dicto Maiolo ordinandum regulariter tradidit. In Saxonia vero post discessum iam dicti Reipublicæ Principis, cooperante vnica, & sapientissima, & prudentissima filia sanctimonialium cænobijs plurima contulit dona.

Ante duodecimum circiter annum obitus sui, in loco, qui dicitur Salsa, vrbem decreuit fieri sub libertate Romana, quem affectum postea ad perfectum perduxit effectum.

In ipso enim loco Monasterium à fundamentis miro opere condidit, & ad honorem DEI, & Apostolorum Principis, tertio imperante Ottone, videlicet, nepote suo, in præsentiarum secum astante, quarta decima Kalendas Decembris augustissime, & deuotissime à VVilderaldo Argentinæ ciuitatis Episcopo consecrare iussit. Et vt maiori auctoritate per succedentium temporum curricula esset ille sacer locus subnixus, cum præfato Cæsare est etiam

Episcoporum conuentus à sæpe dicta, & sæpe dicenda Adalheida Augusta ipsius Cæsaris auia conuocatus. In ipso etiam Monasterio clastrum monachis satis aptum præparauit, & secundum regulam S. Benedicti ordinare decreuit. Abbatem ibi præfecit nomine Ezzemannum, boni testimonij virum, humana scientia, & diuina sapientia doctum, quem in diuinis litteris habere voluit assidue præceptorem. Ipsum vero locum adeo ditauit, & nobilitauit prædijs, ædificijs, auro, & gemmis, vestibus preciosissimis, alijsque varijs ornatuum supellectilibus, vt nihil deesset illo in loco DEO famulantibus. Quatuor quos supervixerat annos Creatori suo sua, seque dando, pauperes Christi, & seruos sibi acquisiuit amicos, vt non temporalia deficerent in æterna tabernacula eam susciperent.

Cum igitur summis Reipubl. fascibus implicata teneretur, varijs miserorum, & inopum anxietatibus subsidia præbere non dedignabatur. Cumque mirificis, vt imperiali dignitati congruebat, valeret corpus decorare indumentis, & preciosissimis caput redimire gemmis, talibus nolebat se implicamentis grauare, sed aut pauperibus largienda decernebat, aut Dominicæ crucis vexilla, & Christi Euangelia exinde adornari præparabat, sedula existens imitatrix sui Redemptoris, qui cum esset omnium altissimus, humanitatis abiecta non est dedignatus. Innumeris præterea tàm Canonicorum, quàm etiã Monachorum, & sanctimonialium Cœnobijs circumquaq; per diuersas orbis partes constitutis, plurima largiebatur beneficia, quatenus DEO famulantium agmina eius munifica dapsilitate recreata, liberius sibi, Reipublicæ diuinitus conferenda implorarẽt suffragia. In cunctis enim quæ gessit, Iustitiæ formam tenuit, cõmunem liberalitatem seruauit, credens procul dubio eum Iudicem futurum, quem & occulta nõ fallant, & indecora offendant, & honesta delectent. Quapropter Iustitia videbatur excelsa liberalitate gratissima, beneficẽtię opera locans super Christum, quem beatus Apostolus ponit fundamentũ, intelligens prudẽter fidem esse fundamentũ omniũ virtutum.

Vsa est ergo perfecta liberalitate, vt silentio, quantum valeret, opus suum tegere, & necessitatibus singulorum cuperet subuenire, quatenus eum non labia sua, sed Christi pauperum laudarent ora, vt & iam in ea impletum videretur, quod beati Iob voce profertur: *Benedictio perituri in me veniebat.* Diligenti illud consideratione perpendere studebat iuxta ipsius vatis assertionem vt ab eius tecto nunquam vacuo sinu pauper exiret, vt talibus intenta commercijs adquirere valeret in terra viuentium, hæreditatem supernæ sortis.

Iam, iamque vltimo ætatis anno cum non lateret eam, vt credo, exituram de seculo pacis vt semper, amica, charitatisque causa paternum adijt solum, fidelibus nepotis sui Rudolphi Regis inter sese litigantibus, quibus potuit, pacis fœdera contulit, quibus non potuit, more solito sibi, DEO totum commisit. De cetero quàm studiose, quàm deuotissime loca Sanctorum curauit visitare non est nostræ facultatis euoluere. In ipso namque tempore Monasterium Paterniacum adijt, quod ab ipsa ad honorem DEI Genetricis pro remedio animæ suæ matris ibi requiescentis tam ex suis, quã maternis rebus condidit. Et quod tunc temporis in temporali necessitate fratribus ibi DEO famulantibus defuit, vt semper erat solita, manu largissima submiistrauit.

Accidit tunc aliquid nouum, quod huic operi iudicauimus inserendum. Fatigata exitinere non potuit manu propria solito more eleemosinam dare pauperibus, & vocauit vnum de fratribus, qui vice sua nummos daret pauperibus. Ex eius iussu ventum est ad pauperes. Excedit numerus pauperum numerum denariorum. Timuit minister minus habere, quam indigentibus posset sufficere. Quid multa? affuit Augustæ meritis virtus illius, qui

Panibus ex quinis satiauit millia plebis,
Multiplicatis denariis recesserunt pauperes cum munere lati.

Egressa inde locum Augaunensium petijt, vbi rupes felicissima martyrum millia retinet corpora. Quanta cum deuotione, & cum reuerentia magni martyris Mauritij, sociorumque eius expostulauit suffragia? Quot eius ibi fuerunt suspiria, quot luctus, lachrymarum flumina? numquam, vt reor, fuerunt vlla peccamina, quæ tunc non mererentur æterna remedia. Si enim respiceres Augustæ faciem excedere crederes humanam effigiem, quam si aliquid aliud labijs promeret, nihil aliud crederes, quam, propheticum illud euoluere: *Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Quæ fuit eius maxima tribulatio pro cunctis à lege DEI declinantibus charitatiua compassio, vt posset dicere cum Propheta: *Defectio tenuit me pro peccatoribus.* Et cum Paulo: *Quis infirmatur & ego non infirmor?* Et cetera: Ita deplorabat aliorum peccata, qualiter multi non possunt propria deplorare discrimina. Lætabatur in grauitate, & profectibus præteritorum, tristabatur cottidie in defectibus præsentium, maximeque futurorum. Cum enim de futuris dico, prophetiæ spiritum procul dubio eam habuisse denuntio. Id esset enim in sermone defectus, nisi essem publico documento expertus.

Cum enim esset ab illo sacro loco egressura, & secum staret in angulo Ecclesiæ orationis gratia, quidam nuntius venit ad eam ex Italia Franconem VVangionensem Episcopum nunciauit Romæ fuisse defunctum. Et quia vir boni testimonij erat domina Augusta valde eum diligebat, sicut & omnes bonos diligere solita erat. Et statim vt eius obitum audiuit, ex familiaribus, qui aderant, vnum vocauit, & vt pro domino preces effunderet humiliter rogauit: & quasi in excessu mentis ita exorsa est dicens. *Quid faciam, Domine, vel quid dicam de illo seniore nostro, & nepote meo? Peribunt, vt credo, in Italia multi cum eo, peribit post ipsos, vt timeo, heu misera, Augustæ indolis Otto, remanebo omni humano destituta solatio. Absit, ô Domine*

Rex seculorum, vt videam superstes tam lugubre dispendium. Tunc videres Augustam toto corpore solo prostratam non minus eam toto mentis adnisu cælo intentam, & quasi iam martyris Mauritij vestigia inuenisse, ac lymphatico ore perlingere. Post paululum vero ab oratione surrexit, munera martyribus, eleemosinam dedit pauperibus.

Dehinc Geneuensium abijt vrbem, desiderans videre victoriosissimi Victoris martyris aulam. Inde Lausoniam venit, ibique memoriam DEI Genetricis deuotissime adorauit. Quibus in locis à Rege, & Episcopis, suis videlicet nepotibus, honorabiliter suscepta deuenit in vicum qui vocatur Vtba. In ipso enim vico aliquandiu demorata, egenis supervenientibus, & miseris, quotquot potuit suppeditauit necessaria: cum Rege, & Principibus patriæ pacis, & honestatis conferens negotia, inde etiam sacris locis diuersa, & varia direxit donaria. Quæ enim Ecclesia, quæ Monachorum coenobia, sibi affinitate, vel vicinitate coniuncta, quæ non mererentur habere eius dona, vel xenia? Et vt parua de multis dicam, ipso tempore, quo instabat sibi dies supremus beatissimum Patrem Benedictum, exiguis, tamen proprijs visitauit muneribus. Nec non & beatæ recordationis Patrem Maiolum, cælesti gloria iam coronatum, quem dum in hac vita subsisteret præ cunctis mortalibus illo ex ordine diligebat. Non enim oblita Cluniacum adeo sibi familiare coenobium. Ad restaurandum igitur beatissimi Confessoris Christi Martini monasterium, quod non multo ante fuerat igne combustum destinauit transmittere non modicum argentum, & ad honorem altaris partem vnici filij sui Ottonis Augusti chlamidis. Vt enim ad memoriam reducamus eius dulcissima verba ad eum cuius officio mittebatur ait inter cætera. *Obsecro charissime, obsecro, vt ita alloquaris sanctissimum Confessorem meo obsequio: Accipe sacerdos* DEI *parua munuscula quæ tibi delegauit Adalheida seruorum* DEI *ancilla, ex se peccatrix, dono* DEI *im-*

peratrix. Accipe vnici mei Ottonis Augusti chlamydis partem, & ora pro eo ad ipsum quem veste diuisa vestisti in paupere Christum.

In illo die, in quo supradicto loco erat exitura, vna, eademque hora nobis peccatoribus astantibus, & exemplum perfectæ humilitatis reliquit, & prophetiæ spiritum non arroganter, sed humiliter se habere ostendit. Erat quidam ibi in præsentia ipsius monachus, qui licet esset indignus Abbas vocari, ab ea tamen putabatur alicuius momenti. Quem cum inspiceret, & ipse eam esset intuitus, cæpit vterque flere vberius. Dicam eam tunc plus fecisse, quam si dicam multos sanasse infirmos. Vestem enim satis incultam, qua erat indutus, humiliter apprehendit, & sanctissimis oculis, & sereniſſimæ suæ faciei osculando impressit, eique familiariter & cum silentio dixit: *Memento mei filij in contemplatiuis, & scias me non amplius te visuram corporalibus oculis. Cum enim humanis rebus excessero, orationibus fratrum animam meam committo.* Inde per iter, quo venerat, peruenit ad locum vbi, DEO ordinante, decreuerat sibi parari sepulchrum.

In ipso igitur vltimo sui temporalis cursus itinere, erigebat se in quantum valuit, super se, vt diuinæ contemplationi, spreto secularium turbine, libere posset insistere. Familiaris rei negotium erat sibi etiam importunum. Transegerat iam strenue Liæ, & Marthæ satis laudabilem actum, optabat appetere Rachelis, & Mariæ desiderabile otium. Itaque lectionibus intenta, assidua orationibus, respuebat terrena, inhians tota mente cælestibus. Et si aliquis eam de secularibus negotijs interpellaret, non ad hoc responsum dabat, sed Apostolicum illud lugens in corde voluebat: *Misera ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et secura de spe diuinæ retributionis aiebat: *Gratia DEI per IESVM Christum.* Deinde cælesti edocta magisterio deuenit ad locum vbi vltimum spiritum erat redditura DEO.

Instabat enim dies in qua deuotio annua agebatur pro filij sui Ottonis Augusti memoria. Confluxerant ad eam ex adiacentibus locis, vt semper faciebant, pauperum plebes. Erat ei consuetudo talis, vt in amicorum, & familiarium suorum anniversarijs spirituale donatiuum suis spiritualibus erogaret militibus, eleemosynam dico, Christi pauperibus. Erat autem indigentibus multitudo ordinatim in loca constituta, ad quos ipsa venit, & exemplo Abrahæ Patriarchæ DEVM inter illos esse non dubitans, humiliter adorauit, & oblita infirmitatis suæ, super vires suas tentauit aggredi, singulis manu propria tribuit, & quos miserabiliores vidit vestimenta, vel alia munuscula dedit. Finito isto spirituali negotio, à quodam venerabili Archiepiscopo Missas petit celebrari pro filio. In ipsa enim nocte à febre corripitur, & per aliquot dies, ingraue-scente mole infirmitatis, ad extremum vsque deducitur. Adhuc autem pro posse erat intenta in oratione, & oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere. Resumtis aliquantulum viribus corporis, muniri se rogauit attentius mysterijs Ecclesiasticis. Tum sacri olei vnctione pervncta sacramentum Dominici Corporis humiliter, & deuotissime adorando percepit, in quem semper sperauit, & credidit. Talibus fulta præsidijs, talique pasta conuiuio, dixit senioribus qui astabant, & Clero, vt Psalmos pœnitentiales cantarent, & nomina Sanctorum, more Ecclesiastico, recitarent. Quo facto, cum psallentibus spallebat, cum orantibus orabat, vsque ad illum locum, vbi DEVM sibi adesse precabatur propitium. Erat enim sciens cum sorore Moysi tenere tympanum, & chorum: cum Dauide chordas, & organum. Sed assumptis cymbalis benesonantibus sequentibus agnum tota iam versabatur in iubilum.

Anno igitur instante ab incarnatione Domini millesimo desiderans videre vnum nescientem occasum in atrijs Domini super millia dicebat sæpe cum Apostolo. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Præstolans etiam in præsenti-

arum

arum cum ſpirituali lætitia eiuſdem Domini noſtri IESV Natiuitatis feſtum cum ſextum decimum diem ſolueret December felix, & ipſa feliciter, depoſito carnis onere, euolauit ad purum puriſsimi ætheris fulgorem. Erat enim ei cum domeſticis grauis iucunditas, cum extraneis honeſtiſſima grauitas, in pauperibus vero infatigabilis pietas, in honorandis Eccleſijs DEI affluentiſſima largitas, erga bonos perſeuerans benignitas, contra impios liberalis ſeueritas, in appetendis timor, in proſperitatibus vera humilitas, in aduerſitatibus patiens longanimitas, in victu cottidiano ſobrietas, in veſtitu etiam mediocritas, in lectionibus, & orationibus, & in vigilijs, & jeiunijs aſſiduitas, in dandis eleemoſynis vna, eademque voluntas. Nulla eam de nobilitate carnis præpediebat elatio, nulla ex poteſtate ſibi à DEO conceſſa ad ſe trahere poterat humanæ laudis cupido, nulla de exceſſibus proprijs maleſuada ei dominabatur deſperatio, nulla de honoribus, delicijs, & diuitijs mundi in eam principabatur ambitio, ſed comitabatur eam in omnibus omnium virtutum mater diſcretio. Eratque ei in fide ſecura firmitas, in ſpe firma ſecuritas. Sed, vt verè fatear, quæ, & quanta, & qualis fuerit eius vita, clareſcentibus ad ſepulcrum eius miraculorum prodigijs, virtus patefecit diuina.

Quia ſuperiori ſtilo euidenter patet, quanta ſedulitate beatam Martham hæc DEI ancilla imitaretur, oportet etiam aliqua ſupernæ ſpeculationis iudicia proferre, quibus ſororem eius Mariam perfectius aſſecutam poſsimus conijcere. Inſuper facili intelligentia capere valemus, qualiter ipſa corpus ſuum, iuxta Apoſtoli præceptum, caſtum, & pudicum ſeruando templum DEO promeruerit pleniter effici. Nam cum per omne vitæ tempus regalibus diuitijs, & dignis ſuo generi facultatibus abundaret, carnem à primæuo viduitatis tempore cilicio edomans, atque mundanæ gloriæ culmen mentis deſpectu conculcans, Chriſto ſoli, videlicet, & Iuſtitiæ per cæleſtis contemplationis deſiderium in tantum aſtare cognoſcitur, vt cum ſuaui voce pſal-

miſtæ

mistæ concordaret, qui bonum suum non regni delicijs frui, sed DEO inhærere conclusit.

Quadam vero die cum ad refectionem corporis cum honorabili frequentia tam Clericorum, quam Laicorum consederet, iamque purissimæ epulæ necessitati omnium satisfacerent, vti mos est sanctarum mentium, pro declinando fauore, alia foris ostendere, & alia intus agere, ipsa simulata intentione edentis, cultrum manu diutius tenuit, sicque non ad suam voluptatem, sed ad aliorum voluntatem conuiuium protraxit. Tunc subito faciei colore cum mentis habitu permutato, ferrum de manu super mensam decidit; atque in hoc non insolentiæ notam accidisse, sed mira quædam per diuinam reuelationem sensisse cum suspirio innotuit. Omni vero turba, quid hoc protenderet, admirante, nec quærere præsumente, illa ad Euangelicæ perfectionis decorem cælauit multitudini secreti dignitatem, solumque Augustensem Episcopum nomine Dudonem sibi pro vitæ meritis familiarem, iugique obsequio in hærentem, tali dignata est præfatione. Nunc pater venerabilis multa opus est vobis consolatione, vestræ occidentalis matrinæ Ecclesiæ lapsus est, diuina dispositione. Tanta vero iactura non magis vestræ prudentiæ sollicitudinem ad restaurationem sui ingerit, quam pro vestra vexatione, siue communi damno Ecclesiæ vestræ menti mœroris nebulam intulit. Sed simul consolari vos in diuinitatis tranquillitate iubeo, & persuadeo, quæ sine mutabilitatis vicissitudine solus in accessibile lumen inhabitans omnia quodammodo moueri pro nostro reatu permittit; sed plena ad integritatis statum ineffabili sua clementia reducet. Præsul vero tam præsagio, quam rerum damno perturbatus tempus præfatæ ruinæ diligenter notauit, nunciumque pro experienda ratione, reique veritate Augustam festinanter direxit, cuius relatione casum contigisse, & horam conuenisse iuxta DEI famulæ præfationem cognouit.

Alio quoque tempore huic præsagio simile prodigium

ab ipsa patuit, quod tanto magis admiratione dignum extitit, quanto & loco, & tempore rei euentu fuerat diuersum. Filius namque illius Romanæ reipub. Princeps electus dum illam Græcam in thalami consortium suscepisset, eius prauo ingenio & deteriori consilio deceptus regnum Græcorum conatus est adipisci. Igitur exercitu ex omni copia ac conatu collecto fines Italiæ excessit, atque ita Regi Græcorum patrandi belli occasionem dedit, sibi vero, suisque famæ, ac vitæ contulit amissionem. Interim pia mater eius die, nocteq; diuinis cultibus insistens felicis Annæ viduæ deuotionem procul dubio impleuit & iuxta Canonicā regulā omni diligentia exhibuit viduitatis obsequia. Quadā vero die orationis studio pro vnici filij salutet, otiusq; regni statu obnixius intenta, dum se viuam hostiā, more solito, stans ante Crucifixum Deo mactaret, rapta in extasi humanis visibus æstimabatur præmortua. Ad se autem post horam reuersa, quid viderit memori mente tenebat, fatumque præfatæ pugnæ in spiritali sibi visu præmonstratum, non rem dicendo, sed bonorum cædem condolendo innotuit. Ex his quidem signis patenter potest colligi, quali puritate animi fulgeret, imo quanta libertate spiritus Christo seruiret occultius, cui cum Prophetis futura Dominus reuelauit, cum Patriarchis fidem roborauit, cum Apostolis Euangelij perfectionem edocuit, cum Martyribus tribulationum tolerantiam tribuit, cum Sacerdotibus Ecclesiæ curam indidit, cum Virginibus sacris sanctissimæ mentis sinceritatem auxit, familiarem sui præsentiam cum Monachis ostendit, & cum Apostolicis discipulabus, dico viduis, à Petro, & Paulo electis, & religionis officio deputatis in terris deuotione prędicauit, in æterna gloria sublimauit. Curationum vero in tantam gratiam per beneuolentiæ meruit opera, vt sicut egenorum inopiam eleemosynarum largitate subleuauit, ita etiam infirmorum, & debilium sospitatem potenti munere restauraret. Sed mirum in modum humanam cognitionem vitandæ insolentiæ causa fugiens, tantique muneri largitori secreto mentis pla-

cere gesti-

cere gestiens, aut omni modo furtiua celeritate signorum efficaciam rapuit, aut si qua suorum scientiam præterire non potuit, ne vsquam leui sermocinatione dilatarent, illam nimirum sententiam gentium Doctoris vigili sub corde voluens: *G*loria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Et quod ipse Dominus dextræ opus à sinistra celari præcepit, simplici prudentia, in omni conuersatione adimpleuit. Tamen vrbs super montem posita haud potuit esse in omnibus occultata. Vnius namque signi flagrantia ad nostram peruenit notitiam, cuius patrandi potentiam plurimarum virtutum docemur existere causam.

Quodam vero tempore cum cælesti meditatione occupata in conclaui sederet, omnisque arbiter, excepto claudo abesset, villicus nomine Huozemannus fide, & taciturnitate illi acceptus pulchrorum malorum attulit munus. Quod serenissimo vultu, vt hilaritatis amica fuit, accipiens, vnum ex multis excepit, ceteros seruatori huiusmodi rerum præsentari præcepit. Sed casu accidente pomum à manu longius prolapsum est, quod statim claudus reportare iussus obsequium renuebat, quia scabella, quibus ingressum simulabat, domina retinebat. Illo vero reluctante, rationemque debilitatis rationabiliter pro inobedientia reddente, tandem sanctorum domestica ante venerabiles reliquias quas in conspectu suo iugiter positas adorare solebat, caput reuerenter inclinauit, suosque dominos secum velle, vt claudus ambularet, affirmauit.

Mox citius dicto surrexit claudus ab imo,
Parens obsequio, sit sanus corpore toto,
Et iussus tanti retinere silentia signi
Gaudia prodebat, nec gratia tanta latebat.

Igitur eo tempore, quo migrauit beata à seculo Herimannus Dux Sueuiæ, qui patris illius Chonradi filiam in coniugium acceperat, hæreditario iure res ancillæ DEI ad monasterium pertinentes occupare volebat. Sed ipsa illi

& cunctis in circuitu degentibus manifestis indicijs comprobat, quod nullum hæredem præter Apostolos, & eis seruientes monachos relinquebat. Erat tunc temporis forte apud eumdem Ducem quidam recenter visu priuatus, qui olim arte flebotomandi edoctus, & ea causa beatæ reginæ gratia largius est vsus. Quia vero illius beneficentiæ nimietatem, sanctitatisque claritatem experimentis didicerat orandi studio ad sepulchrum eius veniens in adiutorium suum precibus, & fletibus eam invitauerat. Cumque per omnem septimanam sacri corporis locum obsecrationis instantia frequentaret, vna vice fessus, & tristis super pauimentum residens, præ tædio languentis animæ perfusus est somni humore.

Tum illi S. Adelheidis per somnium admodum reuerendo vultu, vltra humanam speciem decora, manifesta apparuit. Quare dominus eius Herimannus priuatas res Apostolorum suæ iniustæ ditioni vsurparet, terribili voce quæsiuit. Illo autem ignorantiam confitente, vel potius tyrannidem Ducis adnectente, Vide, inquit, vt si nostris meritis sanitatem oculorum recipias, nostræ etiam legationis fidus interpres Principem adeas, planoque sermone huiusmodi prauitatem omnino deponere cum signo edoceas, sin aliter, me, meosq; dominos bissenos Apostolos, totius scilicet iudices orbis, proprium ius persequi sciat, vltionisq; ineuitabili ictu sese, cum suis flagellandum prædiscat. Cum his dictis statim evigilans homo visionis, & allocutionis memoria lætificatus, pedes recedentis vsque ad sepulchrum est prosecutus, vbi toto corpore prostratus tam diu orationi deditus iacuit, quousq; chorus monachorum Missæ officia celebrauit. Vt vero primum cantor Introitum inchoauit, cæcus lumen recepit, atq; gaudia sua cantantibus commiscuit. Confestim miraculo per sonitum campanarum intimato ab omni populo concurritur, D ii famula veneratur, lucisque repertor, immo facturæ reformator ab omni sexu, & conditione conlaudatur. Post hæc luminis adeptor testimonij, legationisque iiunctæ non immemor, Dominum

ſuum gratulanti curſu reuiſit, quid in ſomno præmonitus eſſet explicuit, ſuique inluminationem teſtatur diuini examinis eſſe argumentum, ſi ipſe, aut aliquis potentum, ſiue quælibet perſona vlterius in Eccleſiaſtica beneficia glorioſæ in Domino feminæ præſumeret damnum inferre. Ita Dux timore perculſus quidquid iniuſto incepto contra DEI voluntatem in DEI famulæ rebus deſipuit, emendare curauit, addiditque prædicto monaſterio prædium ad conficiendum ſat vtile ſitum videlicet ad oppidum Marſile.

Dignum vero relatione nobis videtur quomodo Henricus Rex, Georgij Martyris ſingularis cultor, huius ſanctiſſimæ etiam viduæ ſupplex fieret adorator. Nam cum ad præfatum locum adepto imperio veniſſet, forte contigit vt ibi poſito lecto pauſaret, vbi ſanctiſſima anima carnis ergaſtulo ſoluta eſt. Itaque Imperator tantæ infirmitatis mole perculſus eſt, vt lecto ſurgere non valens ſuorum diuerſa ingenia conquireret, quid de tanti, tamque ſubiti doloris caſu ſentirent. Omnes quidem vna voce dicebant, illius ſacri loci reuerentiam talis incommodi cauſam. Hæc ipſe ſecum diu volutans, & ſi quo alio modo venerandam Auguſtam offenderet retractans, & pœnitentia ductus, ad ſepulchri ſacellum ſe portari iuſsit. Et quia illius merita ſine Apoſtolici decreto, Clerique conſenſu celebrari non licuit, prædicto in loco beatæ MARIÆ oratorium ſe conſtructurum promiſit, atque Abbatem illius cœnobij, ſicut ipſa conſtituit, ab Imperatoria ſeruitute abſoluit.

Sub idem tempus venit ad eundem locum quidam eques temerarius, qui dum pauperis cuiuſdam bene receptus hoſpitio eſſet, paruam eius ſupellectilem diaboli inſtinctu male tractare aggreſſus eſt. Inter alias quidem iniurias, quas hoſpiti ſuo ingeſſit, aues domeſticas occidit, alienaque ſubſtantia fecit ſibi parari cibaria. Magiſter vero domus in preces, fletusque, cum vxore profuſus rogauit inprimis hominem parcere ſibi per Ab-

Abbatem Dominum ſuum, poſtremo per ſanctæ Adalheidis reuerentiam implorauit deponere tantam proteruiam. Ille procacitatis incepto perdurans, immo maiora mala accumulans, Ego inquit, viuus in hac nocte tui, tuorumque dominor, Adelheida vero mortua impotens eſt tibi præſtare tutamina. Nec mora pro tanta calumnia ſuperne flagellatus, dum male partum cibum feſtinaret ſumere, cæpit etiam manus, & cetera membra mandere. Statim pro ſui impotentia, & furoris noxa ligatus per eiusdem noctis ſpacium mentis, & corporis durum pertulit vinculum. Sed cum prima luce trahentium manibus ad ſepulchrum Chriſti famulæ invitè adductus ſanitatem ſenſuum in fratrum præſentia recepit, quia illa pijſsima offenſionem, quam vindicabat potenter, poſtmodum pœnituro indulſit liberaliter.

Quædam ſanctimonialis femina vocabulo Eruovvela, cum à prima ætate claudicaret vtroque pede, in proximo anno memorabilis tranſitus Auguſtæ ſera lætificata eſt ſalute. Et quia huius virtutis opinio populares aures attigerat prima, totius plebis conuentus effectus eſt admodum lætus, anusque ipſius manibus Crucem, & cereum imponens per diuerſas diſcurrendo Eccleſias laudes celebrauit deificas.

Nec hoc taciturnitate prætereundum eſſe videtur, quod ob illius dilatanda merita cuidam ignoto homini contigiſſe dignoſcitur. Qui dum per ſiluam iter haberet, quæ ruſtico vocabulo nuncupatur Bivvald, forte ab equo iuxta paſcente vſque ad oppidum Salſenſe comitatus eſt. Quam ob rem apud quemdam potentem nomine Hermonem furti accuſatus eſt, qui eodem tempore cum prædicto imperatore Heinrico illuc venerat. Ille de incertis certam ſententiam proferens, iuſſit hominem miſeris modis flagellari, ſpoliari, excæcari. Mox aduena cæcatus, leuans ad cælum mentem, & manus, Si ego, ait, furti, dolique innocens immerito tanta mala perpeſſus ſum, tu ſancta Adal-

heida redde mihi tuis precibus,& meritis visum. Posthæc cuiusdam viri Bennonis nomine domo,& cura receptus, post paucos dieslenito dolore ad precioſi thesauri thecam accessit, testificansque sui innocentiam, oculorum sanitatatem recepit. Idem tamen medietate oculorum pupillæ diuisa, vera cæcitatis postmodum ostendit vestigia.

Inter cetera vero donaria, quæ S. Petro contulit hæc sanctorum domestica, existebat quædam familia pagi Nosthgovve nuncupati accola. Quam dum quidam proterua præsumptione sibi, suisque posteris mancipare tentaret, nulloque pacto repugnantem edomare sufficeret, vnum istiusmodi generis Penzonem dictum incautius excæcauit apprehensum. Quem post aliquantos dies quidam videre resciscens, denuò captiuans tandem altius omnem eruit visum. Nec mora cæcus cruento,miserandoque vultu turpatus, adhuc crudo vulnere monachos adijt, Dominæ suæ venerabile sepulchrum petijt, rituque rusticæ simplicitatis exprobrare cœpit illi causam tantæ calamitatis. Ergo non ante à fletu,& planctu eam incusando cessauit, quam integritatem pupillarum cum lucidissimo oculorum officio, quod non invsitatum, sed potius rarum à sanctis scimus, recepit.

Venit etiam de territorio Mettensi quædam femina, cui diuino nutu cæcitatis increuit calumnia. Hæc cum per diuersa loca adipiscendæ salutis appetitu discurreret, istius sanctæ quærere subsidia per somnia admonita est ab ipsa. Dum autem solam oculorum appeteret salutem,gratiam adepta est duplicem. Nam eodem tempore contigit Chunradum Romani Imperij glorioſum Principem cum thori, regnique consorte *Gisila* adueniſſe. Cumque venerabilis regina mulierem illuminatam in præsentiarum cerneret, DEVM bonorum auctorem dignis laudibus magnificans sibique,& consanguineæ Augustæ sanctitati congratulans, personam à beatitudine eius lumine visitatam in suæ liberalitatis susceptit curam.

Fuit etiam in partibus Galliæ potens Comitissa muti filij mater tristis effecta. Pro hac ergo caussa, dum plura circuiret deuote monasteria, tanta virtutum opinione audita, sacrum locum desiderabiliter petijt, trium dierum spacio inibi orationibus operam dedit. Post hæc a dono curationis prolixitate temporis desperata cum ad propria redire disponeret, semetipsam cum puero ante altare prostrauit, quod ad caput viuifici corporis consecratum est. Mater vero lachrimabili prece intenta se solam indignam, & expertem fatetur, spe lætam venisse, sed tristem redire narrat. Puer interim subita soporis quiete solutus est. Qui transacta hora sponte sua euigilans lætus surrexit, matrem veste apprehendit, si hoc sepulchrum sanctæ Adelheidæ esset prima voce quæsiuit, quæ sibi in somno apparens linguæ vinculum resoluerit. Eodem modo matrona præ desperatione discessura reliquum diei duxit illic in lætitia, & pro sospitate filij deuota, & grata fratribus in sanctis suis DEVM collaudantibus obtulit munuscula.

Quidam homo de Burgundia progenitus ab vtero matris ita extitit claudus, & curuus, vt plantæ pedum ad nates, manus vero ad genua conglutinatæ viderentur. Quidum ab hoc infirmitatis incommodo per sancti Sulpicij meritum liberaretur, idem alia calumnia diuino nutu vexari permissus est, vt dum huius pijssimæ, atque sanctissimæ feminæ precibus curaretur, virtus præclarissimi confessoris æquaretur. Contigit huiusmodi hominem apud præfati loci Abbatem Gerbertum piæ memoriæ virum cum reliquorum egenorum turba degere, matutinisque laudibus in festiuitate B. Petri Apostoli vano auditu interesse. Namque malorum, & bonorum immemor, etiam temporis, & loci venerandi contemptor, cœpit cum viris, & feminis miscere verba turpitudinis, sicque cum stultorum conuenticulis fecit impedimenta diuinæ laudis. Tum subito mira celeri-

tate vtraque brachia ſtrictim in terga reſilierunt, ambæque manus eius tanta vi in ſe reflexæ ſunt, vt diſruptis digitorum nodulis aſtantes maderent aſpergine ſanguinis. Nec tamen minoris intus percuſſus eſt ſupplicio, vt pote arreptus dæmone peſſimo, ſicque duplici pœna devinctus, miſerabili ſpectaculo totius populi mouit fletum, & planctus, ſed dum chorus Monachorum DEI laudes per Miſſam celebraret, omnisque plebs mœſtis modis S. Adelheidæ merita precibus prouocaret, tandem nodis brachiorum ſolutis adeptus eſt integritatem mentis, & corporis. Ipſe tamen poſt aliquantos dies mutus effectus, ad ſepulchrum eiuſdem beatiſſimæ matris linguæ recepit vſus.

Temporibus vero III. Heinrici Imperatoris vnius ſigni mirificus claruit eventus, per quem in ſanctorum numero ſpiritalem potẽtiam illam veriſſima argumentatione agnouimus. Quidam vir nomine Burcardus in miniſterio Luitpoldi Mogoncienſis Archiepiſcopi fideliter degens parentelæ ſuæ ſeruili conditione cedit dominio venerabilis Auguſtæ. Cuius vberiſſima benignitate donatum maioribus ſuis prædium hæreditario iure abſque ambigualite poſſidebat, ideoque ſumma deuotione donatricem dominam omnimodis venerari ſolebat. Accidit autẽm, vt Dux Allemannorũ Otto de Svvinvorth, licet iuſtitiæ, aliarumq; virtutum quam plurima exempla ſectaretur, tamen inſatiatæ cupiditatis facibus accenſus prædictum prædiolum ſuæ latiſſimæ poſſeſſionis forte contiguum more Achab, vel potius Iezebelis propriæ ditioni iniuſte vendicare eſt aggreſſus. Ergo homo talem iacturam agrorum violenter, non legaliter eſt perpeſſus, dum humanum præſidium contra tantæ potentiæ culmen deſperaret, recolens animo liberalis doni priuilegium ad donantis dominæ fideliter acceſſit patrocinium, chartulam quoque in præfatam poſſeſſionem conſcriptam miſerabili cultu afferens ſacratæ tumbæ impoſuit, commodo ſonitu campanarum, querelоſaque adclamatione dominam ſuam ſibi dormientem excitare ſe, ruſtico more, aſſeruit,

fratrumque congregationem ſuum caſum miſereri, & ſolatium piæ patronæ incitauit. Igitur fraternæ conſolationis promiſſis delibutus anchora ſpei in tantæ aduerſitatis fluctuationibus domum redijt roboratus. Poſt hæc vero prædicto Duci grauiſsimæ infirmitatis plaga percuſſo beata Adelheida tam ſeuero, quam honeſto vultu, nocturno ſilentio apparens, horribiles minas infernalis incendij potenter indixit, niſi famulo ſuo iniuſtè ablatum citius reſtitueret prædium. Princeps vero tam ſenſatus, quam venerabilis perſonæ inuectiua comminatione tremefactus, iniuriam patientem, calumniamque intolerabilem ſuſtinentem feſtina legatione adduxit, eique amiſſæ poſſeſsionis ius, expoſita prius miranda viſione, & admodum tremenda minatione ſubitæ mortis, & perennis ſupplicij prompto animo redonauit. Extemplo homo tanta damna expertus, & tanta commoda conſecutus, Domino DEO, & S. Adelheidæ condignas grates referens, ad eius Monaſterium gratulabundus feſtinauit, complura donatiua Eccleſiaſticis ornamentis, & neceſsitatibus fratrum accommoda contulit, & relata cauſa, vel modo reſtitutæ rei, nunquam ceſſauit à laude Adelheidæ, & omnipotentis DEI.

Anni voluto tempore, feſtiua lux Adelheidæ, nobis beatæ claruit, quam ſeculum iam reſpuit.

Apoſtolici dogmatis inſtructa didaſcalicis ſic vtitur regalibus, vt vſa non ſit faſcibus.

Fudit opes largiſsimas, donis replens Eccleſias, regni facultas maxima diſperſa pauit agmina.

Martham ſequi decreuerat, amat Mariam pectore, ſecura Chriſtum cernere.

Summo Tonanti gloria æterna ſit, per ſecula, qui nos ſacris ſolennijs iungat polorum gaudijs. Amen.

Oratio ad missam.

Deus qui beatæ Adalheidæ diem concedis venerari solennem, fac nos eius suffragantibus meritis tuis semper obedire mandatis, per Dominum, &c.

Secreta.

Deus cuius filius vnigenitus pro peccatis nostris sacrificium immaculatum in ara crucis seipsum obtulit, da nobis cottidianis intercessionibus B. Adalheidæ tales existere, vt tibi hostia uiua sancta, & immaculata effici valeamus. Per *eundem.*

Postcommunio.

Diuina libantes mysteria quæ pro honore S. Adalheidæ, tuæ obtulimus maiestati, præsta quæsumus, omnipotens DEVS, *vt per eam veniam mereamur peccatorum, & cælestis gratiæ donis reficiamur.* Per Dominum.

Alia.

Omnigena benedictione quæsumus, Domine, benedic nos, & protege, vt qui carnem, & sanguinem filij tui indigni sumpsimus, precibus, & meritis B. Adelheidæ S. spiritu inceſſanter repleamur. Per Dominum nostrum IESVM Christ.

Alia.

Concede quæsumus omnipotens DEVS, *vt qui pondere aggrauamur facinorum, B. Adalheidæ sentiamus suffragium.* Per Dominum nostrum.

Antiph. *Æternæ Trinitatis gloria in vno homine tria coruscant miracula, dæmone fugato, membrorum, linguæque soluuntur vincula.*

Respons. *O decus nobilitatis egregium, O pretiosissimum thesauri cælestis margaritum S. Adalheidis supplicum vota,* Pia *interventrix, adiuua.*

Vers. *In electorum multitudine laude digna, & inter benedictos benedicta.* Pia. *Gloria patri & filio, &c.* Pia.

Hymnus

Hymnus de S. Adalheida
in primis Vesperis.

Anni voluto tempore, festiua lux Adelheidæ nobis beatæ claruit, qua seculum iam respuit. Apostolici dogmatis instructa didascalicis, sic vtitur regalibus, vt vsa non sit fascibus. Fudit opes largissimas: donis replens Ecclesias, regni facultas maxima, dispersa pauit agmina. Martham sequi decreuerat, opus manu compleuerat, amat Mariam pectore, secura Christum cernere. Summæ Trinitati gloria æterna sit per secula, qui nos sacris solemnijs iungat polorum gaudijs.

Hymnus de S. Adalheida, in secundis Vesperis cantandus.

Sancta Adalheida plebi tuæ subueni, & nos ab hoste defendendo protege, sicque deuotos famulantes effice, vt tibi nostrum placeat obsequium, Iuua nutantem ordinem monasticum, succurre clero, & gementi populo, princeps doce sectari iustitiam, ac simul totam sustenta Ecclesiam. Sit Trinitati sempiterna gloria, honos, potestas, atque iubilatio in vnitate cui manet imperium, ex tunc, & modo per æterna secula, Amen

Antiphon. Ad Magnif. *Ecclesiæ generosam filiam laude frequentemus Adalheidam, quæ natalium stemma quod morum compsit elegantia nominis titulat prærogatiua. Huius ergo meritis choris mereamur sociari supernis.*

Inuitatorium.

Regi sponso iubilemus domino: Cuius est in manu S. Adalheidis gloriæ corona, regnique diadema, Venite.

In primo Nocturno.
Antiphonæ.

Beatam Adalheidam ex stirpe regia, velut aromaticam virgulam flores nobiles laturam genuit Burgundia.
Psalm. Domine Dominus noster, &c.

Hanc adultam virtutum germine fœcundam ad regni fasces, fœcunda mox adoptauit Italia. Psalm. Cæli enarrant, &c.

Vbi regio fastu breui potita immatura regis est morte destituta. Psalm. Domini est terra, &c.

Vers. *Diffusa est gratia.*

Respons. *Bonitatis suæ diuitias ab electis suis* DEVS *in præsenti faciens præguſtari. In arcis Romanæ monarchia primo Ottoni beatam voluit Adalheidam sociari.*

Vers. *Vt par pari coniunctum ex binis preciosis metallis vnum fieret electrum.* In arcis.

Respons. *Hæc augustarum augustißima Romanæ Reipubl. multa subministrauit commoda.* Callens consilio, pollens ingenio.

Vers. *Romanis enim subdidit ceruicosam Germaniam, fœcundamque Burgundiam.* Callens consil.

Respons. *Beata Adalheidis fœcunditate carnis in spem regni.* Genuit filium patri æquivoco imperio digniſſimum.

Vers. *Vt gratia* DEI *ad profectum multorum filios videret filiorum.* Genuit. Gloria patri, etc. Genuit.

In secundo Nocturno. Antiphonæ.

Quid inde laborum, quid pertulerit miseriarum nulla mens concipere, nulla valet lingua explicare. Psalm. Eructauit cor. etc.

Affuit ei occulto DEI *iudicio temporalis afflictio, qua purgauit eam splendidius mundo obrizo.* Psalm. DEVS noster. etc.

Animam eius pertransiuit gladius, sed per gratiam salutarem contritus est laqueus. Psalm. Fundamenta.

Vers. *Specie tua & pul.*

Respons. *Piæ recordationis Abbate Maiolo, regeque Chonrado medantibus.* Cito cum matre redijt in gratiam filius.

Vers. *Erat in filio humilis pœnitudo, fuit in matre liberalis remissio.* Cito.

Respons. *Postquam rebus humanis secundus decesserat Otto, remansit Adalheidis cum nominis huius tertio.* Nepote paruulo.

Vers. *Lugens regiæ discrimina domus, disponens regnum cum optimatibus.* Nepote paruulo.

Respons. *O decus nobilitatis, &c.* Vide supra in primis Vesperis.

In tertio Nocturno.
Antiphonæ.

Postquam viam carnis omnis ingressus est Otto; remansit Adalheidis feliciter imperitans cum filio. Psalm. Cantate, etc.

Aderat identidem pia DEI *castigatio, ne cordis feminei lasciuiret exultatio.* Psalm. Dominus regnauit

Sic enim sic Dominus erudit omnem filium quem recipit, vt in prosperis teneatur humilitas, & in aduersis securitas. Psalm. Cantate, etc.

Vers. *Adiuuabit eam* DEVS, *&c.*

Respons. *Inter cetera pietatis, & bonæ actionis insignia diua augusta.* Paterniacum in Burgundia, Salsam verò regali munificentia construxit in Francia.

Vers. *Ibi nobilissimæ matris ossa recondens, hic se tumulandam decernens.* Paterniacum in Burgundia, Salsam verò, etc.

Respons. *Exterius S. Adalheidis proximis communicabat cum Martha.* Interius IESV pedibus adhærebat cum MARIA.

Vers. *In hac lachrimarum conualle disponens ascensiones in corde.* Interius IESV pedibus, etc.

Respons. *Exultatione solemni iucundemur in* DEO

salutari, qui nobis in beata piè prospexit Adalheida. Cuius excellens prærogatiua meritorum solamen laborum & fructum æternorum nobis obtineant præmiorum.

Vers. *Huic ergo deuote nos commitamus, cuius decori virtutum præstitit Dominus.* Cuius. Gloria patri, & filio, etc. Cuius.

Antiphonæ ad Laudes.

Virtute dilectam dominus induit, claudus sanus exiliuit, multiplicatus denarius in opes adæquauit. Dominus regnauit.

Illuminato cæco Dux Hermannus mandato corripitur, invasio beneficijs declinatur.

Regalis dignitas pro temeritate percussa post pœnitentiam sanatur, condignè sacer locus honoratur.

Miles calumnians post dira supplicia soluitur, anus claudicans salute lætificatur.

Familiaris & aduena lumine donantur, loquente muto mater gratulaur, femina Metensis viuificatur.

Vers. *Dilexisti iustitiam.*

Super Benedict. Antiphonæ.

Coniubilans turba fidelis festum celebrans Adalheida, cuius mentem sinceriſsimam prophetiæ spiritus ex præsenti & futuro de proximo tetigit longinquo.

Ad Tertiam Antiphonæ.

Subintroierunt igitur seminatores discordiarum, qui pium matris filijque conturbauerunt affectum.

Ad Sextam. Antiphona.

Beata vero Adalheidis prudens iræ filij cessit, & ad fratrem Cunradum Burgundiæ regem secessit.

Ad Nonam.

Quæ fauorbiliter à fratre suscipitur, ex eius aduentu

in diuina lætatur, Vienna nobilis exultat, Burgundia tota tripudiat.

In secundis Vesperis Antiphonæ.
vide supra.

Ad Laudes. Virtute dilectam Dom. &c. Psalm. Laudate pueri, etc.

Illuminato cæco &c. Psalm. Laudate Dominum omnes gentes, etc.

Regalis dignitas &c. Psalm. Lauda anima mea. etc.

Amore suo languidam dominus sanctam concupiuit Adalheidam, quam & moribus docorauit miris in plenitudine charitatis. Psalm. Laudate Dominum quoniam, etc.

Familiaris & aduena &c. vide supra *in Laud.* Psalm. Lauda Ierusalem, etc.

Vers. *Dilexisti, &c.*

Antiphon. super Magnif.

Hodie regis in laude cælorum resultet curia, dum ex huius reginæ meritis exultat Ecclesia, quæ pie quærentibus apud DEVM *obtinet hominis vtriusque commoda.*

Collegii Societ. Jesu Paderborn. 1694

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
HOC OPERE CONTENTARVM.

A

ABBATES Heremi principum Austriacorum obseruantissimi. 276. Creantur Imperij Principes. 260.

Abbatiscellani in fœdus Heluetiorum recepti. 443

Abdicatio Gregory & Benedicti Pontificum. 373.

Acies in aëre visæ concurrere. 183

Adalricus siue Alaricus Burcardi Allemanniæ Ducis filius religiosus, eiusq; vitæ & virtutum descriptio. 36.

Adalricus Regulindæ filius post matris obitum deserta Heremo Vfnaugiam revertitur. 57. Moritur in Vfnaugia Insula, ibique sepelitur, & miraculis claret. 83.

Adamus quidam nobilis Rhetus maiestatis damnatus, in fauorem Heremitarum ab Othone Imper. absolutus. 53.

Adamus Heer Abbas Eremi eligitur. 461. Abbatiam resignat 465. moritur. ibidem

Adelbero Basiliensis Episcopus Meginradi Cellam invisit: & Sierns Alsatiæ vicum Bennoni donat. 30.

Adelbero nobilis Bennoni succedit in Episcopatu Mediomatricum. 38.

Adelbero Comes Ernestum Allemanniæ Ducem fortuito teli iactu occidit invenatione. 114.

Adelbertus Berengarij filius aduentante in Italiam Othone Corsicam profugit. 65. à rebellibus in Italiam reuocatur. 77

Adelbertus Comes à Caluue Hirsaugiam Monasterium restaurat. 141.

Adelbertus abbas Petri domus seu Petershausen Monasterij. 101

Adelhardus Vlrici Comitis Buchhornensis filius. 33.

Adelheidis Othonis Imperatoris Vxor Cellæ S. Meginradi singularis patrona. 42. Cum Othone F. maritum sequitur in Italiam. 69. Eadem & Imperator præcipui Heremitarum fundatores. 75. Eiusdem fauor & benignitas in Heremitas. 75 apud Maritum Imperatorem pro Heremitis intercessio. ibidem.

Adelheidis Augusta moritur, sepelitur Saletione. 110.

Adelheidis Lotharij regis Italiæ vxor, post obitum Lotharij. à Berengario profligatur, 55. Othoni regi nubit. ibidem.

Adelhelmus Montis angelorum primus abbas. 181. moritur. 189.

Adrianus IV. succedit Anastasio IV. Pontif. 210.

Aduocatis Heremi leges datæ à Lothario Imperatore. 192.

Aedes Deiparæ in Heremo à Burcardo I. Abbate multa sacra supellectile ornatæ. 398.

Aeduardo Angliæ Regi Imperium defertur, quod ipse respuit. 328.

Aeschentianæ Paræciæ media pars empta. 428

Aestatis æstu intolerabili pabuli vndiqu nata ingens inopia. 347.

Agapetus pontifex Max. moritur, cui succedit Ioannes. XII. 58

Ageltruda Rudolphi III. Regis Burgundiæ vidua. 127.

Agnes Gulielmi Pictauiensis Comitis filia vxor Heinrici Imper. 133.

Agnes Austriaca Andreæ III. Hungariæ quondam Regis vidua moritur. 349

Aimo Constantiensis Episcopus moritur. 121

Alaricus Regulindæ filius relictæ Insulæ Vfnaugiæ, transit ad Heremum, ibique custodis officio fungitur. 44.

Alba amnis. 10.

Albigensium haresis compressa. 219.
Albertus Imperator interficitur à nepote suo Ioanne. 279
Alberti Imper. percussores & coniurati puniuntur. 280.
Albertus cognomento Sapiens & contractus superiori Germaniæ præfecit Ioannam sororem. 325. Viennæ obyt. 345.
Albertus Austriæ Dux & Hungariæ Rex Cæsar eligitur. 397. Eiusdem præmaturus obitus. 404.
Albertus Blarerus Episcopus debellauit Abbatiscellanos. 372. Episcopatum abdicauit. 374.
Allemannia ab Hungaris vastata. 57.
Allemanniæ ducatus post mortem Burckhardi III. Othoni, Imperatoris Othonis II. ex fratre nepoti datus. 84.
Allemanniæ Ducum titulus mutatus. 157.
Alexandro II. succedit Nicolaus: sed contra eum Heinricus Imper. III. constituit Codolaum Parmensem Episcopum, quem Honorium II. dixerunt. 138.
Alexandro II. succedit Gregorius VII. pontif. 151.
Alexander III. succedit Adriano IV. pont. 212.
Alexander III. anathemate ferit Fridericum Imperat. 212.
Alexandria Italiæ. 218.
Alexander V. Pontifex creatus. 373.
Alphonsus Rex Arragoniæ conditor Tabul. Astronomicarum. 251.
Ambrosius Bergami Comes iussu Arnulphi Cæsaris suspensus. 23.
Amedeus Sabaudiæ Dux Pontifex pronunciatur. 403.
Americæ inuentio. 436.
Anacletus Pseudo pontifex damnatur. 190
Anastasius III. Pontifex moritur, succedit Cando. 29.
Anastasius IIII. succedit Eugenio Pontif. max. amator & nutritor pauperum cognominatus. 210.
Anno VVormatiæ Episcopus ad Othonem Imper. proficiscitur in Italiam. 69.
Anno Colonienſis Archiepiscopus priuilegium procurat Heremitis ab Imperatore Heinrico III. 139.
Annonæ caritas grauissima. 403
Anshelmus ex Baronibus à Schuande abbas Heremi decimus septimus. 244. moritur. 256.
Antichristum natum esse, cur concionatores & Episcopi nonnulli dixerint tempore Heinrici IV. Imper. 168.
Antiochia capta à Christianis. 164
Antonius, Hilario, Onuphrius inter primos Heremitas celebres. 2.
Antonius ciuis Rapersvillēsis omnia sua prædia donat Heremitis. 246
Aquarum inundationes. 430. Per annum. 353.
Arbores & vites perduntur frigoris & ventorum violentia. 138.
Arces 46. in Episcopatu Basilienſi terræ motu euersæ. 342
Arces 38. & opida nonnulla in Episcopatu Constantienſi ex terræ motu corruerunt ibidem.
Aribo Moguntienses Episcopus, inungit Cunradum I. Imperator. 119
Arnoldus Bauariæ Dux Cunradi I. tempore inter præcipuos regni Germanici Duces floruit. 32.
Arnoldus Brixianus Hæreticus, Italia pulsus. 197
Arnulphus Carolomanni ex Concubina filius. Pannoniæ & Carinthiæ præficitur. 19. & Imperium accipit vivo Carolo Crasso. 21. Hunnos in auxilium vocat contra Zuendibaldum Moravorum Ducem. 22. Romam expugnat primus omnium regum & Imperatorum. Et coronam à Formoso pontifice accipit. 23. moritur. ibidem.
Arnulphi Imper. res quædam gestæ enumerantur. 22. 23.
Augia maior Insula. 3.
Augusta vindelicorum ab Hungaris obsessa. 58.
Augustinus Hoffmann Abbas creatur. 473.
Austriacorum præfecti ex tribus Cōmunitatibus Vrania, Suitia Siluania eyciuntur. 278.

B.

BABO Abensbergensis Baro 32. filios & filias. 8. ex duab⁹ vxoribus, suscepit, quorū vnus Embricius abbas Heremi quintus. 235
Bamberga vrbs Episcopalis ab Heinrico I. Imper. condita, vbi cum vxore Cunigunda sepultus. 119.

Basilea & Schaffhausia inter confœderatos relata. 438
Basiliensis Academia à Pontifice instituitur. 422
Basilica Basiliensis ab Heinrico I. Imper. condita consecratur præsente Imper. 118
Basilica Heremi à S. Cunrado Episcopo Constantiensi consecratur. 51
Basilicæ Heremi restauratæ primus lapis collocatur cum solennitate. 127
Basilica Heremitarum ab Embricio abbate extructa, consecratur. 129
Basilius orientalium Monachorum parens & institutor. 3.
Bauaria ab Hungaris vastata. 57. 58.
Bauaria Heinrico III. à parente Heinrico II. assignatur. 137.
Bauaria donatur Cunrado Heinrici filio ab Agnete matre vidua. 138.
Beatrix Reginaldi Burgũdiæ comitis filia Friderici AEnobarbi coniunx. 210.
Beinwiler Monasterium S. Vincentij. 185.
Belgij vrbes aliquot insignes à Ludouico Lud. F. captæ & vastatæ. 20.
Bellum inter Othonem Imp. & Luitolphum filium. 57. *componitur.* 58.
Bellum sacrum in Saracenos, eiusque apparatus. 164. *pro recuperanda terra Sancta, sub Vrbano III. pontifice, & Friderico Imp.* 220.
Bellum Abbatiscellanum. 368.
Bellum inter Tigurinos & Suitenses funestissimum. 457.
Benedictus occidentalium Monachorum parens & doctor. 3.
Benedictini Monachi à S. Benedicto nominati. 3. *vbi primum in Heluetia vixerint? ibidem.*
Benedictus. 3. *Pontifex Maxim. & eius ordinatio in funeribus.* 13.
Benedicto IV. mortuo succedit Leo V. pontifex. 28.
Benedictus V. dictus VI. succedit Ioanni XIII. 80. *Huic succedit Donus II. qui ob breuem pontificatum, pontificibus non annumeratur.* 83.
Benedictus VII. succedit Bonifacio VII. pontifex. 88
Benedictus XII. pontifex Ioanni suffici-tur. 311.
Benedictus VIII. Sergio IV. succedit. 114. *moritur, cui succedit Ioannes XX. pont.* 119.
Benedictus VIII. dictus IX. Ioanni XX. pontifici succedit. 127.
Benedictus IX. dictus X. tanquam illegitimè lectus deponitur, succedit Nicolaus II. 138.
Benedictus pontifex maximus veneno sublatus. 278.
Beneuentani & Romani produnt & deserunt Othon. II. Imp. 93.
Beneuentum & Capua contemnũt Othon. III. Imp. 101.
Bennau mons à Bennone dictus & ab eodem culturæ patiens redditus. 28.
Benno Canonicus Argentinensis ad Heremum tendit. 26. *oriundus ex Regia principum Burgundiæ stirpe.* 27. *Sacellum S. Meginradi instaurat; aliaque multa ad tollendam loci asperitatem perficit.* 28.
Benno Heremi incola Insulã Vfnouiam à Sanctonensi abbatissa impetrat. 31. *fit Episcopus Mediomatricum.* 35.
Benno Episcopus Mediomatricum à Metensibus occæcatur, erutis oculis. 38. *Ad Heremum cæcus redijt.* 39
Benno secundus Heremi incola moritur. 43. *Ex regum Burgundiæ stirpe oriundus. ibidem.*
Bennonis successor in Mediomatricum Episcopatu Adelbero nobilis. 38
Berchta Erchingi Ducis Alemanniæ vxor honorificè habet Salomonem Episcopum Constantiensem à marito captum, cui ante captiuitatem infensissima erat. 30.
Berchta Burcardi Alemanniæ Ducis filia Rudolpho Burgundiæ Regi in matrimonium tradita. 34.
Berchta Montisferrati Marchionis filia, desponsetur Heinrico, Heinrici II. filio 138
Berchta Regina, Heremitarum patrona moritur. 159
Berchtoldus Dux Alemanniæ vide. Erchingus.
Berchtoldus Bauariæ dux moritur. 47
Berchtoldus V. Zeringiæ Dux vltimus suæ stirpis moritur. 237
Berchtoldus Marchio Zeringensis donatur Ducatu Carinthiæ ab Agnete Heinrici II. vidua. 138

Berchtoldus Dux Zeringensis Rudolphum Regem defendit. 156. monasterium S. Galli opprimit. 159.
Berchtoldus Episcopus Curiensis mortuus. 186.
Berchtoldus abbas Montis angelorum mutat aquam in vinum. 216.
Berchtoldus à Busnang Episcopus Constantiensis succedit Othoni. 218.
Berchtoldus I. ex Baronibus à Valdese abbas eligitur Heremi. 225.
Berchtoldus abbas Heremi moritur, succedit, Cunradus I. ex comitibus Dunensibus 233.
Berchtoldus Episcopus Curiensis interficitur. 241.
Berengarius & Lampertus Tyranni Italiam inter se diuidunt. 23.
Berengarius Italiam crudeli exactione & tyrannide premit. 55. Captivus cum filio Augustam Vindelicorum ad Othonem perducitur. 56. veniam ab Othone Imp. & Italiæ administrationem impetrat. 56. à Luitolpho fugatur primum, postea cum filio Adalrico vincitur. 58. de mortuo Luitholpho crudelius grassatur in Italia. 62.
D. Bernhardus Clarævallis abbas. 186. pro terræ Sanctæ liberatione conciones habet frequentes, tussu Eugenij Pontificis Maximi. 207.
Bobiense Monasterium. 59.
Bodma arx funditus excisa. 32.
Bohemi in gremium Ecclesiæ recepti. 364.
Bollinga Monasterium. 9. instauratur. 253.
Bonifacius VII. moritur, cui succedit, Benedictus VII. 88.
Bonifacius IX. Neopolitanus Romanus Pontifex electus. 365.
Bononiensis Reipub. commendatio. 248. 249.
Brachium S. Mauritij ad Heremum defertur, opera Vdalrici Augustani Episcopi. 56.
Brandenburgum ab Othone III. expugnatum. 97.
Brigitta Regina in numerum Sanctorum relata. 376.
Brixia rebellat, & domatur. 285.
Bruel, Campus Heremi amplus à Bennone patefactus. 28.
Bruno Colonienſis Archiepiscopus in Italiam proficiscitur ad Othonem Imp. 69.
Bulla Leonis VIII. indulgent. Sacelli Deiparæ in Heremo. 70
Burcardus I. Alemanniæ Dux per tumultum à suis occiditur. 28.
Burcardus II. Rhetiæ Curiensis comes, Ducatum Alemanniæ à Cunrado Imp. accipit. 31. præfuit eidem annis X. 32.
Burcardus II. Alemanniæ Dux Cunradi I. Imperat. tempore præcipuis Regni Germanici Ducibus annumeratus. 32.
Burcardus Alemanniæ Dux rebellionem excitat contra Regem Cunradum. 33. contra Heinricum insurgit: & mox mutato animo præstat obsequium. 34. interficitur 36.
Burcardi Alemanniæ ducis erga Heremitas fauor & benignitas singularis. 63. 64.
Burcardus S. Galli abbas in Italiam proficiscitur ad Othonem Imp. 69. sponte abdicat, Cui Notkerus sufficitur, approbante vtroque Othone Imp. 80.
Burcardus III. Alemanniæ Dux Heremitarũ summus fautor, moritur. 84.
Burcardus à Cossau secundus Muri Monasterij præpositus, Heremi Monachus. 137.
Burcardus primus abbas Murensis. 145.
Burcardus Nobilis ab Hochenfels arcis nouæ, moritur. 337.
Burcardus ab Heuue electus Episcopus Const. 365. moritur. 368.
Burcardus I. à Crenchinge ex Baronibus Visſenburgi Abbas Heremitarum eligitur. 382.
Burcardus I. vt ante lucem sacris suo in Monasterio operari liceret impetrauit. 385 moritur. 398.
Burcardus à Randeck Episcopus Constant. eligitur. 423. moritur. 427.
Burgundis a Confederatis bellum illatum. 429. 430.
Burgundorum oppida ab Heluetijs expugnantur. 430.

C

Cælestinus II. pontif. Maxim. succedit Innocentio. 202.
Cælestinus IV. succedit Gregorio IX. Pontifici. 246.
Cælibatus sacerdotum confirmatus à Gregorio VII. Pontifice. 154.
Callistus II. Gelasio II. Pontif. succedit. 180.

Calistus II. pontifex moritur, ei succedit Honorius II. 185.
Callistus III. in pontificem subrogatur. 421.
Caltbrunn in castris donatur Eberhardo abbati Heremitarum. 44.
Capua & Beneuentum contemnunt Othon. III. Imperator. 101.
Carolomannus obit. 19
Carolus in Rom. Imp. à Ioanne pontif. coronatur. 18. *apud Andernacum victus & fugatus.* 19. *moritur.* ibidem
Carolus crassus occupat Italiam. 19. *obtinet Imperium, ibidem. Conuentum VVormatiæ agit.* 20. *Nortmannos ad deditionem cogit, ibidem. cum Nortmannis parum feliciter pugnat.* 21. *à principibus desertus, & & alienata per morbum mente, ad extremam inopiam redactus, Endingæ moritur.* 21. *in Augia sepelitur non sine Sanctitatis opinione.* 21.
Caroli Magni stirps masculà in Ludovico Cæsare desinit. 28.
Carolus simplex Galliæ Rex, quamvis indubitatus hæres regni Romani, non admittitur. 28.
Carolus Hartzisburgi præpositus ab Heinrico III. Imper. Constantiensis Episcopus constituitur. 150.
Carolus Constantiensis Episcopus largitionis & rapinarum conuictus, deponitur; succedit Otho Canonicus Goslariensis. 151.
Carolus Andegauensis prouinciæ comes contra Manfredum vocatur in Italiam & coronatur cum vxore in Regem Siciliæ. 256.
Carolus Ioannis Bohemi filius, Cæsar pronunciatur. 325.
Caroli electio à Pontifice adprobata. 326. *à 4. electoribus improbatur.* 326. *secundo damnatur.* 328.
Carolus Bonnæ à Colonienſi præsule coronatus est. 326.
Carolus Imperator detrusit magna vi Anglorum equitum peditumque circiter 40000. ex Elsatia. 350. *moritur.* 358.
Carolus Dux Burgundiæ bis victus ab Heluetijs, tandem in Lotharingia apud Nanceum occisus. 430.
Carolus Rex Galliæ fœdus cum Heluetijs renouauit. 435. *Neapolin oppugnat.* 436.
Carolus V. Imperator eligitur. 450. *conuentum Norimbergæ habuit propter hæreses passim excrescentes.* 451.
Casparus Abbas S. Galli fœdus fecit cum Heluetijs. 417.
Castella prædonum in Alemannia per Heinricum II. Imp. evertuntur. 137.
Castrenses comites vnde dicti. 121.
Christophorus Pontifex à Romanis expellitur eique Sergius III. subrogatur. 28.
Ciuitas Leonina. 13.
Claustralium seu Monachorum peruersorum malitia omnem vincit malitiam. 148.
Clemens II. Pontifex prius Babenburgensis Episcopus. 134.
Clemens II. pontifex & Heinricus II. Imper. eodem die Romæ coronantur. 124.
Clemens II. pontifex moritur, Popo succedit Brixiensis Episcopus. 134. *Damasus dictus.* 135.
Clemens III. ab Heinrico IV. Imp. pontifex constituitur contra Gregorium VII. 157.
Clemens IV. pontifex creatus. 256.
Clemens V. creatur pontifex max. 278.
Clemens pontif. quæ attribuerit Heremitis. 281.
Clemens Pontifex Ludouicum anathemate ferit. 325.
Clemens Pontifex Iubileum quinquagesimo quoq; anno celebrandum constituit 332.
Clemens VII. Pontifex eligitur mortuo Hadriano VI. 451.
Clementi qui Auenione Pontificem agebat successit Benedictus XIII. 367.
Cometa solito præclarior apparet, translati aut mutati Imperij documentum. 29.
Cometes apparet. 110.
Cometes insigni magnitudine apparuit. 256.
Cometes illustris visus est. 428.
Cometa. 438.
Comites Castrenses vnde dicti. 121.
Comitia Ratisbonæ celebrata à Ludouico Germaniæ Rege. 14.
Comitia Argentinæ celebrata ab Heinrico V. Imperatore. 185.
Comitia Augustæ celebrata à Maximiliano Cæsare propter Turcæ irruptiones, & Luthertinsanam doctrinam. 449
Conciliū Tricassense à Paschali celebratum. 170.
Concilium Constantiense celebratur. 380.

Concilium Basilienſe contra Huſſitas potiſſimum celebratum. 389.
Concilium Ferrarienſe condemnatur. 397.
Concilium Mantuæ indictum. 422.
Confraternitas quorundã Monaſteriorum cum Heremo. 150.
Confraternitas Heremitarum cum Monaſterio Gengenbacenſi. 183.
Conſtantiæ magnum incendium ex ædibus Iudæi ortum. 294.
Conſtantiæ potior pars incendio conflagrauit. 368.
Controuerſia de aduocatione cum Suitenſibus terminat. 392. 393.
Conuentus apud Confluentiam Rheni habitus à tribus Regibus, Ludouico Germaniæ, Carolo Franciæ, Lothario Lotharingiæ. 14.
Conuentus Forchtheimi actus à Proceribus Imperij. 23.
Conuentus Principum Germanorum & Italorum Auguſtæ celebratus ſub Othone Imperatore. 56.
Creſcentius Nomentanus nobilis ab Italis ad Imperium vocatur. 94.
Creſentius Conſul & Ioannes pontifex, Othonem III. Imperatorem honorificè excipiunt. 101.
Creſcentius turbas excitat Romæ, captus ab Othone III. Imperatore, amputato capite in crucem tollitur. 109.
Creutzlingæ ab Vldarico Epiſcopo Conſtantienſi condita. 186.
Crutzlingæ Monaſterij priuilegia confirmata à Friderico Ænobarbo. 212.
Cruces in veſtibus hominum vtriusque ſexus apparuere. 438.
Cunradus Cunradi F. Franciæ Orientalis Dux in Regem Romanum eligitur. 28.
Cunradus Cæſar natalitios dies agit Conſtantiæ apud Epiſcopum Salomonem. 29.
Cunradus Cæſar religioſorum S. Galli numero adſcriptus. 29. *Idem monaſterium bonis ditat.* ibidem.
Cunradi Imp. tempore qui Duces in Germanico Imperio præcipui fuerint. 32.
Cunradi I. Imperat. in Bodman arcem odium, & vnde. 32.
Cunradus I. nominat Imperatorem Heinricum Saxonem. 33.
Cunradus Northingo ſuccedit in Epiſcopatu Conſtantienſi. 39.
Cunradus Burgundiæ Rex cognomento pacificus. 42.
S. Cunradus Baſilicam Heremi in honorem Deiparæ Matris & S. Mauritij erectam conſecrat. 51.
Cunradus Dux Franconiæ in centor belli inter Othonem & eius filium Luitolphum. 57.
Cunradus Dux Othonis Imp. gener in pugna cum Hungaris apud Auguſtam Vindelicorum occidit. 58.
Cunradus Conſtantienſis Epiſcopus in Italiam profectus ad Othonem Imp. 69. *Leoni VIII. Pontif. exponit dedicationem Sacelli Deiparæ matris in Heremo diuinitus factam.* 70. *moritur.* 88.
Cunradus I. Imp. *vnde Salicus dicatur.* 119. *eius electio oppugnatur.* 119. *multas poſſeſſiones Steinbrunnæ in Sequanis donat Heremitis.* 119. *compeſcit æmulos ſuos.* 119. *coronatur Romæ.* 123. *Heremitarum priuilegia confirmat & illuſtrat.* 124. *exercitũ ducit in Hungariam.* 126. *Othonem Campaniæ Comitem vincit & Burgundiæ regnum recipit.* 127. *filij Heinrici nomine coronatur Rex Burgundiæ.* 128. *copias ducit in Italiam.* 128. *moritur Traiecti.* 129.
Cunradus Heinrici IV. Imp. *filius, Italiæ præficitur à patre.* 163. *moritur.* 166
Cunradus *à Sedelbure condit Monaſterium Benedictinum apud Silvanios.* 181.
Cunradus *Franconiæ Dux in Lotharij vicem Cæſar eligitur.* 194.
Cunradus Imp. II. *Sacræ militiæ nomen dat cum multis Primoribus.* 207.
Cunradus *Sueuiæ Dux Durlaci interficitur.* 223.
Cunradus I. *Ex Comitibus Dunenſibus ſit abbas Heremi.* 233.
Cunradus I. *Heremi abbas moritur.* 240
Cunradus II. *ex Baronibus ab Andechiſa Conſtantienſis Epiſcopus ſuccedit Vernero* 232. *moritur.* 240.
Cunradus II. *ex Baronibus à Gœſgau eligitur abbas.* 311. *moritur.* 328.
Cunradinus *Neapolis & Siciliæ Rex.* 250.
Cunradus *ab Hochenrechberg Abbas Heremi proclamatur.* 431. *moritur.* 452.

D

DAEmoniaci miraculosa in Heremo facta sanatio. 318.
Damasus pontifex, prius Brixiensis Episcopus succedit Clementi II. Pontifici. 134. mortuo die 21. succedit Leo IX. 135.
Deiparæ matris fons. 10.
Desiderius abbas Cassini creatur Pontifex, Victor III. nominatus. 159.
Diethelmus Episcopus Constantiensis succedit Hermanno. 223.
Dietmarus scriptor circa annum Christi. 998, 111.
S. Dignæ brachium. 84.
Dissensionum & inimicitiarum finis, quas Syluani & Vranienses contra abbatem Here. multos annos fouerant. 334.
Dissidium inter Constantiensem Episcopum & S. Galli abbatem graue. 248. magnum inter Suitenses & Tigurinos. 399, 400. 401. 402. inter Geroldum Abbatem Heremit. & Suitenses. 426.
Dominij Aeschentij media pars empta. 386.
S. Dominici regula ab Honorio III. approbata. 239.
Donus II. Pontifex succedit Benedicto V. dicto VI. 83. Eidem succedit Bonifactus ibidē
Drusiana vallis incolitur à S. Geroldo Heremita. 88.
Ducatus Allemaniæ post mortem Burckhardi III. Othoni Imp. Othonis II. ex fratre nepoti conceditur. 84.
Duces præcipui Germanici Imperij tempore Conradi Imp. 32.
Duella prohibita. 197.

E

EBerhardus Franconia Regis frater, inter præcipuos regni Germanici Duces numeratus sub Conrado I. Imperat. 32.
Eberhardus Argentinensis præpositus Heremicultor & illustrator. 39.
S. Eberhardus ex comitibus Franconiæ, Hassiæ & veterouiæ provincialibus præpositus Argentinensis, tertius Heremi incola, & primus abbas. 40.
Eberhardus Heremitarum abbas monasterium nobilium adolescentum schola, & S. Benedicti institutis firmat & auget. 42. 43.
Eberhardus abbas Heremi consortem sibi sumit Thiedlandum, eiusdem cum S. Vdalrico Episcopo colloquium 59. moritur. 59.
Eberhardus Varmanno Episcopo Constantiensi fratri germano succedit. 128.
Eberhardus Constantiensis Episcopus consecrat ædem S. Gangolphi. 132. moritur Romæ. 134.
Eberhardus Dapifer à VValdburg Episcopus Constantiensis succedit Heinrico. 248. moritur. 261.
Ecclius mons. 9.
Echardus Augiæ abbas, in Italiam proficiscitur ad Othonem Imper. 69.
Ecclesia S. Meginradi aucta. 97.
Ecclesiarum collatio Laicis adempta. 170.
Eclipsis Solis inusitata. 243.
Einsidlen Monasterij Heremitarum nomina varia. 41.
Electores Imperij instituti ab Oth. III. & Gregorio V. Pontif. 109.
Embricius abbas Heremi quintus. 123. incendio absumptum Heremitarum monasterium reædificat. 126. moritur. 135.
Endinga Allemaniæ vicus Caroli Crassi morte nobilitatus. 21.
Engelheimensis synodus celebrata sollicitatu Agapeti Pontificis. 49.
Entius Friderici Imp. filius spurius capitur, & captiuus tenetur annis 22. moriturque. 248.
Eppo ab Hette monasterium Heremitarum incendit. 126.
Erlebaldus monachus in Sindeslai Insula Præceptor S. Meginradi. 7.
Erchingus, cuius fraude Burcardus I. dux Alemaniæ occisus fuit, ducatum iuvadit. 82. 29.
Erchingus & Bertholdus Alemanniæ Duces, Salomonem Constantiensem Episcopum capiunt. 29.
Erchingus, Bertholdus & Luitfridus fratres, Duces Alemanniæ à Sigefrido captiui custodiuntur Duellij. 30. à Conrado Cæsare maiestatis damnantur. ibidem, capite plexi iussu Conradi I. Imper. 32.
Erchenbaldus Argentinensis Episcopns in Italiam proficisitur ad Othonem. 69.
Ernestus I. Alemaniæ Dux eiusq; cognatio. 114. in venatione fortuito teli ictu occiditur. 114.

Erneſtus II. *Alemanniæ Dux Patri ſuccedit.* 114.
Erneſtus Cunradi I. *Imper. priuignus tertio contra vitricum arma ſumit.* 126.
Erneſtus Dux Alemanniæ occiditur. 127
Erphordienſis Synodus de cælibatu ſacerdotum. 155.
Eredingæ præfectura Heremitis vendita. 258.
Eſlinga Tigurini comitatus vicus Heremitis donatur. 64.
Ethenhenn cœnobium ab Ethone Argentinenſi Epiſcopo fundatum. 8.
Etho Argentinenſis Epiſcopus, fundator cœnobij Ethenhenn. 8.
Eugenius Lucio II. *Pontif. Max. ſuccedit. Diſcipulus S. Bernhardi.* 207.
Eugenius IV. Pontifex electus 389. *concilium Baſilienſe abrogauit.* 396. *dignitate & Pontificatu priuatur.* 397. *ſecundo condemnatur.* 403. *vita & Pontificatu functus eſt.* 415.
Exactio crudelis in Italia ſub Berengario. 55.

F

Fabaria Monaſterium per Hartmannum Heremi Decanum reſtitutum. 126.
Falckenſtein Arx Harciniæ vicina obſidetur ab Erneſto Duce. 126. 127.
Fames in Germania. 16.
Fames & peſtis ex Locuſtarum multitudine in occidentali mundi plaga. 18.
Fames horrenda. 23.
Fames ingens ex Hungarorum vaſtitate per Bauariam, Franconiam Elſatiam & vicinas regiones, exorta poſt mortem Heinrici Imperatoris. 42.
Fames ingens per Germaniam & peſtis ſæuiſſima. 114. 185. 397. 438.
S. S. Felicis & Regulæ Monaſterium Tiguri à Ludouico Rege ditatum. 14.
Feſti omnium Sanctorum inſtitutio. 13.
Feſtum viſitationis Deiparæ inſtitutum. 407.
Flaminiæ pleræque vrbes ab Heluetijs capiuntur. 440.
Fœdus memorabile inter Auſtriacos Præfectos & aliquot vrbes. 277.
Folcuinus Augiæ Abbas 13. *Valafredi ſucceſſor.* 13.
Fons Deiparæ Matris. 10.
Fontaniacum prælium. 12.
Formoſus portuenſis Epiſcopus ſuccedit Stephano V. Pontifici max. 22. *Arnulphum ad coronam ſuſcipiendam & extirpandos Tyrannos inuitat.* ibidem.
Formoſus Pontifex mortuus. Cui per vim ſuccedit Bonifacius, qui intra dies 15. *etiam moritur.* 23.
S. Franciſci regula ab Honorio III. *approbata* 239.
Franciſcus I. *ex Hochenrechberg Abbas declaratur.* 415.
Franciſcus I. *Abbas moritur.* 419.
Franciſcus Valeſius Rex Franciæ coronatur. 443.
Franciſcus Galliæ Rex prælio Papienſi à Cæſareanis captus. 452.
Frangepanes patritij Romani potentes. 180.
Francorum vires Fontaniaco prælio attritæ. 12
Frigus & ventorum violentia perdit vites & arbores. 138.
Fridericus primus abbas in reſtaurato Hirſaugienſi Monaſterio. 143. *fornicationis falsò accuſatus, deponitur.* 148.
Fridericus comes ab Hochenſtauffe Alemanniæ ducatum & filiam Heinrici IV. in matrimonium accipit. 157.
Fridericus I. *Dux Sueuiæ moritur: ſucceſſorem habet Fridericum* II. *filium.* 168.
Fridericus II. *cognomento vnoculus Sueuiæ Dux ſuccedit patri.* 168.
Fridericus Ænobarbus Imperator eligitur. 209. *ſcribens ad Adrianum* IV. *Pontificem ſuum nomen nomini Pontificis præponit.* 210. *Romam capit, Alexandrum expellit: Paſcalem confirmat, à quo ipſe cum vxore Beatrice coronatur.* 213. *à Medio lanenſibus victus.* 218. *pacem petit ab Alexandro Pontifice, & impetrat.* 219.
Fridericus Sueuiæ Dux extinguitur in paleſtina. 221.
Fridericus Auſtriæ Dux à Friderico Imper. armis magis exercetur, quam debellatur. 243.
Fridericus Imp. Hieroſolymam racipit, & coronatur Rex Hieroſolymorum. 239. *hoſtis Eccleſiæ declaratur.* 247. *Italiam vaſtat.* 244. *à Manfredo filio nothoprafocatur in iectis puluillis.* 249.
Frienbach parochialis Eccleſia conſtituta. 280.
Fridericus. Cæſar obit. 307.

Fridericus ex comitibus Nellenbrugi electus Episcopus Constantiensis. 368.
Fridericus II. *ex Comitibus Zolleranis lectus Episcopus Constant.* 394.
Fridericus Austriæ Dux Iunior Cæsar eligitur. 404.
Fridericus Dux Austriæ senior obyt. 404.
Friderici Cæsaris coronatio Romæ. 418.
Fridericus Episcopus Bambergensis Clementis Pontificis authoritate Bernam, Solodorum Tigurum & Basileam communi Ecclesiæ restituit. 326
Friburgum & Solodorum suasu B. Nicolai in fœdus receptæ. 431.
Frowinus secundus abbas Montis angelorũ antea Monachus Heremi. 189, *moritur.* 215.

G

S. *GALLI Monasterium quot habuerit presbyteros, Diaconos, subdiaconos, & Nouitios sub Salomone Abbate.* 34
Galli Italiã totã ab Heluetys pelluntur. 442.
Gallia ab Hungaris vastata. 57.
Gallus & vrsinus Monachi. 3.
Gambs vicus Heremitis ab Hermanno Duce assignatus. 44.
Gamenulpho Constantiensi Episcopo succedit substitutus Gebhardus Hugonis Brigantij comitis filius. 93.
S. Gangolphi ædes in campo Bruelensi ab Embricio abbate extructa, consecratur. 132.
S. Gebhardus Constantiensis Episcopus moritur. 100. *ei succedit Lampertus.* 101.
Gebhardus Hirsaugiæ Monasterij monachus constituitur Episcopus Constantiensis. 159. *moritur.* 171
Gelasius II. *pontifex eligitur.* 180. *ex lateris dolore moritur.* *ibidem.*
Gengenbacensis Monasterij cum Heremitis confraternitas. 183.
Germani Imperatores & Imperium, Romano-Germanicum vnde? 20.
Germanici regni post Arnulphi Cæsaris mortem orbitas & miseria. 24.
Germanicæ nationis primus Pontifex Stephanus VIII. *dictus* IX. 44.
Germania vastatur ab Heinrico IV. *Imp.* 156.
Germani quando primum nominibus Sanctorum, & Latinis ceperint suos in sacro Baptismate appellare, abolitis patrys & barbaris. 246.
Gero ex Comitibus Froburgi eligitur abbas Heremi 166. *moritur.* 183.
Geroldus è ducibus Saxoniæ oriundus Heremiticam vitam agit in valle Drusiana. 88. *se liberosq; suos, atque monasterium, Deiparæ Virgini dedicat.* 89.
S. Geroldi præpositura. 89.
Geroldus I. *ex Comitibus Saxi eligitur Abbas* 419.
Gibellinorum & Guelphorum factio exorta, 244.
Gisela vidua cum Cunrado Bauariæ Duce secundas nuptias celebrat. 114.
Gisela Cunradi I. *Imp. vxor.* 119. 122. 125.
Gisela Cunradi I. *vidua Heremitarum patrona, moritur Goslare.* 133.
Godefridus Bullionius Rex Hierosolymæ salutatus. 165.
Gotelo Dux inferioris Lotharingiæ Othonem Campaniæ comitem opprimit & interficit. 128.
Grabs vicus Heremitis donatus. 48. *Eius donationis instrumentum.* *ibidem.*
Gregorius IV. *Pontifex, S. Benedicti ordinis Monachus.* 12.
Gregorius Edmundi Angliæ Regis frater angelo monente in Heremum venit. 54.
Gregorius Anglus Thietlandi successor in Abbatia Heremi. 67.
Gregorij Abbatis Heremi studium & labor in excolenda disciplina Monasterij, & S. Geroldi solitudine. 97.
Gregorius abbas Heremi quædam prædia permutat cum Episcopo VVormatiensi, eiusq; rei Instrumentum. 101. *sequitur Imper. Othonem Bruxellas & reversus paulo post moritur.* 105.
Gregorius V. *Pontif. Ioanni* XVI. *mortuo succedit.* 103. *Roma pellitur à Crescentio.* 108. *moritur, cui succedit Sylvester* II. *Pontifex.* 110.
Gregorius VII. *anathemate ferit Heinricum* IV. *Imperatorem.* 155. *moritur.* 159.
Grandines crebræ & tremenda tonitrua mense Februario audita. 179.
Gregorius VIII. *contra Gelasium* II. *Pontif. ab Heinrico* V. *Imp. constituitur.* 180.
Pseudo Pontifex Monasterio Cauensi inclusus. 183.
Gregorius IX. *succedit Honorio* III. *pont.* 239. *moritur.* 246.

Gregorius X. Pontifex creatus. 259. *moritur.* 261.
Gregorius XI. *electus Pontifex.* 353. *Auinione vbi residebat, Romam tetendit.* 355. *moritur.* 257.
Gregorius XII. *Romanus Pontifex electus.* 371.
Guelpho Heinrici *frater proscriptus.* 198.
Guelphorum & Gibelinorum factio exorta. 244.
Guelphus vel Guelpho Bauariæ Dux Heinrici IV. *Imper. excommunicati partes defendit.* 157.
Gulielmus Cæsar occiditur pro gregario milite à Frisiis. 251.
Gundrami comitis possessiones Heremitis assignatur ab Othone Imper. 61. *Eius rei Instrumentum.* 62.
Guntherus comes à Schuartzenburgo Thuringus, Cæsar eligitur & coronatur ab Heinrico *Maguntiensi Antistite.* 331.

H.

H *Adrianus* II. *Pontif. max. successor Nicolai primi.* 18.
Hadrianus III. *moritur. Succedit Stephanus V.* 21.
Hadrianus VI. *Caroli Cæsaris Præceptor, fit Pontifex.* 451.
Hæresis in Elsatia & Turgouia,, Carnium esum & quemcumque veneris vsum approbans. 235
Hatto abbas Augiæ succedit Sunderoldo in Archiepiscopatu Moguntino 22
Hatto Moguntinus Archiepiscopus & Abbas Augiæ moritur. 29
Hatto Moguntiensis Archiepiscopus proficiscitur in Italiam ad Imp. Othonem. 69
Hardebertus Curiensis Episcopus in Italiam proficiscitur ad Othonem Imp. 69
Hartmannus Heremi monachus Rhetorum fit Episcopus. 126
Hartmannus Curiensis Episcopus moritur. 130. *Ei succedit Thietmarus ibidem.*
Heduig Vxor Selingeri Comitis Volhusiani religionem ingreditur. 164
Heinrici V. Imp. pium ac memorabile dictum, de bonis temporalibus ad vsus Ecclesiæ conferendis. 5.
Heinricus Dux Saxoniæ Othonis I. sub Cunrado I. Imperatore inter præcipuos Imperij Duces habitus. 32
Heinricus *Saxo dictus Anceps nominatur Imperator à Conrado I.* 33
Heinricus Imp. *vouet se extincturum hæresin Simoniacam.* 35
Heinricus *Imperator Ducatum Alemanniæ tradit* Hermanno *Franconiæ, Hessiæ & Veteraniæ Comiti prouinciali.* 37
Heinricus *Cæsar* Hungaros *Saxoniam ingredi ausos, vincit.* 41. *Sclauos vectigales facit.* *ibidem.*
Heinricus *Imper. moritur, Quinctilburgi sepelitur.* 41. 42.
Heinricus *Othonis Imp frater Saxoniæ & Bauariæ ducatum obtinet.* 42.
Heinricus *Othonis Imp. frater contra fratrem coniurat; victus in gratiam recipitur.* 43. *altera vice contra fratrem coniurationem facit, qua detecta Ingelhemium in custodiam ducitur, & ex ea liberatus secundo gratiam ab Imp. impetrat.* 44.
Heinricus *Othonis frater Bauariæ Ducatum obtinet.* 47
Heinricus I. *Imper. compescit* Hartmannum *Alemanniæ ducem Competitorem.* 112
Heinricus *exercitum ducit in Italiam, capit & incendit Ticinum.* 112
Heinrici I. *Imperatoris quædam expeditiones bellicæ.* 114
Heinricus *coronatur à Benedicto* VIII. *pontif.* 114
Heinricus I. *Imper. Heremi priuilegia iterum confirmat.* 115
Heinricus I. *Imper. fundator Basilicæ Basiliensis.* 118
Heinricus I. *Imper. moritur, designat successorem Cunradum VVormatiæ & Franciæ orientalis Ducem.* 114
Heinricus *Cunradi I. Imper. filius à patre designatus Aquisgrani.* 125
Heinricus *Cunradi I. Imper. filius cognomento Niger parenti succedit in Imperio* 129.
Heinricus *Cæsar, Heremitarum priuilegia confirmat.* 130. *Bohemos frustra tentat bello.* 130. *Eos rursus aggreditur & vincit.* 132. 133. *Conuentu agit Constantiæ & inimicitijs omnibus sublatis, pacem firmat.* 133

Heinrici res quædam præclarè gestæ. 133
Heinricus II. Imper. & Clemens II. Pontifex eodem die coronãtur Romæ. 134. Frisios bello petit infeliciter. 134. filium Heinricum puerum triennem Cæsarem designat. 136. Is coronatur Aquisgrani ab Hermanno Archiepiscopo Colonienſi. 137.
Heinricus II. Imper. exercitum benè instructum ducit in Italiam, inopem reducit. 137. Castella quadam prædonum in Alemannia evertit. 137. moritur Botfeldæ Saxoniæ. 138
Heinricus III. succedit patri in Imperio. 138. concedit Heremitis priuilegium conforme priuilegijs S. Gallimonasterij. 139. Constantienſibus Episcopum obtrudit Carolum Canonicum Magdeburgenſem. 150.
Heinrici III. Imperatoris proteruia, auaritia & sæuitia. 145. 146.
Heinrici IV. Imper. malitia notatur. 151
Heinricus IV. Imper. Collationes beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum sibi vendicat. 152. anathemate percussus, pœnitentiam simulat. 155. bellum mouet Rudolpho Regi contra se electo. 156. altera vice excommunicatur. 157. Romam & ineã Pontificem Gregorium VII. obsidet. 158. Licentiam dat Iudæis per Germaniam à Christianismo deficiendi. 164. repudiato filio Cunrado, successorem facit filium Heinricum secundo genitum. 166. simulat abdicationem Imperij. 168. moritur, & per quinquennium Spiræ iacet insepultus. 170. Ab anathemate absolutus & sepultus. 171.
Heinricus V. Imper. transit à parente ad Catholicos 168. Imperialia ornamenta accipit. 169. In Italiam proficiscitur. 170. Argentoratum venit, ac Heremitarum priuilegia confirmat. 171. Cæde & sanguine replet Romam, & per vim coronam accipit. 171
Heinricus V. Imper. excommunicatur. 179. Celebrat nuptias cum Mathilde, Regis Angliæ filia. 174. rursus occupat Romam. 179. Restituit Pontifici collationem Ecclesiarum. 182. moritur, absque prole. 185.
Heinricus Friderici AEnobarbi filius Cæsar appellatus. 210.
Heinricus Friderici I. F. Cæsar, Imperij gubernationem accipit. 221. Recipit Siciliæ regnum. 223. moritur. 224.
Heinricus de pinu dapifer de VValdburg Constantienſis Episcopus succedit Cunrado II. 240.
Heinricus Cæsar in Calabriam mittitur, vbi incluſus diem obit. 243.
Heinricus Hassiæ & Thuringiæ Landgrauius eligitur Imperator contra Fridericum. 247.
Heinricus Abbas Heremi moritur. 150.
Heinricus Bauariæ Dux, & Othocarus Bohemiæ Rex Rudolpho Habsburgico Imperatori rebellant. 261
Heinricus ex Baronibus à Guttinge creatur abbas Heremi. 264. moritur. 273.
Heinricus ab Humbrechtico prædia donat Hemitis. 247.
Heinricus à Clingenberg eligitur Constantienſit Episcopus. 272
Heinricus VII. Imperator coronatur. 280
Heremitæ etiam ante Christum natum inuenti. 2.
Heinricus VII. proficiscitur in Italiam. 281 moritur. 287.
Heinricus Abbas possessiones aliquot Rudolpho & Luitolfo Baronibus ab Arburgo obligatas. 120. Marcis redemit. 331. cum vicinis & ante omnes Suitenſibus pacem & amicitiam iniuit. 332
Heinricus III. omnes confœderatas Communitates ab interdicto exsoluit. 334. incorporationem Ecclesiæ Riegol ab Vlrico Constantienſi impetrauit. 336. sacrum matutinum ad exortum auroræ in ade Deiparæ Matris instituit. 342. electus Episcopus Constantienſis. 343
Heinricus Episcopus Constantienſis Sacello Deiparæ Matriu paræciam Vangæ vicinam annectit. 346. moritur. 563
Heinricus Baro Montsaxius Bilitionum Ducis Mediolanenſis opidum per insidias occupauit. 384
Heito Augiæ abbas 15. VValtherij successor. 17.
Heluetij pro confirmando fœdere graues passi irruptiones fortiter dimicarunt. 437.

iniuriam sibi à Gallis illatam vindicant. 440. Vicerunt Austriacos & Rapersvillam oppugnarunt. 364.
Herbipolensis Conuentus, in quo Heinricus Imper. V Collationem Ecclesiarum Pontificibus restituit. 182.
Heremi Deiparæ Matris prima Origo vnde? 11. Monasterij vulgo Einsidlen varia nomina. 41.
Heremitæ Christiani primi vt vixerint. 2. Quibus appellati nominibus & cur? 3.
Heremus quando cultore assiduo ferè caruit. 25.
Heremus in Dominatu Comitum Rapersvillensium. 27. In antiquis Sueuiæ Ducatus terminis. 142.
Heremi Monasterium in protectionem Imperij Rom. suscipitur, & priuilegijs munitur ab Othone Imp. 45. Eius rei Instrumentum. 46. Sacellum B. Virginis ab ipso Christo consecratur. 50. Basilica à S. Cunrado Constantiensi Episcopo consecratur. 51. Monachi XII. vna vice quasi in Coloniam missi ad reparandum Hirsaugiense Monasterium. 143. Ab Othone in protectionem suscepti. 63. Menidorffum & Eslingam dono accipiunt. 64. Religionem veram per Hungariam Bohemiam & Austriam prædicant. 79.
Heremitarum priuilegia confirmat Otho Iunior. 80. Omnium vectigalium immunitas. 82. Priuilegia ab Othone II. iterum confirmata. 85. Possessiones Steinbrunnæ in sequanis ab Cunrado I. Imper. datæ. 119. Priuilegia ab Cunrado Imper. I. confirmata & illustrata. 124. Monasterium incendio absumptum. 126. noua Basilica ab Embricio abbate extructa consecratur. 129. Priuilegium ab Heinrico III. Imper. 139. Abbas sextus Hermannus primus accipit pontificalia ornamenta ab Leone IX. Pontif. 140. Monachi duo insignia Monasteria Murense & Hirsaugiense propagarunt. 145. Cum Vvilhelmo abbate Hirsaugiensi confraternitas. 149. Cum quibusdam Monasterijs confraternitas. 150. Priuilegia confirmantur ab Heinrico IV. Imperatore. 152. Et Suitiorum controuersia de limitibus. 170. Priuilegia confirmata ab Heinrico V. Imper. 171. & Suittorum coram Imper. Heinrico V. limitanea actio. 174. 175. Cum Gengenbacensi Monasterio confraternitas. 183. Priuilegia ab Imperat. Lothario confirmata. 192. Ab Cunrado Imperatore II. Confirmata. 195. Cum Suitensibus contentio limitanea composita. 235. Basilica & omnia ædificia incendio pereunt, cum omni supellectili. 238. noua Basilica dedicata. 240. Monasterium vexat Vernerus ab Horenberg, & ideò excommunicatur. 248. Indulgentiæ singulares ab Innocentio quarto. 249. Abbates quando & à quo pontificalem annulum & chirothecas acceperunt. 256. Priuilegia confirmata à Nicolao IV. pontifice max. 271. Abbates principum Austriacorum obseruantissimi. 276. Bona à Clemente Pontifice assignata. 281. & Suitensium diuturna & grauis contentio. 283. Per aliquot sequentes paginas. Lis propter custodiam Sigilli exorta. 294.
Heribertus Thietingi successor in Abbatia Augiæ. 21
Heribertus Archiepiscopus rebellis Italiæ Vrbes contra Imper. incitat. 128
Heribertus Mediolanensis Episcopus coronat Cunradum I. Imper. filij nomine in Reem Burgundiæ. 128
Hermannus Alemanniæ Dux moritur. 52
Hermannus Alemanniæ dux masculam prolem à Deipara Virgine in Heremo petit, & obtinet. 100.
Hermannus Allemanniæ Dux II. moritur succedit Hermannus III. filius. 11
Hermannus Alemanniæ Dux IV. peste moritur in Italia. 129.
Hermannus Archiepiscopus Colonienſis Heinricum III. coronat Aquisgrani. 137.
Hermannus abbas moritur. 140
Hermannus Lucemburgi Comes, Romanorum Rex constitutus. 158.
Hermannus II. de Fridinge Constantiæ Episcopus, succedit Berchtoldo. 220
Hermannus à Landenberg Episcopus Constantiensis creatur. 427. Monasterio Heremi

Ecclesiam Burgi Aeschenty adiunxit. 428. moritur. 428.
Hetgidis Regina Othonis Imp. vxor moritur, & sepelitur Magdeburgi. 47. Eiusdem liberi, stirps & maiores. ibidem.
Hetto episcopus Basilienſis ad Sindeslai Insulam abbas. 7
Hieme lõga & saeua totus Tigurinus lacus glacie concreuit, praebuitq; carris, etiam onustis, securum iter. 347
Hieronymus Pragensis propter pertinaciam in defendenda haresi Hussy & Viclesi igne crematur. 379
Hierosolyma à Christianis capta. 165
Hilario, Antonius, Onophrius inter primos heremitas celebres. 2.
Hildebaldus VVormatiensis Episcopus permutat quaedam praedia cũ Gregorio abbate Heremi, eiusq; Instrumentum. 101.
Hildebrandus Cluniacensis Monachus creatur pontifex, Gregorius VII. dictus. 152.
Hildegardis Ludouici py Imp. filia S. Meginrado Cellam aedificari curat. 11.
Hirsaugiae Monasteriũ restauratũ, Monachos reparatores ab Heremitis petit & accipit. 141. 142
Hirsaugiensium Monachorum aduersus abbatem suum Fridericum coniuratio & Machinationes. 147
Honorius II. *Pontifex moritur, cui succedit Innocentius. II.* 189
Honorius III. succedit Innocẽtio Pontifici. 235
Honorius IV. Pontifex eligitur. 266
Horrendus & exitiabilis terrae motus. 342.
Hugo Hattoni abbati Augiae demortuo succedit. 29. moritur, succedit Thietingus. 30
Hugo ex Baronibus à Rosenneck Abbas constistituitur. 369. foedus fecit cum Tigurinis. 370
Hungari vastant Italiam & Bauariam. 24. Victi victores affligunt, & Sueuiam vastant. ibid. ad Licum amnem caesi. 25. vastant Alemanniam 28. ad AEnum magna clade à Bauarũ & Alemannis repressi. 29. Bauariam vastant, Vlricum Buchhorni Comitem captiuum abducunt. Basileam incendunt. 32. In Alemanniam irrumpunt. 35. ab Heinrico aucupe caesi propè Mersburgum. 35. Constantiam incendunt, Augiam diripiunt. 35. ab Othone Imper. victi apud Augustam vindelicorum. 58. ab Heinrico Imperatore victi & magna clade affecti. 40. defuncti Heinrico Imper. Bauariam, Franconiam, Alemanniam, Elsatiam, Rhenum, Lotharingiam & Italiam vastant: vnde fames ingens exorta. 42. Italiam inuadunt nec nisi ingenti pecuniae summa excedere iurant. 55. Vastant Bauariam Alemanniam, Galliam & Italiam. 57
Hussy & Viclsi haresin Hieronymus Pragensis eiurauit. 378. Pertinaciter defendit. 379.

J

IESVS Christus Saluator in heremo vixit & ieiunauit. 2.
Illustres qui olim vocabantur in Imperatorys diplomatis. 87.
Imperatores Germani & Imperium Romano-Germanicum vnde. 20
Imperij Laceratio post mortem Caroli *Crassi.* 21
Imperij Germanici praecipui Duces tempore Cunradi Imper. 32
Imperialia ornamenta in Germaniam translata ex Italia. 237
Incendij, quo Monasterium Heremitarum absumptum, author Eppo ab Hette. 126.
Incendium luctuosum Monasterium absumpsit cum omni suppellectile sacra profanaque. 426
Incendium perniciosissimum Monasterij. 462. 463.
Innocentius II. succedit Honorio II. Pontifici. 189.
Innocentius III. Caelestino pontific. max. succedit. 224.
Innocentius VI. obyt. 348.
Innocentius VII. Rom. Pontifex eligitur. 371
Insolita fructuum maturitas. 428. 429.
Instrumentum donationis Monasterio S.S. Felicis & Regulae Tiguri factae à Rege Ludouico. 14
Instrumenta Germanica lingua Latinis literis scribi cepta. 246.
Interregnum à Friderici morte. 249.
Investiturae Ecclesiasticae ab Laicis non accipiendae. 154
Inundationes crebrae. 163. horrendae. 214

Ioannes Baptista heremum incoluit. 2.
Ioannes VIII. *pontif. Max. successor Hadriani.* 18
Ioanni IX. *pontifici mortuo succedit Benedictus quartus.* 25
Ioannes X. Pontifex electus. 29. *moritur, eiq; succedit Leo* VI. *& huic mox Stephanus.* VII. 39
Ioannes XII. *Pontif. succedit Agapeto.* 58. *ab Othone Imper. officij sui amicè admonitus, hostis sit Imperatoris, & Cæsarianos crudeliter tractat.* 65. *Idem aduentãte Romam Othone, Imp. direptis S. Petri Thesauris in Apuliam auffugit.* 66. *damnatur & deponitur. ibidem. in adulterio occiditur.* 69
Ioannes Nicephori Græci Imper. filius amicitiam colit cum Othone Imper. & eius filio. 78
Ioannes XIII. *Leoni* VIII. *Pontifici auctoritate Othonis Imper. sufficitur.* 77. *à Rotfrido Comite armata manu capitur, & in Campaniam ad vincula transportatur.* 78.
Ioanni XIII. *succedit Benedictus* V. *dictus.* VI. 80
Ioannes XIV. *Pontifex succedit Benedicto, & mox illi Ioannes* XV. *Pontif.* 97
Ioanni XV. *succedit Ioann.* XVI. *Pontif.* 97
Ioannes Pontifex & Crescentius Consul Romanus honorificè excipiunt Othonem III. *Imperatorem.* 101
Ioannes XVI. *Pontifex moritur, cui succedit Gregorius.* V. 103
Ioannes Episcopus Placentinus per factionem Gregorio V. *substituitur.* 108. *Oculis erutis ad perpetuos carceres mittitur.* 109
Ioannni XVIII. *Pontifici intra* V. *mensem mortuo succedit Ioannes* XIX. 112
Ioannes XIX. *Pontifex S. Benedicti ordinis Monachus.* 112
Ioanni XIX. *Pontif. succedit Sergius* VI. *vir prudens.* 114
Ioannes XX. *Pontifex succedit Benedicto* VIII. 119
Ioanni XX. *succedit Benedictus* VIII. *dictus* IX. *Pontif.* 127.
Ioannes Iacobus à Stabulo vir nobilis. 185.
Ioannes Hierosolymorum Rex venit Romam auxilia petiturus. 238
Ioanni XXI. *Pontifex creatur.* 261. *meritur.* 262
Ioannes I. *ex Baronibus à Schwande creatur abbas Heremi.* 274. *resignat Abbatiam & moritur.* 301. *eiusdem laus & res gestæ.* 302. 303.
Ioannes Dux Austriæ percussor Alberti Imper. ingreditur Religionem S. Augustini. 280.
Ioannes II. *abbas Heremi eligitur.* 301. *moritur.* 310
Ioannes Comes Habsburgi & fratres eius Rudolfus & Gotfridus in peculiarem protectionem susceperunt Cunradum Abbatem cum vniuerso Heremitarum Monasterio. 327. & 328.
Ioannes Comes Habsburgi incommoda haud mediocria Cunrado Abbati bello intulit. 327.
Ioannes tertius à Vindeck Schaffhusia oriundus electus Episcopus Constantiensis 338. *inter cænandum fœdè trucidatur.* 341.
Ioannes, Rudolfus, & Gotfridus filij Alberti Ducis, Austriacis Principibus vendiderunt Comitatum veteris Rapersvilla, Marchiam, & vallem Vegi. 345
Ioachimus I. *Abbas Monasterio Heremi præficitur.* 457
Ioannes Comes VVerdenbergensis in suo territorio liberauit Monasterium à vectigalibus vsque ad Petri II. *mortem.* 763
Ioannes Pontifex variis criminibus accusatus & damnatus Pontificia dignitate priuatur. 377. *delictorum veniam, & Cardinalatum à Summo Pontifice impetrat.* 377
Ioannes Huss Hæreticus ignibus consumptus. 378.
Italia ab Hungaris vastata. 57
Iudæi interfecti aut, ad Christianismum compulsi. 164.
Iudæi Tigurini puerum quadriennem aciculis minutatim confossum interemerunt. 331.
Iudæus quidam domui suæ ignem subiecit, vltra 40. *è vicinia ædes ysdem flammis conflagrarunt.* 331
Iulius II. *Pontifex obijt.* 441.
Iurassus mons. 3. *à recentioribus Claudij mons dictus, ibidem.*
S. Iusti nouennis pueri martyris relliquiæ in Heremo. 126. *Caput Heremitis restituitur.* 202

K

KIBVRGVM expugnatum & incensum. 124.

L

LAICI in choro assistere non debent. 13.
Lampertus & Berengarius Tyranni Italiam inter se diuidunt. 23.
Lampertus Episcopus Constantiensis succedit S. Eberhardo in eodem Episcopatu. 101. moritur. 116. et succedit Ruthartus. ibidem.
Lausannæ Concilium indictum. 417.
Legum à Vernero II. Heremi abbate conditarũ fragmentum. 229.
Leo IV. Pontif. maximus, & eius institua. 13.
Leo V. Pontifex à Christophoro sede & dignitate priuatur. 28.
Leo VI. Pontifex Ioannis X. successor. 39.
Leoni VII. Pontifici succedit Stephanus VIII. dictus IX. primus è Germanica natione. 44.
Leo VIII. Ioanni Pontifici succedit. 66. prius à Ioannis complicibus electus sedi restituitur. 70. dat bullam & indulgentias Sacello Deiparæ in Heremo. 70. Eligendi Pontificis potestatem ad Othonem Imperat. iterum transfert. 77. moritur, cui auctoritate Imp. succedit Ioannes XIII. 77.
Leo IX. Pontifex prius Bruno, Tulli Leucorũ Episcopus succedit Damaso. 135. concedit Heremitarum abbati Hermanno Pontificalia ornamenta. 140. moritur, eiq; succedit Victor II. prius Gebhardus Eichstadiensis Episcopus Bauarus. 136.
Leo X. pontifex eligitur. 441. moritur. 450.
Leonina ciuitas. 13.
Leopoldus Dux obijt. 325.
Leopoldus Canonicus Bambergensis Episcopus Constantiensis creatus. 341. moritur: 342.
Leopoldus Dux Austr. multa cum nobilitate iuxta Sempacum in prælio interfectus. 364.
Liberalitas Heluetiorum & aliorum in reparando Monasterio Heremi combusto. 463. 464.
Lielach vicus Brisiacensis Comitatus donatur Heremitis. 56.
Limitanea contentio inter Heremitas, Suitios & Lentzbergenses comites finita. 203.
Lindoutum vicus Heremitis donatus. 44.
Lis decisa inter Abbates & Nobiles ab Hunuil 384.
Locustarum multitudo ingens in occidentali plaga, & inde fames atque pestis. 18.
Lotharius Imperator Benedictinam religionẽ professus Brumiæ. 12.
Lotharius Lotharingiæ Rex moritur. 18.
Lotharius Saxoniæ Dux Romanorum Rex electus & coronatus. 186.
Lotharius Imper. coronatur Romæ ab Innocentio II. Pontifice. 190. moritur. 194
Lucernenses Entlibuchianos, Sempacũ & Meyenbergam suæ potestatis fecerunt. 364
Lucius II. Pontifex maxi. succedit Calestino II. defuncto. 206
Lucius III. succedit Alexandro Pontifici. 219.
Ludouici Imper. & filiorum eiusdem dissensiones & prælia. 11. 12. reconciliatio & regnorum diuisio. ibidem.
Ludouicus Iunior contra patrem rebellat. 17
Ludouicus Rex fœdus renouat cum fratre Carolo. 17.
Ludouicus II. Imper, moritur & sepelitur Mediolani. 18.
Ludouicus Lud. II. filius moritur. 18.
Ludouicus Lud. F. moritur & sepelitur Laureshemij. 20
Ludouicus Arnulphi f. puer Septennis patri succedit. 23.
Ludouicus Cæsar moritur immaturè: in quo desiit Stirps Caroli Magni. 28.
Ludouicus Franciæ Rex à Proceribus Northmannis proditus custodiæ includitur. 45.
Ludouici electio antiquatur. 325. obijt. 326.
Ludouicus Abbas repentina morte periit. 369.
Ludouicus Rex Franciæ primus cum Heluetijs fœdus percussit. 429. Ducatum Mediolanensem occupat. 437. Heluetijs amicitiam renunciauit, quam postea multis precibus & precio coëmit. 439. moritur. 443.
Ludouicus II. Abbas Heremitarum eligitur. 454. moritur. 457.
Luitbertus Archiepiscopus Moguntinus. 18.
Luitfridus Dux Alemanniæ vide Erchingus
Luithardus Augiæ abbas. 39.
Luitolphi Othonis & Hetgidis filij erga Heremitas benignitas. 47.
Luitolphus Othonis Imp. filius donat Heremitis vicum Lielach. 56. à patre in Italiam

missus, præclarè multa gerit. 58. moritur in Bobiensi Monasterio sepelitur Moguntij ad S. Albanum. 59.
Lupicinus, Ouinus, Romanus, primi in Heluetia Monachi Benedictini, Iurassum montem incolunt. 3.
Lupodunum ex testimonio Ausonij. 150
Lutoldus Comes Regensbergæ donat Heremitis locum Vare. 186. eius rei Instrumentum. 187.

M

Mahemetes II. Turcarum Imperator Constantinopolin expugnat. 421.
Malitia claustralium peruersorũ omnem vincit malitiam. 148.
Manfredus Ecclesiæ bona afflixit. 250. victus & interfectus. 256.
Manigoldus Comes Nelburgiensis defendit arcem Falckenstein contra Ernestum Cunradi I. Imp. priuignum. 127.
Manigoldus Brandisius obtinuit Episcopatum Constantiensem. 364. obit repentina morte. 365.
Mansum quid ex definitione Iacobi Cuiacij. 120
Marquardus & Hartmannus Nobiles à Ruoda, Sacellum Deiparæ Matri condiderunt. 326.
Marquardus I. abbas Berchtoldi Baronis à Grueninberg filius, obijt. 356.
Marquardus à Randeck Episcopus Constant. eligitur. 368. moritur. 371.
Martinus II. Pontifex max. 20. moritur eiq. succedit Hadrianus III. 21.
Martino III. Pontif. succedit Agapetus II. Pontifex. 47.
Martinus IV. Pontifex eligitur. 265. moritur. 266
Mauri ex Italia electi ab Heinrico Imp. 114.
S. Mauritij brachium ad Heremitas defertur per Vdalricum Augustanum Episcopum. 56
Maximilianus Austriacus, Dux Burgundiæ & Brabantiæ, Cæsar declaratur. 434. moritur. 450.
Mediolanenses Heinricum Cæsarem aduersus patrem Fridericum instigant. 243.
Mediolanum captum à Cunrado I. Imp. 128. expugnatur à Friderico AEnobarbo. 212.
Mediolanum & Ticinum Heluetij in suam potestatem redigunt. 440.
S. Meginradus Augiæ Insulæ Monachus. 3. Sulgouiæ comitis filius, primus author Heremi Deiparæ matris in Heluetia. 7. sacris initiatur, & fit monachus Benedictinus. 8. Bollingæ Monasterio præficitur. 9. Ecclium montem incolit. 9 quærit solitudinem. 9, & 10. à vidua sustentatur. ibidem interficitur, sed de anno cædis eius discors authorum sententia 16. vbi sepultus. 17.
S. Meginradi prima habitatio in Ecclio monte qualis fuerit 10. ad Heremum transmigrantis supellex. ibidem. cellæ prima incrementa. 31. Ecclesia aucta. 97. reliquiæ Heremitis redditæ ab Augiensibus. 129. caussa restitutionis. 130.
Meinradorfum vicus Tigurini Comitatus donatur Heremitis. 64.
Militia sacra suscepta pro recuperanda terra Sancta. 207
Miracula quædam in Heremo patrata. 318.
Miraculum insigne de puella paralytica. 466.
Moguntinus Archiepiscopus in Synodo Erphordiensi propè interfectus, quod celibatum Sacerdotum defendisset. 115.
Monachi 4. Prædicatorum ordinis in Deiparam Virginem impij, flammis extinguntur. 439.
Monasterium & Basilica in honorem matris Deiparæ & Diui Mauritij in Heremo conditum. 40.
Monasterium Heremitarum quæ nomina habuerit. 41.
Monachorum seu claustralium peruersorum malitia omnem vincit malitiam. 148
Monasteriorum quorundam confraternitas 110.
Monstra & portenta crebra. 161.
Monasterium combustum reædificatur. 416,
Mons S. claudij, alias Iurassus. 3.
Mons Gallinarum, postea Mons Angelorum. 181.
Mons angelorum Monasterium apud Sylvanios. 181.
Mons angelorum Monasterium consecratum, & postridiæ velo sacro indutæ plus quam 40. Virgines. 250.
Mons Cinerum. 73.
S. Montis propè Vitodurum Monasterium à Comitibus Kiburgi 11. conditum. 186.
Mors Ioachimi I. Abbatis Heremi. 460. 461.
Muri Monasterij primus abbas Aeginboldus, Heremi Monachus. 123.

Murense Monasterium perfectum & consecratum. 140.
Murenses Monachi præpositum suum faciunt Abbatem. 145.
Mulierum Vinsbergensium virtus & amor erga maritos. 199.

N

NAvclerus erroris arguitur. 100.
Nicæa Bithyniæ à Christianis occupatur. 164.
Nicephorus Orientis Imper. vecors. 78.
Nicolaus I. *Pontifex max. & eius instituta.* 14. *moritur.* 18.
Nicolaus II. *Pontifex succedit Gregorio* IX. *dicto* X. *depositio.* 138. *moritur, sufficiturq. Alexander* II. *Pontifex.* 138.
Nicolaus III. *Pontifex creatus.* 262.
Nicolaus Constant. Episcopus vita excessit. 326
Nicolaus I. *ex Baronibus à Gottenburgo abbas Heremitarum eligitur.* 344.
Nicolaus III. *electus Episcopus Constantiensis.* 363.
B. Nicolaus Heremita controuersiam Heluetiorum cum Confœderatis, de Burgundica præda composuit. 431.
Nicolaus à Rupe Heremita obyt. 434.
Nobilitas Galliæ in bello Cresciaco contra Aeduardum Angliæ Regem exstincta pene tota. 325.
Northusiæ conuentum agit Heinricus V. *Imperator.* 169.
Nortmanni Treuerim incendunt, vastant Lotharingiam. 20. *Galliam invadunt.* 21 *magna clade affecti.* 22. *probant Imper. Heinrico* I. *suam operam, & petitas sedes ab eodem accipiunt.* 119.
Nortmannorum Reges Baptismo initiati. 20.
Notberti S. Galli abbatis, & Rumoldi Episcopi Constantiensis controuersia. 145.
Nothingus Salomonis in Episcopatu Constant. successor. 34. *defunctus, successorem habet Cunradum.* 39.
Notkerus abbas S. Galli. 80.
Nubes sanguinea visa. 178.

O

OBsidij lex quando in Helvetia exorta. 283.
Obscura Sylua. 9.
Occo Mirmidoniæ Episcopus venit in Italiam ad Othonem Imperatorem. 69.
Odilo abbas Cluniacensis Adelheidis Augustæ vitam scripsit. 111
Onuphrius, Hilario, Antonius inter primos Heremitas celebres. 2.
Osporci Pontifex, alias Sergius secundus. 23.
Othmarus I. *S. Galli abbas in Bodma arce multis cruciatibus affectus.* 22.
S. Othmarus prædicit VVolffgango Episcopo tempus mortis. 100. *eius relliquiæ.* 17.
Othonis I. *Imper. munificentia in Heremitas* 31.
Otho Imper. succedit patri Heinrico defuncto. 41. *à patre successor nominatus Anglorum Regis filiam Hetgidin vxorem ducit.* 41. *Consors regni paterni factus. ibidem. copias in Galliam ducit, coniuratos Regis vincit, regem libertati restituit.* 45. *comitia Francofurti celebrat. ibidem. cum Ludovico Galliæ Rege amicitiam & affinitatem contrahit.* 45. *Alemanniæ ducatum defuncto Hermanno concedit filio suo Lutolpho* 52. *in fauorem Heremitarum Adamum quendam nobilem Rhetum, maiestatis dānatum absoluit, bona confiscata eidem restituit, à quo postea ad Monasterium peruenerunt.* 53. *eius rei diploma Cæsareum. ibidem. nuptias celebrat cum Adelheide Lotharij vidua.* 55. *vincit Hungaros propè Augustam vindelicorum.* 58. *bellum aduersus Sclauos molitur.* 61. *vocatur in Italiam contra Berengarium.* 63. *conuentum celebrat Ratisbonæ, & se parat ad expeditionem Italicam. ibidem. conuentum VVormatiæ celebrat, & filium Othonem Cæsarem nominat.* 65. *in Italiam proficiscitur contra Berengarium.* 65. *coronatur Romæ. ibidem.*
Otho filius Othon. Imper. ex Adelheide nascitur. 58.
Otho II. *Othonis f. Cæsar nominatur, & coronatur Aquisgrani.* 65.
Otho Imp. abdicare Pontificem aut instituere sui muneris non esse fatetur. 66. *capit Berengarium cum filio, & in exilium mittit.* 68. *ad Sindeslai Insulam venit, & noua priuilegia Heremitis confert.* 73. *& Adelheidis eius vxor præcipui fundatores & conditores Heremitarum.* 75. *Heremitas Insula vsnau & vicinis locis donatis locupletat.* 75. *denuo expeditionem in Italiam*

susciþit: rebelles Adelberti fautores punit. 78. *bellum aduersus Mauros mouet. ibidem moritur & sepelitur Magdeburgi.* 83.

Otho Iunior consors impery à patre nominatur 79. *ducit Theophaniam filiam Nicephori Græci Imperat.* 78. *bellum aduersus Mauros feliciter gerit.* 78. *coronatur cum coniuge.* 79. *confirmat Heremitarum priuilegia.* 80. *eadem post parentis obitum denuo confirmat, dato diplomate.* 85. *bellum infert Lothario Gallorum Regi.* 88. *munificus ac liberalis in Heremitas.* 92. *copias ducit in Italiam.* 93. *à Beneuentanis & Romanis proditus & desertus cum Græcis infeliciter pugnat.* 93. *Beneuentanos proditores euertit.* 93. *Romanos itidem proditionis authores & conscios punit.* 94. *Sanguinarius ideò vocatus. ibidem. moritur. ibidem.*

Otho III. *Othonis* II. *filius puer in Imperat. lectus.* 94. *mirabilia mundi vocatus.* 94. *bellum suscipit aduersus Lotharium Galliæ Regem Lotharingiam vastantem.* 87. *Saxones bello petit, Brandenburgum expugnat,* 97. *in Italiam ducit exercitum, honorificè excipitur Romæ, Capuanos & Beneuentanos componit, & imperio subijcit.* 102. *coronatur à Gregorio* V. *Pontifice.* 103. *sedem Romæ figere constituit: sed per tumultum ferè à Romanis opprimitur: liberatus per Ducem Bauariæ & Marchionem Italiæ, paulò post moritur.* 111.

Othonis III. *Imper. in Heremitas liberalitas.* 95. *spontanea.* 109. *rescriptum quo Herē. priuilegia confirmat.* 103.

Otho Comes Iagbergæ Monasteriolum condit S. Geroldo. 88.

Otho Campaniæ comes regnum Burgundiæ occupat. 127. *arma resumit & tandem interficitur.* 128.

Otho II. *Dux Alemanniæ moritur: cui succedit Otho* III. 134.

Otho III. *Dux Alemanniæ succedit Othoni* II. *prius Schwvinfurti orientalis Franciæ Marchio.* 134. *moritur.* 138.

Otho Canonicus Goslariensis fit Episcopus Constantiensis. 151.

Otho abbas Cluniacensis creatur Pontifex, Vrbanus II. *nominatus.* 159.

Otho Brunsuicensis Dux declaratur à Pontifice & Imperatore. 224. *succedit Philippo Imp. & Romæ coronatur.* 227.

Otho à Vietelsbach Philippi Imp percussor proscribitur ob Othone Imp. 227.

Otho Imp. excommunicatus. 232.

Othocarus Bohemiæ Rex à Rudolpho victus & occisus. 264

Otho III. *ex Marchionibus Hochbergæ electus Episcopus Constantiensis.* 347.

Otho Cardinalis Columna concordibus suffragijs Pontifex pronunciatur. 380.

Otho Comes à Sonnenberg Episcopus Constantiensis promulgatur. 428. *moritur.* 435.

Othocarus Rex Bohemiæ & Heinricus Dux Saxoniæ Rudolpho Habsburgio Imper. rebellant. 261.

Otuinus Hildesheimÿ Episcopus in Italiam proficiscitur ad Othonem Imper. 69.

Ouinus, Lupicinus, Romanus primi in Heluetia Monachi Benedictini Iurassum montem incolunt. 3.

P

PARMA incendio extinguitur. 128. *Paschalis* II. *Pontif. succedit Vrbano* II. 165. *anathemate ferit Heinricum* IV. *Imper.* 168. *se purgat quod Cæsari collationem Ecclesiarum concessisset.* 173. *moritur.* 180

Paulus Ægyptius primus Heremita. 2.

S. Pelagÿ Martyris relliquiæ Constantiam delatæ. 33.

Peregrinus Batauiensis Episcopus. 79

Peregrinus Coloniensis Episcopus Heinricum Cunradi I. *Imp. & Giselæ filium coronat Aquisgrani.* 125.

Pestis & fames ex locustarum multitudine. 18.

pestis & fames ingens per Germaniam. 114. 138.

Pestilentia in Italia absumit multos è Cæsaris Heinrici exercitu. 118.

Pestilentia sæua. 139. 342. 403. *grauis hominum & pecudum.* 163. *& fames sæuissima.* 185. *in Italia orta.* 213. *atrocissima Italiam primo, mox Germaniam, Galliam & Hispaniam inuasit.* 328. *atrocissima in Heluetia & alibi.* 430. *sæuissima.* 428. *& alij morbi exitiales.* 368. *per Heluetiam vniuersam.* 385.

Petershausæ Monasterium. 101.

Petrus I. *ex Baronibus à Schuande eligitur*

abbas Heremi. 262. In Sacello Tugij fulmine tactus cum multis alijs exanimatur. 264.
Petrus II. Baro à Vuolhausę electus Monasterij abbas. 356. fundauit missam perpetuam in suæ Capellæ altari 12. Apostolorum. 360.
Petrus II. Abbas omnia à Suitiis occupata recipit. 365. moritur. ibid.
Philippus Galliæ Rex ab Vrbano II. excommunicatus. 163
Philippus Sueuiæ Dux & Otho Dux Brunsuicensis contendunt de Imperio. 224.
Philippus Sueuiæ dux obtinet Imperium, sed mox ab Othone Palatino à Vietelsbach occiditur. 226. 227.
Philippus Hispaniæ Rex mortuus. 438.
Pius II. Pontifex eligitur. 422. in expeditione contra Turcam febri correptus obyt. 425.
Pirminius Monachus. 3.
Pontificalia ornamenta inter Heremi abbates primus accipit Hermannus, abbas Heremi sextus, ab Leone IX. Pontifice. 140.
Pontificem abdicare aut instituere sui muneris non esse dicit Otho Imper. 66.
Pons Dæmonis ad Sillam amnem. 183.
Portenta & monstra crebra. 163.
Prædatores & latrones compressi ab Othone Imper. 227.
Prædonum Castella in Alemannia euertuntur per Heinricum II. Imperatorem. 137
Præfecturæ & Dominia Richenburgi, Kemptæ, Aeschentij & bona inraq; ad ea pertinentia confirmata. 394.
Præpositura S. Geroldi. 89.
Prodigia & terræ motus. 110.
Puella vaticinij nomine celebris ad flagrum condemnata, vaticiniorum desiit Moguntiæ 13.

Q

Quinctiliburgum virginum monasterium ab Heinrico Imper. conditum eidem sepulturam præbet. 42.

R

Rabanvs Episcopus Moguntinus Synodum prouincialem celebrat. 13.
Raperswilla noua condendæ occasio. 161.
Raperswilla quo pacto ad Habsburgios peruenit. 63.
Ratisbonæ comitia celebrata à Ludouico Germaniæ rege. 14. Conuentus celebratus ab Othone Imper. 63.
Rathbot Comes Vindonissensis conditor Monasterij Muri. 122
Rebellio contra Cunradum I. excitata. 33
Regensburgenses Barones extincti. 257.
Reginboldus Heremi Monachus primus Muri monasterij Præpositus moritur. 137
Reginboldus primus abbas Murensis. 123.
Regulinda Burcardi II. Alemanniæ Ducis vxor, insignis virtute & ætate. 32. liberalis erga Heremitas & Eberhardum abbatem. 44. Persuadet filio Alarico vt relicta Vsnaugiæ Insula, transmigret in Heremum. 44. Defuncto Hermanno Duce Alemanniæ marito, religionem ingreditur Vsnaugiæ. 52. moritur in Vsnaugia Insula. 57
Reichenaugia, olim Sindeslai Insula dicta. 8
Rhenanæ urbes sexaginta fœdus faciunt contra quamcumque vim Latrocinantium per inter regnum. 251
Rhetipetunt Episcopum ab Heremitis. 126.
Rudolphus ex Comitibus Rapperswillanis abbas eligitur Heremi. 160. moritur. 166.
Rudolphi Comitis Rapperswillæ vxor libidinosa. 162.
Rudolphus ex Comitibus Lupodunensibus fit abbas Heremi, & expellitur à Rudolpho Comite Rapperswillensi. 201.
Rudolphus II. abbas Heremi moritur. 214.
Rudolphus Comes Rapperswillæ Vernero Abbati infestus. 221
Rudolphus & Hesso Barones ab Vsenberg satisfaciunt Heremitis de damnis per bella illatis. 251
Rudolphus Baro à Vedis villa vinearum decumas restituit. 252.
Rudolphus Comes Habsburgi, Alsatiæ Landgrauius, tribus communitatibus Heluetiis defendendis præficitur. 252. Tigurinorum præfectus. 257. Eligitur Imperator. 259. Vincit & interficit Othocarum Bohemiæ regem. 264. moritur. 270.
Rudolphus Comes Rapperswillæ dotat Monasterium Vurmsbach, Bollingam Monasterium instaurat. 253.

Rudolphus Episcopus Constantiensis moritur 272.
Rudolphus Brunner Tigurinæ mutationis author. 313
Rudolphus Dux Austriæ Rapersvillensem pontem fabricandum curauit. 344.
Rudolphus Dux Austriæ obyt. 351
Rudolphus III. ex Comitibus Saxi Mesaucia Dominis Abbas Heremit. electus. 398 *moritur.* 415
Rumelangi & Riethæ sita prædia Heremitis confirmantur à Cunrado Imper. 198.
Rumoldus monachus Heremi succedit Theodorico Episcopo Constantiensi. 135. *Tutur ex testamento constitutus Mathildæ Heinrici II. Imper. filiæ Vnicæ.* 138. *moritur.* 150.
Rumoldi Episcopi Constantiensis & Nortberti S. Galli antistitis controuersia. 145
Rupertus Comes Palatinus electus Rom. Rex & Imperator. 368. *moritur.* 373.
Richarda Caroli Crassi Vxor in Imperatr[i]cem coronatur. 20
Riethæ & Rumelangi sita prædia Heremitis confirmantur ab Cunrado Cæsare. 198
Rex Galliæ magnis sumptibus & precio ingenti pacem ab Heluetijs & fœdus coëmit. 443.
Rodelinus Augiæ abbas XI. successor Erlebaldi. 11.
Rogerius cum suis complicibus Italia pulsus. 194.
Roma ob sessa & capta ab Othone Imper. 70.
Romani vexant Ioannem XIII. auctoritate Imper. Othonis Leoni VIII. suffectum. 77. 78.
Romani & Beneventani produnt ac deserunt Othon. II. Imper. 93
Romanorum ciuium peruicacia in tuendo Benedicto quem contra Leonem VIII. elegerant Pontificem. 69. 70. *Pontifices vexandi in genita libido.* 78
Romanus, Ovinus, Lupicinus primi in Heluetia Monachi Benedictini Iurassum montem incolunt. 3.
Romanus Pontifex Stephano VI. suffectus. 23. *moritur.* 25.
Rorschaci Monasterium euertitur. 435
Rotinburgense oppidum cum arce à Lucernensibus euertitur. 363
Rudhus Augiæ abbas mortuus. Cui successit Hatto. 21.
Rudlo Augiæ abbas XVI. Heitonis successor. 18.
Rudolphus I. Burgundiæ Rex moritur, cuius mortis prænuncius cometa solito maior. 29. *Eius filius Rudolphus II. Succedit.* ibidem.
Rudolphus II. Burgundiæ rex Turgouiam tentat occupare: sed Burcardo Alemanniæ Duce repellitur. 34. *Berengary Tyrannidem in Italia reprimit.* 35. *moritur, & Agauni sepelitur.* 42.
Rudolphus III. Rex Burgundiæ moritur. 127.
Rudolphus I. Comes Rhinfeldæ accipit Ducatum Alemanniæ ab Agneta Heinrici, II. vidua. 138
Rudolphus Alemanniæ Dux Imperator eligitur contra Heinricum. 156. *Victus ab Heinrico.* 157
Ruthardus Episcopus Constantiensis, successor Lamberti. 115
Ruthardus Constantiensis Episcopus moritur peste in Italia, sepelitur Troiæ. 119
Rutti monasterium, quando & à quo fundatum. 227.

S

SALOMON *Constantiensis Episcopus VII. II. frequentat Synodum prouincialem Moguntiacum sub Rabano Archiepiscopo.* 13
Salomon II. Constantiensis Episcopus mortuus: successorem habet Salomonem III. abbatem S. Galli. 22. *Eius Carmina de orbitate & miseria Germanici regni post Arnulphi obitum.* 24. *Etiam S Galli abbas.* 29. *Ab Erchingo captus.* 29. *Romam profiscitur, & S. Palagy Martyris reliquias ab Ioanne Pontifice dono accipit.* 32. *moritur.* 34.
Sacellum Heremi ab ipso Christo consecratur. 50.
Sacerdotes vxores non ducant, sed in perpetuo calibatu viuant, statuit Gregorius VII. 154.
Saletio, vulgo Seltz monasterium ab Adelheide Augusta conditum. 110
Sanguinarius cur dictus Otho II. Imper. 94.

Sanguineæ nubes visæ. 179.
Saraceni è Sicilia electi. 114.
Schetdeck Heremitis donatur. 200.
Schisma inter Alexandrum II. & Honorium II. Pontif. 138
Schisma in Ecclesia ob tres Pontifices Ioannem, Benedictum & Gregorium, sublatum. 374.
Schisma inter tres Pontifices Syluestrum III. *Benedictum* IX. *& Gregorium.* VI.
Sclavi ab Heinrico Imperatore vectigales facti. 41
Secta Flagellantium orta quæ Germaniam Galliamq; penè vniuersam peruasit. 326.
Sergius II. Pontifex, alias Osporci. 13.
Sergius III. pontifex Christophoro expulso subrogatur. 28. moritur, ibidem.
Sergius quartus pontifex succedit Ioanni XIX. 114.
Sergio IV. *Benedictus* VIII. *succedit.* 114.
Selingerus Baro Volhausianus Heremi abbas eligitur. 150. Sponte abdicat. 160. moritur. 164
Sierns Alsatiæ vicus Bennoni donatus. 30.
Sigefridus Salomonem Constantiensem Episcopum captiuum liberat. 30.
Sigifridus abbas Petri domus seu Petershusca, Monasterij. 101.
Sigismundus Hungariæ Rex Imperator electus. 373. Summo studio promouet Concilium Constantiense. 374. moritur. 397.
Silla amnis. 10.
Simoniaca hæresis. 35
Sindeslai Insula schola nobilitatis Germanicæ. 7. Vndè nomen acceperit. 8. Cur mutato nomine Retchennaugia dicta? 8.
Sindeslaus Comes aut presbyter. 8
Sinibaldus Fliscus à Friderico Imper. creatur Pontifex. Qui se Innocentium IV. *vocauit.* 246.
Sixtus IV. *Pontifex eligitur. 428. moritur.* 434.
Staffe vicus Heremitis donatus. 44
Sol visus sanguinem manare per aliquot dies. 44.
Stellæ cadentes visæ in meridie. 163
Stephanus V. *pontifex moritur, cui succedit Formosus Portuensis Episcopus.* 22.
Stephanus VI. *Pontifex electus, Idem Arnulphi & Formosi antecessoris hostis. 23. moritur.* ibidem.
Stephanus VII. *Leonis* VI. *Pontificis successor.* 39.
Stephano VIII. *Pontifici succedit Martinus* III. *Marinus nonnullis dictus.* 45.
Stepano nono dicto X. *succedit post annum Benedictus* IX. *dictus* X. *Pontif.* 138.
Sueuiæ Duces quando primum sic appellati. 157.
Suidigerus Eubenbergensis Episcopus pontifex declaratus ab Heinrico Imper. dictus Clemens. II. 134.
Suitiorum & Heremitarum controuersia de limitibus. 170. de finibus actio coram Imper. Heinrico V. 174. 175.
Suitij contemnunt literas & mandata Imperatorum & Regum. 206.
Suitenses contemnunt Imperatoriam auctoritatem. 208. 209.
Suitensium & Heremitarum contentio limitanea composita. 235.
Suitensium, Tigurinorum & Vraniorum triennale fœdus. 249.
Suitij totam Heremum Marchiamq; inferiorem Sacramento adegerunt. 364.
Suitenses consiliũ ineunt de opprimendo Monasterio Heremitarum. 387.
Suitenses & Tigurini reconciliantur. 406. 407.
Sunderoldus Maguntiensis Archiepiscopus à Nortmannis victus & interfectus. 22.
Syluester II. *Pontifex Gregorio* V. *succedit.* 110
Syluestro II. *succedit Ioannes* XVIII. *Pontifex, cui intra mensem quintum mortuo, Ioannes* XIX. *Pontif.* 112.
Synodus Engelheimensis celebrata. 49.
Synodus habita contra eos qui literas è cælo accepisse dicebantur, cum conditionibus placandæ iræ diuinæ. 114.
Synodus apud Lateranum sub Gregorio VII. *Pontifici.* 154. *Erphordiensis de cælibatu Sacerdotum.* 155.

T

THerdevvinus Episcopus Portuensis. 199.
Theodoricus Heinrici II. *Imper. Cancellarius fit Episcopus Constantiensis, successor Eberhardi.* 134.

Theodorico Episcopo Constantiensi succedit Rumoldus Heremi Monachus. 135.
Theodorus II. *Pontifex Romano succedit, & intra diem vicesimum moritur successorem habet Ioannem* IX. *S. Benedicti ordinis monachum Tiburti.* 25
Theophania Nicephori Græci Imper. filia Othoni iuniori copulatur. 79. *Vidua moritur.* 97.
Templarij extincti. 278,
Terræ motus & prodigia. 110.
Terræ motus. 139. 163. *Ingens per Germaniam, Italiam & Galliam.* 179. 327. 214. *per Heluetiam, Elsatiam & tractum Rhenanum.* 342.
Terræ motus maximus in Heluetia. 353. 354.
Terræ motus, quem subsecutus circulus Solem amplexus. 350. *per Germaniam & Italiam.* 438
Thiersteinenses Comites Conditores Monasterij S. Vincentij, vulgo Beinviler. 185.
Thietingus Hugoni defuncto in Abbatia Augiæ succedit. 30. *moritur, successorem relinquit Heribertum.* 31.
Thietlandus Burckhardi II. *Ducis Alemannia frater religionem ingreditur in Heremo.* 43. *ab Eberhardo abbate coadiutor adscisitur.* 45. *Idem cur primus abbas à Contracto nominetur. Ibidem. Abbas eligitur, successor S. Eberhardi.* 60. 61. *abbatis munus abdicat.* 66. *Moritur & sepelitur. ibid. Eius ortus, familia virtutes & res gestæ. ibidem & 67.*
Thietmarus Curiensis Episcopus, Hartmanno succedit. 130.
Thuringus ab Attinghuse abbas Disertinensis obijt. 338.
Tigurum vicus contra Hungaros manibus cingitur. 25
Tigurini pontificis assecias vrbe eiciunt. & manet sine cultu atq; Sacris annos vndecim 245. *Virorum inopiæ laborantes armant mulieres & virgines eventu prospero.* 276. *fidem negligunt.* 335. *Vincunt Austriacos apud Tetvillam magno periculo & labore.* 337. *Nouam Zuvinglij religionem iureiurando confirmant.* 451.
Tigurinæ Reipublicæ mutatio. 312
Tigurinorum, Suitensium & Vraniorum triennale fœdus. 249
Tigurum non ad Ducatum Sueviæ, sed ad Imperium Antiquitus pertinet. 255.
Tonitrua tremenda mense Februario audita. 179.
Trithemius citatur. 142. 146. 149.
Tricassense Concilium à Pascali II. *Pontif. celebratum.* 170
Tres eodem tempore viui Constantienses Episcopi, Albertus, Otho, Fridericus. 394.
Tulingi qui dicuntur C. Iulio Cæsari. 150.

V

Valacus Mediomatricum Episcopus à Normannis victus & interfectus. 20.
Valefredus Strabo abbas XII. *Augiæ, successor Rodhelini.* 12.
Vallis Drusiana incolitur à S. Geroldo Heremita. 88.
Vualtramus abbas Petri domus seu Petershusen Monasterij. 101
Valtherius Augiæ Abbas. 14. *Eolcuini successor.* 14.
Vare donatur Heremitis. 186
Varæ præpositura. 189. *Donatio ab Lothario Imper. confirmatur.* 190
Varmannus Monachus Heremi Constantiensis Episcopus eligitur. 121. *Probitatis & sapientiæ fama pollet.* 126. *moritur, ei succedit Eberhardus Germanus frater.* 128.
Varinus Comitis Rapperswillensis frater Heremo abbas obtruditur. 214. *Etusdem vitia.* 215
Vaticinij nomine celebris puella apud Moguntinos, ad flagrum condemnata, vaticiniorum desijt. 13
Vdalricus Augustanus Episcopus brachium S. Mauritij Heremitis effert 55. 56. *moritur.* 84
Vdalricus I. *Ex Comitibus Kyburgi Constantiensis Episcopus Gebhardo succedit.* 171.
Vdalricus I. *ex Comitibus Rapersvillæ. substituitur Vernero, abbati* 221. *malè administrat bona Heremi, ideoque dignitate priuatur, & eodem anno moritur.* 225
Vdalricus III. *Veitvillerus Abbas Eremi eligitur.* 466. *moritur.* 473
Venceslaus filius Caroli Imperatoris Cæsar eligitur. 354. *ab Electoribus imperio exuitur.* 368.


Ventorum & frigoris violentia pereunt viles & arbores. 138. 139.
Vernerus Rudolpho II. *abbati suffectus à Rapperſuillenſi Comite expellitur.* 214.
Vernerus Kiburgi Comes ad Cunradi I. *rebelles transit.* 123. *occiditur.* 127.
Vernerus I. *ex Comitibus Lentzburgi, Heremitarum abbas Geroni ſuccedit.* 183. *moritur.* 200.
Vernerus II. *ex Comitibus Toggenburgi eligitur abbas Heremi.* 217. *abdicat propter inſidias Rudolphi Rapperſuillenſis Comitis.* 221. *poſt abdicatam dignitatem anno.* 19. *moritur in Heremo.* 228.
Vernerus ex Baronibus ab Stauffen Conſtantienſis Epiſcopus ſuccedit Diethelmo. 225.
Vernerus ab Horenberg Heremitas vexat. 248
Vettingenſis Monaſterij conditor. 235. 239.
Vexilla duo precioſißima donata à Pontifice Heluetijs. 441.
Vfnouia Inſula Bennoni Heremi incolæ in perpetuum beneficium data. 30. *à Bennone egregiè exculta.* *ibidem.*
Vfnau Inſula Heremitis donata ab Othone Imperatore. 75.
Vfnouiæ templum à Regulinda conditum, cõſecratur. 199.
Viboroda Virgo martyrio ab Hungaris adfecta. 53.
Vido Spoletanus Dux à Carolo Craſſo Maieſtatis abſolutus. 20.
Victor II. *Pontifex moritur ſuccedit Stephanus* IX. *dictus* X. *Pontif.* 138. *antea Gebhardus Eichſtadienſis Epiſcopus, Pontif. Synodum indicit Florentiam.* 136.
Victor III. *Pontifex ſuccedit Gregorio* VII. 159.
Vicus Heremi & Monaſterium reſeruata Abbatia & precioſiore ſupellectile incendio abſumuntur. 438. 439.
Viligiſus Moguntinus Archiepiſcopus, inungit Heinricum Regem. 112.
Viltrudis coniux Adalberti Comitis à Caluue. 141.
Vini maxima copia præſertim Tiguri. 434.
Vindilgardis Vlrici Comitis in Buchhorn vxor capto marito, viduitatem vouit. 33.
Vinsbergenſes faciunt deditionem. 199.
Vinsbergenſium mulierum virtus & amor erga maritos. 199.
Virandus abbas Heremi ex Comitibus Vandelburgienſibus, ſuccedit Gregorio. 160. 380. *obtinet ab Heinrico Imp. confirmationem priuilegiorum.* 112. *moritur.* 121.
Vites ac arbores perduntur frigore & ventorũ violentia. 138.
Vitgerus Mediomatricum Epiſcopus moritur; ſuſficitur Benno Heremi incola. 35.
Vldaricus Epiſcopus Auguſtanus proficiſcitur in Italiam ad Othonem Imperatorem. 69.
Vldaricus ex Comitibus Kiburgi Monachus Heremi, Epiſcopus Curienſis. 189.
Vldaricus Conſtantienſis Epiſcopus moritur. 186.
Vldaricus Comes Rapperſuillæ moritur. 186.
Vldaricus Lentzburgi Comes præpoſituram Varæ Heremitis confirmat. 194.
Vldaricus ex Comitibus Kiburgi, Heremi Mõachus eligitur Epiſcopus Curienſis. 241
Vldaricus II. *ex Baronibus à Vinide abbas Heremi eligitur.* 257. *Ex abbatibus primus Imperij princeps creatur.* *ibidem.* *moritur.* 262.
Vlricus Buchhorni Comes ab Hungaris captus 32.
Vlricus Pfefferhardus Epiſcopus Conſtantienſis electus. 326. *moritur.* 338.
Vlricus abbas S. Galli Comitatum Toggenburgenſem emit cum omnibus dominijs. 428.
Vlmæ conuentum agit Cunradus I. *Imperator.* 123.
Voerd Veneti lacus Inſula. 32.
Volfgangus Comes Veringenſis religioſus Heremi ſit Epiſcopus Ratisbonenſis. 79. *eruditione & Sanctitate clarus in Heremo, eiusq. res geſtæ.* *ibidem.*
Volfgangus Ratisbonenſis Epiſcopus interfuit expeditioni Othonis II. *contra Lotharium Regem Galliæ & cum ſuis fluuium quendam ſine periculo tranſit.* 88. *præmonitus à S. Othmaro in eiusdem Sacello moritur.* 100.
M. Volfgangus Spieß profeſſus Heremi, S. Vincentij Monaſterij inſtaurator. 185.
Volhauſia in Lucernenſium ditione. 165.
Vranienſes & Siluani cum Heinrico III. *abbate Heremi, arbitrio Thuringi Abbatis Diſertinenſis, reconciliantur.* 333.
Vraniorum, Suitenſium & Tigurinorum fadus ad triennium. 249.


Vrbanus II. *Pontifex.* 159. *Heinricum Imp. & Clementem Pontificem excommunicat.* 163. *moritur, succedit Paſcalis.* II. 165.
Vrbanus III. *succedit Lucio* III. *Pontif.* 220.
S. Vrbani Monaſterium quando & à quibus extructum. 223.
Vrbanus V. *ordinis S. Benedicti lectus Pontifex.* 348. *obijt.* 353.
Vrbanus VI. *Pontifex obijt.* 365.
Vrſinus & Gallus Monachi. 3.
Vurmbsbach Monaſterium dotatur. 253.
Vtvillaria vicus pagi Tigurini Heremitis donatur. 44.

Z

ZERINGA *arx expugnata.* 119.
Zeringenſis Dux debellatus à Friderico Franconiæ Duce. 195.
Zuendibaldus Moraniæ Dux rebellis Carolo Craſſo. 20.
Zvvinglius ſectæ ſuæ dogmata ſpargere incipit. 444. 445. 446. *Tigurum cum ſuis collegis concedit.* 447. *ibidem publicè concionem primam habet.* 450.

FINIS.


Th
403 a


D.
Io. Vastovij
Vitis Aquilona
item
Annales Einsidl.
R V
17.